












SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA — TOMUS XCIX

DIONYSII BAR SALIBI

COMMENTARII IN EVANGELIA

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM
ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, A. VASCHALDE

SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA

TOMUS XCIX

VERSIO

MDCCCCXXXIII

DIONYSII BAR SALIBI

COMMENTARII IN EVANGELIA

PARS SECUNDA

INTERPRETATUS EST

A. VASCHALDE

LOVANII

E TYPOGRAPHEO MARCELLI ISTAS

MDCCCCXXXIII

MONITUM

Post mortem Iar. Sedlaček[1], editionem Commentariorum Dionysii bar Ṣalībī perficiendam suscepimus.

Codices quibus editor primi tomi usus est nobis praesto fuerunt. Verum, tum variantes lectiones, tum excerpta in dicto tomo recitata (vide p. 339, 364) demonstrant codice B (Bibl. Nat., Syr. 68) novam recensionem, a posteriore scriba retractatam, contineri. Idcirco, in opere prosequendo, textum unius codicis A (Syr. 67) qui, tertio anno post mortem Dionysii et probabiliter ad autographum descriptus, primigeniam scripturam fidelius servavisse videtur, perscribere satius duximus; ac proinde perpauca, et nonnisi locis vere dubiis, e ceteris codicibus adnotavimus.

A. V.

[1] Natus est die IV februarii anni MDCCCLX loco Hostomitz dicto, Pragae civitati vicino, in qua publice docuit et diem supremum obiit III die ianuarii anni MDCCCCXXV.

PRAEDICATIO MATTHAEI APOSTOLI
(continuatur)

[CAPUT VICESIMUM PRIMUM].

v. 1) *Et cum appropinquasset Ierusalem et venisset in Beth Phage*; phage, h. e. concursus viarum seu bivium. Alii: P h ā g ī est quadrivium. Alii: P h a g ' ē est ficus sylvestris; scriptum est in Evangelio commixto (Diatessaron), in re Zachaei: Adscendit in p h a g ē ut videret Iesum, quod et in Syro scriptum est: Adscendit in ficum sylvestrem. — *Misit duos e discipulis suis;* h. e. Simonem et Iohannem.

v. 2) *Ite in pagum qui contra vos est;* h. e. in Bethaniam, et pagos et urbes quae sunt circa Ierusalem. Quia enim eiiciebat daemonia Iudaeorum et sanabat infirmos eorum, et deinde accusabatur ab eis, « contrarii » erant ei. Pagus symbolum est mundi; discipuli qui iverunt symbolum sunt prophetiae [1] et apostolorum qui missi sunt ut mundum a vinculis peccati solverent, sicut solverunt asinam; pullus symbolum est gentium quae ad evangelium venerunt. — *Et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea.* Vide quot prophetiae dictae sint eis: illa, *Invenietis;* et illa, *Nemo prohibebit vos.* Nonnulli dicunt hunc pullum fuisse Lazari qui e Bethania erat. Alii: Asina erat ibi alligata viti et pullus cum ea, et nesciebant quis alligasset illam. Alii: Super asinam b a l e s ṭ a seu candidam sedit, quia eo tempore talis consuetudo erat regibus et principibus; et testis est Debora quae dixit [2]: *Laudate, qui adscenditis super asinas candidas.* Alii: Asinus sylvestris est cui consedit; sed vera non dicunt quia cum pullo etiam * mater eius venit. Asinam sedit, ut exemplum humilitatis pastoribus daret, ut si necesse habeant asina utantur. Rursus, ut per asinam ostenderet quam asinalis et fera sit natura nostra, sicut ait Isaias [3]: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui.* — Quare in pago alligatus erat pullus? Quia terra pagi calcata erat, non arata, et foetebat odoribus, et postea mutata est in optimam, et

* p. 3.

[1] I. e. « missionis prophetarum ». — [2] *Iud.*, v, 10. — [3] Is., I, 3.

pro pago inculto (incolae) facti sunt fructiferi et liberati sunt a foetore passionum.

v. 4) *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum fuerat per prophetam: Dicite filiae Sion*; h. e. evangelista argumentum protulit Iesum eo fine pullum adduxisse ut impleretur prophetia Zachariae, non propter superbiam, sed propter humilitatem. 5

v. 7) *Et adduxerunt asinam et pullum.* Considera quod domini eius nihil dixerunt cum tolleretur; cum (discipuli) dixerunt: Domino nostro necessarius est, siluerunt. Hoc condemnat Iudaeos quia ii, qui non praesentes erant, obedierunt ei; ipsi autem, cum praesens esset et faceret mirabilia, non siverunt se persuaderi. Discipulos autem docet quod si ii qui nesciebant eum ita se gesserunt, ipsi multo magis animam suam pro eo darent. — *Et posuerunt super pullum vestimenta sua.* Matthaeus dixit: Invenietis asinam et pullum; ceteri autem evangelistae: pullum tantum. Nomen ḥ m ā r ā (asinus, asina) denotat feminam et marem; ʿ i l ā (pullus) autem marem tantum; ideo omnis ʿ i l ā est ḥ m ā r ā, sed non omnis ḥ m ā r ā est ʿ i l ā. Asinam autem et pullum adduxerunt. In initio super asinam sedit; cum autem appropinquasset civitati, straverunt pullum et sedit super eum. Asina cui prius insedit typus est synagogae. Synagoga enim in initio electa est et ornata est donis divinis, sacrificiis et iudiciis, et cum Deum contempsisset derelicta est et dictum est ei[1]: *Ecce relinquetur* * *vobis domus vestra deserta.* Pullus autem cui postea insedit typus est gentium. Ergo duobus insedit, ut impleret prophetiam Zachariae[2]: *Sedens super asinam et super pullum filium asinae.* Alii: Pullus idem est asinus et cum pullo insedit asino insedit, sicut dixit Iohannes[3]: *Invenit asinum et sedit super eum.* Multis vicibus Iudaeam perlustravit nec iumento opus habuit, nec quidem fatigatus est; et hac vice non ex labore viae iumento consedit, quod notum est ex eo quod ab Iericho ad Bethaniam[4] iter XVII milliariorum pedibus confecit, et a monte Olivarum ad Ierusalem, per spatium duorum milliariorum plus minus iumento usus est; ut a Iericho ad Bethphage pedibus iter fa- 10 15 20 *p. 4 25 30 35

[1] MATTH., XXIII, 38. — [2] ZACH., IX, 9. — [3] IOH., XII, 14. — [4] Sic ms. C; in A « ad (montem) Olivarum ».

ciendo ostenderet se significare gentibus afflictionem naturae humanae quam genus nostrum in terra hac maledicta propter transgressionem pertulit. Rursus, quod a Bethphage ad Ierusalem iumento consedit, significat deficientiam et fatigationem
5 generis nostri, et liberationem ab angustiis per quietem quae in caelis est.

Asinae insedit, non alii iumento, ut Iudaei scirent eum esse regem de quo prophetaverat Zacharias, et ut superbiam Calumniatoris deiiceret humilitatemque doceret. Rursus, reges
10 terreni equis et elephantis insident quando bella gerunt; Christus autem, cum voluit bella tollere et pacem gentibus loqui, asinae ad bellum haud aptae insedit, et bella sustulit pacemque seminavit. Per pullum significavit gentes per leges divinas non subiectas esse; ipse autem subiecit eas custodia man-
15 datorum suorum. Rurus, pullus immundus est quia ungula eius non fissa est, nec ruminat; * ita gentes immundae erant *p. 5. nec distinguebant inter immundum et mundum; Christus autem, quia eis insedit, mundavit eas. Rursus, pullus alligatus erat duobus vinculis, voluntario et violento: voluntario matri
20 suae, sicut et gentes voluntarie idololatriae servierunt; violento fune, sicut et Satanas gentes vi alligavit; Christus autem haec duo vincula solvit. Pullo indomito insedit ut significaret difficilia facilia esse sibi ut creatori naturae, et ut ostenderet facilem fore obedientiam gentium, iuxta illud[1]: *Habitabit lupus*
25 *cum agno,* h. e. duri et asperi cum mitibus et pacificis. Nonnulli dicunt: Tanquam dominus qui tollit a servo misit ut adduceretur pullus. Alii: Petitione accepit eum tanquam indigens, quia se exinanivit cum plenus esset in divinitate sua. Et pullus ad suum locum reversus est cura eorum qui illum adduxerunt.
30 Interrogetur Iudaeus: Quis rex ingressus est Ierusalem insidens asinae? Non potest dicere nisi hunc. Ioannes Darensis: « Scriptum est: *Invenietis asinam alligatam et pullum cum ea. Solvite et adducite mihi;* non autem scriptum est: Solvite asinam. Puto cum solverunt pullum et adduxerunt, seipsam sol-
35 vit et venit post eum; etenim evangelista non scripsit quod asinae insedit ». — Duo discipuli post asinam missi sunt, non unus, nec tres, quia per prophetas et apostolos gentes vocatae

[1] Is., xi, 6.

sunt ad fidem. Simon senex et matrimonio coniunctus symbolum est prophetarum; Iohannes iuvenis et caelebs symbolum est apostolorum per quos ad vitam vocati sumus.

v. 8) *Multitudo turbarum ponebant vestimenta sua in via,* ad significandum vestimenta idololatriae esse vilia et abominanda coram Christo; et quod tanquam domino coram eo vestimenta straverunt; et ut ostenderent eos, qui eius discipuli (* p. 6.) facti sunt, non solum * possessionibus suis renuntiare sed etiam corpora sua pro eo dare, sicut fecerunt martyres. Etenim vestimenta sua sternebant, h. e. superbiam mentis; indumento calcabili figuraverunt, quia gentes coram eo sese humiliaverunt. — *Alii caedebant ramos ex arboribus.* Quare cum Dominus noster Ierusalem pluries ingressus est, ei obviam non processerunt nisi nunc? Quia audierant eum suscitasse Lazarum; alterum, quia voluntas eius hanc mentem immisit eis, nam appropinquabat passio. Et turba multa obviam ei progressa est, quia congregati erant ad festum Paschae. Cum ramis olivarum et palmarum egressi sunt in occursum ei, quia hoc modo egrediebantur in occursum iustis et regibus suis. Et id a David acceperant [1]: *Iustus sicut palma florebit,* et [2]: *Ego sicut oliva laudabilis in domo.* Accidit ut hoc modo exierint in occursum David et Saul cum victoriam retulissent. Aut ipse hanc mentem immisit eis.

Olivae quidem in Ierusalem erant: palmas unde attulerunt? Nonnulli dicunt: Festum Expiationis et Tabernaculorum decimo die tešrīn prioris lunaris lex iubebat fieri cum myrto et salicibus et palmis [3]. Et cum advenisset tempus festi, Iudaei non potuerunt illud celebrare quia Romanis subiecti erant. Cum autem venisset Dominus noster ut ingrederetur Ierusalem, miserunt et attulerunt folia palmarum e regionibus longinquis ut festum Tabernaculorum agerent, et in hoc festo quo venerunt cum ramis et foliis palmarum Dominus noster Ierusalem ingressus est et ab eis laudatus est. Etsi tempore eius non agebatur festum Tabernaculorum, tamen non poterant illud omittere. Alii: Christus fecit ut pararent palmas in honorem introitus sui. Ipsi autem rami erant signum victoriae gentium (* p. 7.) super Calumniatorem; nam pullo figurantur fideles, * inimici

[1] *Ps.* xci, 1[illegible] — [2] *Ps.* li, 10. — [3] Cf. *Lev.*, xxiii, 40.

autem arboribus quae caeduntur et proiiciuntur coram pedibus fidelium.

Oliva nempe duas qualitates habet: misericordiam, quia folia sua non amittit aestate aut hieme, sed sicut pater miseri-
5 cors retinet ea; pinguedinem autem, quia per eam exhilarantur vultus iuxta illud [1]: *Impinguasti caput meum in oleo.* Ita Christus est misericors quia misertus est generis nostri, et laetificavit nos quia redemit nos. Etenim in oleo olivarum coquebatur panis propositionis in lege, et columba folio olivae salutem
10 nuntiavit. Palma autem habet proprietates: celsitudinem quidem, similitudinem Christi qui est altissimus et caelestis; rectam autem staturam, typum Christi cuius iudicia recta sunt, iuxta illud [2]: *Iustus es, Domine, et valde recta iudicia tua.* Habet etiam dulcedinem, symbolum dulcedinis doctrinae Do-
15 mini nostri, iuxta illud [3]: *Dulcia sunt eloquia tua palato meo,* h. e. doctrinae tuae; et habet albedinem, similitudinem Domini nostri qui est lux mundi; et habet spinas in summo suo et inde nemo potest ad summum eius adscendere : ita et quicumque non est exercitatus in contemplatione non potest scientia ad
20 Christum adscendere. Rursus, acies et acuitas summorum eius foliorum denotat erectionem promptam adversus Calumniatorem. Medulla palmae una est: ita et unum est Verbum unigenitum Patris.

v. 9) *Turbae autem illae quae ibant ante eum et veniebant post*
25 *eum,* h. e. quattuor ordines erant qui clamabant hosanna, idque multis vicibus: turbae, discipuli, pavuli, infantes, laudantes omnes; summi autem sacerdotes solliciti erant silentium eis imponere. In quattuor partes divisi sunt: ante eum, pone eum, ad dexteram eius, ad sinistram eius, symbolum pompae in fine
30 temporum; nam boni dividentur in quattuor ordines: angeli ante eum, iusti *ad dexteram eius, poenitentes ad sinistram eius, * p. 8. et pueri pone eum; mali autem infra manebunt. Clamor autem eorum significabat victoriam in Satanam, mortem et peccatum. — *Auša'na filio David.* A u š a ' n a vox hebraica est, quae inter-
35 pretatur « salus ». Hebraei scribunt illam ita : he shin ayin aleph [4] nun, seu a u š a ' n a. Syrus autem vocem ab hebreao

[1] *Ps.* XXII, 5. — [2] *Ps.* CXVIII, 137. — [3] *Ps.* CXVIII, 103. — [4] In codd. male: z a i n.

mutuatus est et dicit a u š a ' n a. Et dicitur: Salus in excelsis et salus filio David qui salvavit nos a morte et Satana et peccato. Graeci vero non habent inter litteras suas shin nec ayin; ideo non possunt dicere auša'na, sed pro shin posuerunt semkath, et pro ayin aleph, et pro Auša'na dicunt Hōsanna seu gloria. Ergo appellatio auša'na in excelsis, explicatur « gloria in excelsis », quia ipse est Dominus gloriae [1], et ei debetur. Auša'na *filio David,* quia ex semine David apparuit Verbum in carne. — *Benedictus, qui venit in nomine Domini*; h. e. voluntate Patris sui. Rursus, benedictus, qui venit ad passionem et opprobrium, et venturus est post resurrectionem suam et videbimus eum; quod deinde factum est. — *Auša'na in excelsis*; h. e. non evacuavit thronum regium cum incarnatus est. — Lucas autem subiungit [2]: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*; et notum est eos clamavisse ex eo quod creavit eos, et fecit uxorem Lot lapidem [3], et iussit lapidi et effudit aquam [4], et dedit loquelam asinae [5]; et ex eo quod gentes, quae durae erant sicut lapis et non habebant legem, dederunt ei gloriam. — *Et cum vidisset civitatem, flevit super illam* [6]; scriptum est eum bis flevisse: hic et cum suscitavit Lazarum. Non autem scriptum est Dominum nostrum risisse. Flevit vero ut ostenderet se corpus induisse, sicut et esurivit et fatigatus est. Rursus, flevit super Iudaeos qui noluerunt Redemptorem suum agnoscere. * — Matthaeus: *p. 9.

v. 10) *Et commota est universa civitas:* bis commota est: primum quidem, quando Magi venerunt; alterum autem, hic. Commota est enim quia cognita erat malitia morum eius, et nolebat salvari. — *Et dicebant: Quis est hic?* Non quod nescirent, sed ex invidia hoc dicebant, sicut illud [7]: *Nonne hic est filius fabri?* — Lucas [8]: *Si cognosceres*; h. e. ipsa voluntate sua avertit oculus suos ab eis quae sunt pacis eius. Persona civitatis de civibus eius loquitur. *Venient tibi dies quibus circumdabunt te;* captivitaten sub Vespasiano innuit, quae facta est quadraginta annis post crucifixionem. *Non cognovisti tempus visitationis tuae;* h. e. tempus quo veni ut te visitarem. — Matthaeus:

[1] Cf. I *Cor.*, II, 8. — [2] Luc., XIX [illegible] *n.*, XIX, 26. — [4] Cf. Is., XLVIII, 21: — [5] *Num.*, XXII, 28. — [6] L[illegible], [illegible]IX, 41. — [7] Matth., XIII, 55. — [8] Luc., XIX, 42.

v. 11) *Hic est Iesus propheta*; putaverunt turbae se aliquid magnum dixisse, quia cogitatio earum in terram adhuc reptabat; non enim propheta fuit, sed Deus et dominus prophetarum.

v. 12) *Eiecit eos qui vendebant et emebant in templo, et*
5 *evertit mensas nummulariorum.* Quare erant in templo nummularii seu trapezitae, et venditores columbarum et ovium, non autem omnes species venditorum? Et dicimus: Sacerdotes Iudaeorum pecuniae cupidine tenebantur, et haec est causa cur permiserint eis in templo negotiari. Iussit Deus populum
10 non mactare animalia ex voto oblata nisi ad ostium tabernaculi, et id iussit, primum ne sanguinem comederent, alterum autem, ne daemoniis sacrificarent. Et dixit eis praeterea: Si a Ierusalem longe sunt vendent boves et agnos ex voto oblatos, et cum venerint Ierusalem pecunia ement alios pro eis. Sacerdotes
15 autem, cum hoc vidissent, excogitaverunt introducere venditores in templum * et consociati sunt cum eis ut darent ipsis partem. *p. 10.
Et cum quis venisset, non sinebant eum emere nisi ab eis qui erant in templo. Et omnis qui a longinquo venerat, ex ovibus et bobus qui erant in templo emebat pretio magno: oves aut
20 boves aut agnos aut columbas; quia haec offerebantur pro peccatis et munda erant secundum legem. Et trapezitas in templo instituerunt, ut si quis opus haberet addere pecuniae quam secum attulerat aut in aes minutum mutare denarios, a trapezitis templi acciperet; ceteras autem res alienigenae qui ad
25 orandum veniebant ab omnibus emebant. *Et evertit mensas nummulariorum;* h. e. eorum qui emunt denarios drachmis, et drachmas denariis, et monetas rotundas minutis. Graeci eos s k ō s t r a [1] vocant, Arabes ṣ a r a f ī, et Syri m e ʿ a r p ā n ē. His socii erant sacerdotes in furto. Cum quis venisset, habens
30 secum oves aut boves ad offerendum, dicebant ei sacerdotes: Hic non aptus est ad sacrificium; vende eum et eme alium; ille autem cogebatur vendere parvo pretio et emere magno, et lucrum quod fiebat dividebatur inter sacerdotes et venditores; et ideo Dominus noster dixit: *Fecistis domum meam spelun-*
35 *cam latronum.* Alii: Oves et boves, quos sacerdotes vendebant, ii erant qui Deo oblati fuerant, et sub prae textu liberandi emptores a labore eos denuo vendebant. — Bis eiecit eos de templo:

[1] De voce graeca quae latet sub litteris syriacis, disputant lexicographi.

primum, in initio signorum suorum, quod dixit Iohannes [1]; alterum autem, id Matthaei, prope passionem. Hoc patet ex eo quod ibi [2] dixit: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*; hic autem [3]: *Vos fecistis eam speluncam latronum;* ibi dixerunt [4]: *Quod signum ostendis nobis?* hic autem, ab hoc tacuerunt, aut ipse Matthaeus mutavit * narrationem dum quod ibi factum est dixit tempore passionis factum esse. Eos autem eiecit ut significaret Deum colendum esse spiritaliter sacrificiis spiritalibus. Dispensative enim concessit Iudaeis ut sacrificia offerrent quia, cum egressi sunt ex Aegypto, duobus detinebantur: idololatria et sacrificiis; et quia non poterant perfectionem accipere, praecidit ab eis idololatriam et permisit eis sacrificare; nunc autem quia natura humana ad perfectionem venit, praecidit etiam sacrificia. Rursus, eiecit eos ut impleret prophetiam [5]: *Zelus domus tuae comedit me;* et ut manifestaret dominium et potentiam suam. Quod autem nihil dixerint, accidit quia cohibiti sunt miraculis eius. Rursus, innuit cessationem sacrificiorum quae transierunt, sicut diximus. Dixit enim unus e doctoribus: Si quis, postquam Agnus Dei immolatus est, offeret Deo sacrificia animalium, aequiparandus est ei qui sacrificat daemoniis.

Iohannes subiungit: *Et fecit sibi flagellum e fune. Flagellum,* h. e. funem plicatum et tortum. — Dominus noster omnes gradus ecclesiasticos, quos per apostolos ordinavit nobisque tradidit, in se ipso ut magister verus adimplevit. Subdiaconatum quidem ibi perfecit, cum fecit flagellum e fune et templum mundavit; deinde lectoratum, cum datus est ei liber et legit [6]: *Spiritus Domini super me*; diaconatum cum turbas fecit recumbere in deserto, et cum lavit pedes discipulorum; sacerdotium cum fregit corpus suum et miscuit sanguinem suum; episcopatum cum insufflavit in faciem discipulorum et dixit [7]: *Accipite Spiritum sanctum*; patriarchatum cum adscendit in caelum et elevavit manus suas super eos et benedixit.

v. 14) *Et accesserunt ad eum in templo caeci.* Tantum abfuit ut consentirent ei propter miracula quae viderunt cum aperuit oculos caecorum et sanav[it] [c]laudos, ut mali fierent et in-

[1] IOH., II, 15. — [2] IOH., II, 16. — [3] v. 13. — [4] IOH., II, 18. — [5] *Ps.* LXVIII, 10. — [6] LUC., IV, 18. — [7] IOH., XX, 22.

viderent ei[1]. Nonnulli * dicunt: Pueri noverant quid dicebant etsi parvi erant, quia etsi corpus, quod est organum animae, non erat perfectum, tamen anima eorum rationalis perfecta erat. Alii: Non noverant, quod patet ex illo: *Ex ore puerorum disposuisti laudem*; et bene dixit: *Ex ore,* non: Ex corde; quia non intellegebant in corde suo, et ideo Spiritus laudem disposuit in ore eorum. Alii: Hi pueri erant unum annum tantum nati et infra. Alii: Quadraginta dies tantum nati erant, quos adduxerant parentes eorum e regionibus Iudaeae ad domum Domini ut offerrent pro eis sacrificia sicut in lege praeceptum est. Et dicunt quod e die quo clamaverunt Hosanna non amlius loquuti sunt, usque ad tempus loquelae consuetum, quod miraculum maius est omnibus miraculis.

* p. 12.

v. 16) *Audis tu quid dicant?* Valde quidem congruum erat ut eos increparet: Videte quid dicant pueri; sed ex invidia id non tulerunt et ipsi prius dixerunt: Vides tu? *Dicit eis Iesus: Etiam.* Vox *etiam* duos sensus habet: Ego audio, vos autem non. — *Non legistis: quia ex ore puerorum...?* Parvulos et sugentes ubera vocat pueros et infantes, quia est creator naturae et ipse dat ei verbum. Et non ex doctrina et exercitatione erat laudatio, sed ex virtute eius.

v. 17) *Et exivit e civitate in Bethaniam et pernoctavit illic.* Non coepit docere, ne, cum invidia flagrarent, asperiores se praeberent ad ea quae dicerentur; ideo exivit.

v. 18) *Mane autem cum rediret ad civitatem, esuriit.* Non fame naturali esuriit; sed permittebat et sinebat carnem suam esurire; et haec fames dispensativa erat, non * naturalis; et evidens est eo quod mane adhuc erat: quod si fames fuisset naturalis, quid prohibebat eum comedere et deinde exire? Ecce enim in domo Lazari, amici sui, habitabat.

* p. 13.

v. 19) *Et vidit ficum in via, et venit.* Quod venerit ad eam, et quod maledixerit ei quia non erant in ea fructus, secundum opinionem discipulorum scripsit evangelista. — Marcus[2]: *Non enim erat tempus ficuum.* Nisan enim erat, quando arbores floribus, non fructibus ornantur. — *Et dixit: Ne sint in te fructus in aeternum.* Nonnulli dicunt: Maledixit ficui quia ista legem figurabat, quae non habebat fructus quos Christo offer-

[1] Hic quaedam ad v. 15 spectantia exciderunt? — [2] MARC., XI, 13.

ret. Alii: Synagogam figurabat. Nos autem dicimus: Erant fructus in lege et in synagoga, etsi non multi. Ecce enim XII apostoli et LXXII praecones, et Paulus et Iudaei qui in Dominum nostrum crediderunt, hi omnes sunt fructus legis et synagogae. Verumtamen arefecit ficum, primum propter discipulos, ut intellegerent eum infirmum non esse, sed voluntate sua passurum esse; alterum propter Iudaeos, ut eos puderet, quia, si voluisset tempore passionis suae eos arefecisset sicut ficum. Ergo maledixit ei, sicut diximus, ne imputaretur sibi infirmitas, unde invitus moriatur. Prope enim erat passio et necesse erat ut virtutem suam discipulis suis et crucifixoribus manifestaret. Hanc non manifestavit in homines, amans enim hominis est; quod si in hominem virtutem suam ostendisset, existimavissent istum propter peccata sua, non ex virtute factoris arefactum esse. In possessiones ostendit virtutem suam, et inter possessiones non in animal pretiosum et emptu facile[1], sed in arborem, et rursus, inter arbores, in eam quae est tenera et virens magis quam omnes, quae cum abscinditur longo tempore p. 14. * vix arescit. Hanc autem prolato verbo arefecit, et manifestavit virtutem suam discipulis et crucifixoribus, seque voluntarie passurum esse. — Quia ficus fuit arbor ex qua comedit Adam, per eam solutum est debitum et ingressa est iustificatio. Hanc enim, postquam eam arefecit Christus, possessores eius in civitatem intulerunt, et eam acceperunt crucifixores, et super eam Dominum nostrum crucifixerunt. Quidam autem excogitaverunt explicationem quare ficus ita appellata est (syriace) t ī t ā, quia nempe ipsa allexit et provocavit protoparentes ad lapsum: « Veni (tī) tu[2] Heva ad me ». — Quia ficus arbor est ex qua comederunt, ideo arefecit eam Dominus noster, quia decepit Adamum et Hevam. — Alii: Cum turbae caedebant ramos ex arboribus et proiiciebant in via, possessor non permisit ut ex ea caederent, et ideo arefecit eam. — Alii: Cum non exivissent Gadareni obviam Domino nostro, suffocavit porcos eorum, ut etiam inviti exirent; pariter dominus fici consilium inierat non

[1] Sic mss. Locus obscurus et probabiliter corruptus. Apud Išō'dad, unde noster hausisse videtur, legimus: « non animalia pretiosa aut iumenta facilia laesioni » (ed. GIBSON, p. 141). — [2] Lusus verborum in syriaco, qui latine accurate reddi nequit.

egrediendi obviam Domino nostro, qui ideo ficum eius arefecit, ut invitus exiret. — Alii: Cum dixit Dominus noster: *Solvite templum hoc, et in tres dies...* et rursus, de templo lapideo: *Non relinquetur lapis super lapidem,* sententia anceps fuit;
5 per prodigium exsiccationis fici, verbum certum evasit.

v. 19) *Et continuo arefacta est ficus illa*; Marcus autem dixit[1] quod mane arefacta est. Et dicimus: Continuo arefacta est, sicut dixit Matthaeus, et mane die postero discipuli eam viderunt arefactam, sicut dixit Marcus.

10 v. 20) *Mirati sunt discipuli;* quia in ficu primum ostendit virtutem suam punientem.

v. 21) *Sed etiam si monti dixeritis;* vides: ne timerent discipuli venit ad ficum eamque arefecit.

v. 22) *Et quidquid petieritis in oratione;* h. e. non tantum
15 ut transferatis montes, sed etiam alia multa. — Nonnulli dicunt: Si non erat tempus ficuum, quare maledixit ficui? Ita et de porcis, * quos suffocavit, multi hoc dicunt, verbum iustum scrutantes. Ut puto, quia sine loquela sunt, sicut et arbor expers est animalitatis. Decet nos mirari et laudare factorem.
20 Causa autem haec fuit: ut ostenderet hominibus virtutem suam punientem; et ideo arefecit ficum et suffocavit porcos.

*p. 15.

v. 23) *Tunc venit Iesus in templum... In qua potestate haec facis?* h. e. cathedram magisterii quis dedit tibi, et quis constituit te principem sacerdotum, ut sit tibi potestas docendi et
25 interpretandi?

v. 25) *Baptismus Iohannis undenam est?* Quam connexionem habet interrogatio Domini nostri cum interrogatione Scribarum et sacerdotum? Et dicimus: Maximam. Etenim si respondissent: E caelo, dixisset: Propter quid non credidistis Io-
30 hanni, qui de me praedicavit et (dixit) se non esse dignum solvere corrigias calceamentorum meorum? Si haec credidissetis, sciretis vos in qua potestate haec facio. Quin autem responderent: Ex hominibus est, timebant a turbis. Ubique enim Deum contemptui habebant. Sed cum vidissent interrogationem bifi-
35 dam esse, dolose dixerunt: *Nescimus.* Dominus autem noster non dixit: Et ego nescio, sed: *Nec ego dico vobis.* Propter malitiam eorum non respondit eis.

[1] Marc., xi, 20.

v. 28) *Quid enim vobis videtur? Homini cuidam erant filii duo;* hominem vocat Deum, filios autem populum et gentes. « Vinea » est observantia mandatorum ; « filius primus », gentes quibus dictum est ut in vinea laborarent, sed restiterunt et non abierunt. Novissime autem eas paenituit et iverunt, h. e. gentes postea crediderunt et receperunt Evangelium, et audierunt leges Dei. « Filius alter », Iudaei sunt qui dixerunt : « Ecce ego, domine mi », et non abierunt, h. e. acceperunt legem per Moysen, et promiserunt se audituros et servaturos (eam) ; * in fine autem calcaverunt et spreverunt mandata, et non obedierunt ei.

* p. 16.

v. 31) *Publicani et meretrices praecedent vos;* h. e. hereditabunt regnum Dei.

v. 32) *Venit enim Iohannes ad vos in via iustitiae;* h. e. in moribus optimis et sanctis, et non recepistis eum. *Publicani autem et meretrices crediderunt ei,* h. e. audierunt eum, et propter hoc praecedent vos. *Vos autem etiam cum vidissetis, non* [resipuistis] ; h. e. peius quam vos non credidisse in initio, est quod in fine non resipuistis nec mutati estis.

v. 33) *Homo quidam erat paterfamilias, et plantavit vineam;* hanc parabolam de populo israelitico instituit. « Homo » est Deus ; « domus », hic universus ; « vinea », populus israeliticus ; « regio pinguis », terra Palaestinae ; « surculi », duodecim tribus ; « sepes », lex et auxilia divina — etiam Michael, principem eorum, vocat sepem [1] — ; « torcular », sacrificia — altare est etiam baptismus in diversis modis — ; « turris », Ierusalem et templum, et altitudinem excelsam prophetiae vocat turrim ; « agricolae », sacerdotes et Scribae ; « profectio eius », longanimitas eius magna ; « tempus fructuum », tempus ab exitu eorum de Aegypto usque ad Dominum nostrum ; « fructus », observantia legum divinarum ; « servi primi », Moyses et Aaron et Hur ; « servi novissimi », reliqui prophetae. Christus servos vocat prophetas ; Isaias [2] autem denominavit eos nubes, quia per eos tanquam per nubes lucidas doctrinam suam effundebat. « Filius dilectus » est Christus. Bis et ter misit Christus servos, ut revelaretur philanthropia mittentis et malitia Iudaeorum. Quare non ab initio misit Filium suum, sed in fine? Ut,

[1] Cf. Dan., x, 13. — [2] Cf. Is., lx, 8.

dum culpant seipsos ob id quod in prophetas fecerunt, pudore afficiantur coram Filio quando veniet.

v. 37) *Fortasse pudebit eos ob filium meum;* vox *fortasse* tribus * modis dicitur: dubitative, affirmative, necessario; hic autem necessario dicitur. Non ignorans dicit: *fortasse,* sed ut ostendat magnum esse peccatum eorum vacuumque ab omni excusatione. Ipse autem, quia noverat eos interfecturos esse filium ipsius, misit illum. Hoc autem *fortasse* quod dixit hic, simile est illi quod dixit [1]: *forte audiant.* Sed quidam contemptores dicunt prophetiam causam necessitantem fuisse ut non audiant nec eos pudeat; et ideo utitur forma vocum illarum: fortasse et forte, etc.

* p. 17.

v. 38) *Hic est heres, venite, occidamus eum.* Cum oporteret eos necis prophetarum paenitere et veniam petere, peius quam primum fecerunt, quia necem filii ausi sunt. Et quasi cuidam retorquenti in illos: Quare occiditis eum qui fecit apud vos miracula et curavit infirmos vestros, responderunt: *Obtinebimus,* h. e. nostra erit hereditas eius. Si autem custodissent mandata eius, heredes et fratres facti fuissent, sicut dixit Paulus [2]. Alio modo, Mar Iacobus [3]: Praxis sacrificiorum hereditas erat filiorum Levi; et cognoverunt fore ut auferatur ipsis per Christum, et ordo spiritalis obtineat, et cessent ollae et fuscinae; ergo moriatur heres et procedat res sicuti erat.

v. 39) *Et eiecerunt eum extra vineam et occiderunt eum;* h. e. significavit quod extra civitatem paraverunt se ut occiderent eum, quod etiam fecerunt. *Extra vineam occiderunt eum,* h. e. extra Ierusalem crucifixerunt Filium. Rursus, *extra vineam,* h. e. contra legem Dei id fecerunt.

v. 41) *Dicunt ei: Pessime perdet agricolas.* Matthaeus dixit quod ipsi tulerunt iudicium; Lucas autem scribit [4] quod ipse decrevit quid passuri essent; nec alter alteri adversatur quia utrumque factum est: ipsi primum tulerunt iudicium, et ipse in eos iudicium tulit. Tunc cum cognovissent et dixissent: *Absit,* adduxit prophetam (testantem) [5] hoc omnino futurum esse. — * *Et vineam locabit agricolis aliis;* h. e. gentibus. Eas autem non aperte declaravit nec perfecte revelavit ne ullum praetextum daret illis.

* p. 18.

[1] Ier., xxvi, 3. — [2] *Rom.*, viii, 17. — [3] Iacobus Edessenus. — [4] Luc., xx, 16. — [5] *Ps.* cxvii, 22.

v. 42) *Non legistis... Lapidem...? Aedificantes* quidem doctores Iudaeorum vocat, sicut dixit Ezechiel[1]: *Vae illis qui aedificant parietem, non illis qui liniunt illum.* Reprobaverunt enim Filium quando dixerunt[2]: *Hic non est a Deo. — Hic factus est in caput anguli*; Christus est lapis verus; vocavit gentes et populum ut sint in ipso unum. *Et mirabile est in oculis nostris;* h. e. tam longe remoti erant alter ab altero, et nunc venerunt ad eum, et facti sunt cum eo unum per fidem. Rursus, mirabile est in oculis nostris quia egressi sunt operarii et ingressae sunt gentes.

v. 43) *Auferetur a vobis regnum;* h. e. sacerdotium et fides in Trinitatem. *Et dabitur;* h. e. gentibus quae dabunt fructus, h. e. opera spiritalia.

v. 44) *Et is qui ceciderit super lapidem hunc confringetur;* h. e. conteretur, frangetur, peribit. Duas perditiones dicit hic[3]: unam, quod omnis qui offenderit Christo peribit, et hoc est: *Omnis qui ceciderit super lapidem*, per offendiculum dubii de eo, *confringetur* et peribit; (alteram): *Et omnis super quem ceciderit disperget eum,* h. e. sicut ventilabro dispergitur palea. Hisce Dominus etiam resurrectionem suam innuit una cum poena quam dabunt, quia destruentur et peribunt omnino, et hoc est: *Omnis super quem ceciderit disperget eum.* Alio modo: Qui ceciderunt super lapidem adamantinum seu Filium sunt principes populi; dispergentur autem ab illo sectae et idola. Alii: Crucifixores et reges illum persecuti sunt, et conculcavit eos dum ipse immotus permansit.

v. 46) *Et quaesierunt tenere eum, et timuerunt.* Modo, cum retineretur in medio eorum, exivit nec visus est[4]; modo impedivit et cohibuit impetum eorum[5]; hic autem quia cohibebantur metu populi, * non fecit miraculum quo eriperet se ut crederetur oeconomia.

* p. 19.

[CAPUT XXII.]

v. 1) *Et respondit Iesus iterum per parabolas et dixit:* v. 2) *Assimilatum est regnum caelorum homini regi qui fecit con-*

[1] Cf. Ez., XIII, 10 et seq. — [2] IOH., IX, 16. — [3] Cf. IOHANN. CHRYS., *hom.* LXVIII, *in Matthaeum.* (*Patr. Gr.*, t. LVIII, col. 642). — [4] Cf. LUC., IV, 30; IOH., X, 39. — [5] Cf. IOH., XVIII, 6.

vivium. Haec parabola tempus post crucifixionem innuit, parabola autem vineae tempus ante crucifixionem. Haec ostendit quod postquam immolatus est vocavit eos ad convivium. « Regnum » est praedicatio nova; « homo », Pater; « filius eius », Christus; « servi eius », prophetae; « invitatores », Iudaei. « Convivium nuptiale » vocavit illud quia desponsavit sibi Ecclesiam, et « caenam » quia congregavit ad illud gentes. Rursus, *convivium nuptiale* vocavit regnum ut ostendat curam et amorem suum erga nos, sicut cura est servis convivii de convivio et de invitatis; iterum, propter gloriam negotii in quo non est qui affligat et contristet. Et Iohannes[1] et Paulus[2] sponsum vocant illum. Quare mulier desponsata est non ei, sed filio eius? Quia cum desponsatur Filio etiam Patri desponsatur, nam una est essentia Patris et Filii et Spiritus sancti. Similiter desponsatio est amborum.

v. 4) *Iterum misit servos alios;* h. e. Iohannem, et duodecim apostolos, et septuaginta duos praecones. *Prandium meum paratum est;* h. e. corpus et sanguis Domini nostri, qui oblatus est pro nobis. Prandium quidem appellatum est quia laetitia est in eo et plenum est suavitate. Qui facit prandium est Pater; amici autem, prophetae et apostoli; qui invitat, Filius; qui autem non conveniunt, Scribae et Pharisaei. « Caena » autem vocatum est quia in fine mundi facta est oeconomia, sicut caena in fine diei paratur. — *Tauri mei et saginata mea occisa sunt*; h. e. annuntiatio futurorum quia, post mortem eius, multi erunt * qui sanguine cervicum suarum ad convivium mittentur. Et ne (Iudaei) dicerent: Qui vocavit nos adversarius Dei est, et ideo non venimus, propter ea dixit: Pater fecit convivium. Et ipse est qui Iudaeos vocavit ante resurrectionem et post resurrectionem, et deinde gentes; ante resurrectionem sicut dixit[3]: *Missus sum ad oves perditas,* et post resurrectionem apostolis dixit initium praedicationis suae futurum esse ab Ierusalem[4], et Paulus[5]: *Vobis oportet loqui verbum Dei* etc. Gentes autem (vocavit) post resurrectionem per illud[6]: *Ite, docete gentes.* Deus enim noverat Iudaeos non audituros esse, et ideo vocavit eos, ut clauderet os eis et essent sine excusatione,

* p. 20.

[1] Cf. Ioh., III, 29. — [2] Cf. II *Cor.*, XI, 2. — [3] Matth., XV, 24. — [4] *Act.*, I. — [5] *Act.*, XIII, 46. — [6] Matth., XXVIII, 19.

et doceret nos adimplere omnia quae nostra sunt, etiamsi nemo sit qui commodum percipiat. Sanctus Cyrillus[1]: Qui vocavit, Pater; servus qui abit et vocat invitatos, Filius; Filius enim vocatus est servus quia formam servi sumpsit; primum vocavit scribas et legisperitos et principes; et quia isti se excusaverunt, vocavit pauperes et debiles et indoctos, h. e. apostolos qui facti sunt fortes per Christum; qui autem vocati sunt ex viis, publicani et meretrices, figura gentium. Apostolus enim quattuor vocationes posuit: unam per iustos, gentibus, et non obediverunt; secundam per prophetas, populo, et non audivit; tertiam, per apostolos, Iudaeis, et non obediverunt; quartam, per apostolos et doctores, gentibus, et obediverunt. *Omnia parata,* h. e. remissio peccatorum, donum Spiritus, regnum caelorum.

v. 5) *Illi autem spreverunt et abierunt, alius in villam suam;* h. e. qui cultura agrorum occupantur. *Alius ad negotiationem suam*; h. e. qui emptioni et venditioni dediti sunt. Lucas autem dicit[2]: *Quinque iuga boum accepi*: [h. e.] qui amore possessionum implicati sunt. * *Uxorem duxi,* [h. e.] qui voluptatibus corporis ardent. *Ille autem ad agrum suum,* h. e. quia homines tribus causis communibus occupantur: sive amore mulierum, sive possessione facultatum, sive amore bonorum mobilium et negotiationum, sive his omnibus simul. Ille qui emit villam, est : *Qui aedificavit domum, revertatur ut dedicet eam nec procedat ad bellum*[3]. Et ille qui ad iugum boum, est: *Qui plantavit vineam revertatur in domum suam*[4]. — *Uxorem duxi,* h. e. *qui desponsavit uxorem et non accepit eam,* revertatur a bello[5].

* p. 21.

v. 7) *Cum autem audivisset rex, iratus est, et misit exercitus suos;* h. e. exercitus Romanorum, cum Vespasiano, qui debellavit eos et incendio delevit civitatem eorum Ierusalem anno quadragesimo post crucifixionem; per hoc longanimitatem suam ostendit.

v. 8) *Tunc dixit servis suis:* apostolis, praeconibus. *Illi qui invitati, indigni;* h. e. Iudaei.

[1] Quoad sensum recitatur. Cf. *Comm. in Lucam,* sermo CIV (syriace); *Patr. Gr.,* t. LXXII, col. 436. — [2] Luc., XIV, 19. — [3] Cf. *Deut.,* XX, 5. — [4] Cf. *Deut.,* XX, 6. — [5] Cf. *Deut.,* XX, 7.

v. 9) *Ite ad exitus viarum;* vocationem gentium ante resurrectionem et post resurrectionem indicat.

v. 11) *Et ingressus est rex ut videret discumbentes;* ex eo loco ad gentes alludit in parabola, quia Dominus noster in re-
5 surrectione probabit discumbentes. *Hominem non indutum veste convivii nuptialis,* vocat christianum qui habet fidem veram, sed vacuus est ab operibus bonis. *Vestem* vocat opera sancta: ieiunium, orationem, puritatem, quia qui haec possident in regno laetabuntur. Vestes autem sordidae: adulterium, homicidium,
10 luxuria, etc., et qui haec possident, etiamsi habeant fidem veram, ad tenebras exteriores egredientur.

v. 12) *Ille autem obmutuit;* h. e. etiamsi peccatum alicuius notum sit et manifestum, tamen non punit eum donec is seipsum condemnet. Illud enim: *Obmutuit,* hoc est: Ipse ostendit
15 seipsum reum et dignum supplicio.

v. 13) *Tunc dixit rex ministris;* h. e. angelis; hi enim praeficiuntur * ministeriis eiusmodi. — *Tenebras exteriores;* h. e. *p. 22. supplicium durum et caliginem densam. — *Ibi erit ploratus*; ploratum vocat supplicium; *stridor dentium,* quod gravius
20 est ploratu. Rursus, quod quis in conscientia sua torquetur, et gemitus amaros, vocat *stridorem dentium.* Quemadmodum enim in regno mansiones multae sunt, ita et in gehenna.

v. 14) *Multi vocati;* ii qui vocati erant ad convivium; *pauci autem electi*; ii qui cum vestibus splendidis, h. e. ope-
25 ribus bonis ac sanctis ingressi sunt in convivium una cum fide vera.

v. 15) *Tunc abierunt Pharisaei, ceperunt consilium.* Cum enim Iudaei a captivitate reversi fuissent, subditi facti sunt Romanis inviti et pendebant tributum. Romani autem stude-
30 bant officia et festa Iudaeorum abolere; quod notum est ex eo quod Pilatus, tempore Tiberii et Gaii imperatorum, cum voluisset imaginem Caesaris in templum introducere, multos ex Iudaeis occidit. Tempore autem Tiberii terra Iudaeorum in quattuor partes divisa est, sicut dixit Lucas[1], et unusquisque ex
35 principibus tetrarcha appellabatur. Eo tempore Pharisaei, qui profitebantur se legem bene discernere et cognoscere, — nam

[1] Luc., III, 1.

Pharisaeus lingua hebraica interpretatur « qui secat et separat », h. e. sectio et separatio —, populum docebant rebellare adversus Romanos et non solvere tributum, et testimonium adducebant ex Moyse qui dicit[1]: *Vos pars Domini estis*, et ex Isaia[2]: *Dominus est princeps vester*, nec intellegebant aliud esse ducem voluntarie sibi constituere, et aliud se, cum peccavissent, subiici eis qui meliores erant ipsis. Ex hac secta Pharisaeorum erat Iudaeus Galilaeus[3]. Herodes autem tetrarcha, qui Galilaeus erat, cum Iudaeorum misereretur, hortabatur eos ne audirent Pharisaeos, * sed ut penderent Romanis tributum quod lingua romana vocatur « census », h. e. recensio, neque rebellarent. Quidam autem ex Iudaeis, consilium eius secuti, pendebant tributum; hi appellabantur Herodiani, et hoc initium fuit pecuniae capitationis. Alii dixerunt: Herodianos vocat milites Herodis; sed non recte dicunt, quia Herodes praeerat Galilaeae, et haec interrogatio in Iudaea facta est. Ergo Herodianos vocat eos qui consilium Herodis sequebantur. — *Ceperunt consilium;* a quo ceperunt consilium? A domesticis Herodis, quia Pharisaei et Herodiani inter se diversi erant super festis et legibus. — *Quomodo caperent eum in sermone;* ideo quidam ex utraque parte ad eum venerunt.

* p. 23.

v. 16) *Et viam Dei in veritate;* non recta cogitatione dixerunt haec, sed blande ut caperent eum. *Neque sustines curam hominis;* h. e. Caesaris et Pilati et Herodis, h. e. non respicis personam eorum.

v. 17) *Quomodo videtur tibi?* Non dixerunt: Quid bonum aut quid utile? sed: *Quid videtur tibi?* ut per hoc condemnarent eum. *Licet dare pecuniam capitationis Caesari an non?* Dolose interrogaverunt eum; etenim si responderit: Ita; Pharisaei accusabunt eum et dicent: Adversarius est legis et facit nos subiectos hominibus, non Deo; sin autem responderit: Non; Herodiani et milites Pilati eum apprehendent et tradent praesidi tanquam rebellem in Caesarem, quamvis dedisset didrachma. Verumtamen animadverte malitiam doli.

v. 18) *Iesus autem cognovit cogitationes eorum*, sicut dixit David[4]: *Quoniam ipse cognoscit cogitationes cordis.* — *Quid*

[1] *Deut.*, XXXII, 9. — [2] Cf. Is., XXXIII, 22. — [3] Cf. *Act.*, V, 37. — [4] Cf. *Ps.* XLIII, 22.

tentatis me? h. e. per hoc patefecit abscondita in corde eorum. *Hypocritae,* h. e. dure loquitur cum eis; quia unum erat in ore eorum * et aliud in corde eorum. * p. 24.

v. 21) *Date quae sunt Caesaris Caesari;* h. e. denarium, in
5 quo est imago Caesaris, date Caesari; animam autem, quae est imago Dei, date Deo, cognoscendo eum et servando mandata eius. Dicendo: *Date quae sunt Caesaris Caesari,* statuit regulam ut subditi simus regi. Possibile quidem est ut regibus tributum et Deo famulatum, qui ei debetur, in puritate cordis reddamus.
10 Rursus, quia vidit animas eorum non portantes imaginem Dei, sed plenas esse inscriptionibus Caesaris spiritalis (seu) diaboli, dixit: Si servatis animas vestras Deo in puritate, imago eius estis; sin autem inscriptiones Caesaris spiritalis (seu) diaboli portatis in animabus vestris, date ei vestrum famulatum et
15 servitium, neque rogetis Deum cuius imaginem non portatis.

v. 23) *Illo die accesserunt Sadducaei.* Iosephus dicit [1] post reditum de Babylone Iudaeos in septem sectas divisos esse: Pharisaeos, Sadducaeos, Essenos, Ananitas, Herodianos, de quibus loquuti sumus in expositione baptismi. Sadducaei quidem de-
20 nominati sunt e nomine Zadoq, doctoris sui, et persecutionem moverunt adversus Evangelium, et tumultuati sunt in Iacobum, fratrem Domini, et occisus est, et auctores fuerunt cur gens David a Romanis inquireretur et occideretur. Recipiunt autem, sicut Samaritani, quinque libros Moysis, sed non assentiuntur
25 prophetis et dicunt Spiritum sanctum non existere, et resurrectionem, angelos et reliqua invisibilia negant. Pharisaei vero resurrectionem confitentur, sed dicunt post resurrectionem esse cibum et potum et nuptias. Sadducaei autem, cum vellent Pharisaeos probro afficere, adduxerunt historiam mulieris uxoris
30 septem virorum quae mortua est absque liberis: cuinam ex viris erit si erunt nuptiae? * omnibus promiscue an uni contumeliose? * p. 25.

v. 25) *Erant apud nos fratres septem;* finxerunt quaestionem sperantes difficultatem de resurrectione mortuorum
35 ei iniicere. Et patet quaestionem non esse veram; nam quartus et quintus, cum vidissent fratres suos mortuos esse, illam in

[1] Quae Iosepho adscribit auctor, non ex operibus scriptoris, sed ex quodam compendio deprompsisse videtur.

uxorem non sumpsissent. Iudaei enim abhorrebant habitare cum muliere virorum interemptrice; exempli gratia Thamar[1], quae cum ab ea fugerent, coacta est dolose prolem de Iuda suscipere, et Ruth[2] Moabitis quae a cognato remoto ducta est; ergo quaestio non est vera.

v. 32) *Ego sum Deus Abraham;* non dixit: Fui olim Deus Abraham, sed: Ego sum Deus vester hodie, ostendens fore ut resuscitentur. *Et Deus nequaquam est mortuorum;* h. e. non eorum qui mortui sunt et iam corrupti sunt et amplius non resurgent, sed eorum, qui etsi mortui sunt, tamen vivi sunt propter promissiones resurrectionis; quemadmodum Adam, die quo comedit fructum, etsi vivus erat, tamen reputabatur mortuus propter sententiam. Rursus, non dicitur Deus eorum quae non sunt, sed eorum quae sunt. Etenim si non esset resurrectio mortuorum, et ii, qui mortui sunt et corrupti sunt, non resurgerent, non dixisset: *Ego sum Deus Abraham.* Utramque sectam evertit: sectam Pharisaeorum dicendo: In resurrectione mortuorum non manducabunt neque matrimonio iungentur; sectam autem Sadducaeorum dicendo: *Ego sum Deus Abraham,* h. e. oportet vos discatis esse resurrectionem ex eo quod dixit: *Ego sum,* de iis qui iam mortui sunt, et iterum quia vocat seipsum Deum eorum. Et quomodo dicat hic: *Deus nequaquam est mortuorum, sed viventium,* et in alio loco dicat[3]: erit Dominus viventium et mortuorum? Quia hic * mortuos vocat eos qui suscitandi sunt; illic autem eos qui statim non prorsus resurgunt.

* p. 26.

v. 33) *Stupebant super doctrina eius;* non Sadducaei, sed simplex turba.

v. 35) *Et interrogavit eum unus ex Pharisaeis, peritus legis:* (v. 36) *Quodnam est praeceptum quod maximum est in lege?* Tentatoris modo interrogavit eum, sperans fore ut in aliquo capiat illum, quatenus seipsum faciat Deum.

v. 37) *Diliges Dominum Deum tuum;* exspectabat autem eum dicturum ipsi: Hoc praeceptum maximum est ut confitearis me esse Deum; ideo dixit: *Diliges.*

v. 39) *Secundum, quod simile est illi: Diliges proximum tuum,*

[1] *Gen.*, XXXVIII. — [2] *Ruth*, III. — [3] Cf. *Act.*, X, 42; *Rom.*, XIV, 9.

h. e. proximum naturae tuae seu hominem, quia hoc viam illi praesternit. Quomodo? Quia qui non amat fratrem suum, neque Deum amat; qui autem diligit Deum etiam homines diligit, sicut dixit Petro[1]: « Si diligis me, pasce mihi oves meas ».
v. 40) *In his duobus praeceptis pendet lex et prophetae;* si amare Deum est amare proximum, et amare proximum observantiam mandatorum procurat, merito dixit: *In his duobus praeceptis pendet lex et prophetae.* Rursus, legis et prophetarum finis est ut homines non peccent: qui autem amant Deum et homines, iustificantur. Praeterea, *in his duobus,* quia uno prohibetur peccatum et altero colitur iustitia. In hoc: *Diliges Dominum,* includitur omnis iustitia, et in illo: *Diliges proximum tuum,* omne peccatum prohibetur. Marcus autem subiungit[2]: *Non es longe a regno,* h. e. per hoc ostendit eum hucusque longe fuisse, ut petat id quod deest. In initio sicut tentator accessit, ut dixit Matthaeus. *Cum vidisset Iesus eum sapienter respondisse: Diligere proximum maius est quam holocausta,* et ita sprevisse sabbatum et sacrificia animalium, ideo respondit: *Non es longe * a regno;* et laudavit eum, sicut dixit Marcus. Et cur laudavit eum qui dixit praeter Patrem non esse Deum? Sed quia nondum erat tempus revelandi divinitatem eius, laudat illum et relinquit in prima hac doctrina, ut eum ad doctrinam novam aptum faceret et adduceret eum in tempore suo. Rursus, in veteri Testamento et ubique, illud: unus Deus, non ad exclusionem Filii dictum est, sed ad distinctionem idolorum quae non sunt dii; et quia Christus noverat mentem eius hanc sententiam tenere, propter hoc laudavit illum. — Mattheus:

* p. 27.

v. 41) *Cum congregati essent Pharisaei... Quid dicitis de Christo? Cuius filius est?* Per hoc voluit adducere Pharisaeos ad confitendum ipsum esse Deum, sicut et Pater Deus est. Et quia in proximo erat ut ad passionem veniret, adduxit testimonium David qui praedicat eum esse Deum. *Dicunt ei: Filius David;* non recte responderunt; etsi enim est filius David quia factus est homo, tamen est Deus; illi autem tanquam hominem simplicem eum habebant.

[1] Cf. Ioh., xxi, 17. — [2] Marc., . i, 34.

v. 43) *Quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum?* Per hoc ostendit eum esse Deum sicut dixit alicubi[1]: *Non est Deus praeter Dominum.* Et ne putaretur (David) vocavisse eum Dominum inconsulto aut sententia humana, subiunxit: *In Spiritu sancto vocavit eum.* (v. 44) In psalmo cx: *Dixit Dominus,* h. e. Pater, *Domino meo,* h. e. Domino Christo: *Sede a dextera mea donec ponam;* h. e. non tantum ex mirabilibus ostendit eum esse Dominum, sed etiam ex terribilibus.

v. 45) *Si igitur David vocat eum Dominum;* non dixit alium esse filium David et alium esse Dominum David, sicut Chalcedonenses diphysitae falso opinantur, sed eundem dixit Dominum David et filium: Dominum quidem eius quia est Deus, filium autem eius * quia factus est homo. (* p. 28.)

v. 46) *Et nemo potuit dare ei responsum.* Os eorum occlusum est, h. e. quia duo nomina « Dominus » et « Dominus meus » per nomen ineffabile, h. e. per nomen Iahweh scripta erant. Moyses in lege statuerat, tanquam in honorem Dei, ut nomen ineffabile characteribus specialibus scriberetur neve hoc nomen lingua sua volverent. Et cum mediis lineis scriptum est ΠΙΠΙ[2], syriace ιhιι, quod est nomen ineffabile, iterum summa pagina seu margine scribunt Adonai, h.e. Dominus meus, et cum perveniunt ad hoc nomen ineffabile seu absconditum, non pronuntiant hos quattuor characteres ιιιιι ore suo, neque aliud cum illis scribunt praeter nomen Dei, sed eius loco legunt Adonai, aut nomen aliud Dei. Nonnulli autem dicunt: Symmachus hoc nomen ineffabile mutavit et eius loco posuit « Dominus » et « Dominus meus », ita ut legeretur: Ne'um Iahowah adonai ladoni šōb bimin[3], h. e. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextera mea.* Et pro « virgine » interpretatus est « puellam »[4], et pro illo: *occidetur Christus*[5], « deficiet ».

[CAPUT XXIII.]

v. 1) *Tunc loquutus est Iesus cum turbis et cum discipulis suis. Tunc:* Quando? h. e. tempore quo reprehendit eos ne amplius auderent tentare eum.

[1] Cf. II *Reg.*, xxii, 32. — [2] Sunt litterae hebraicae nominis Iahweh, signis deformatis exaratae. — [3] Sic codd. corrupte — [4] Is., vii, 14. — [5] Dan., ix, 26.

v. 2) *Super cathedram Moysis sederunt;* h. e. in loco Moysis docebant * alios legem. Rursus, *Scribae et Pharisaei* Moysis doctrinam docent; quia propter mores suos indigni erant ut eorum verba accipiantur, ex cathedra Moysis fit ut accipiantur. Et vide quod, etsi non puri sunt moribus suis, non deiicit eos ab honore eorum.

* p. 29.

v. 3) *Quidquid igitur dixerit vobis ut servetis, servate;* h. e. non universam legem, sicut distinctionem ciborum et victimarum et observantiam sabbati, sed ea quae ducunt homines ad mores bonos et removent a lege et coniungunt novo (testamento), sicut illud: *Dilige Dominum Deum tuum,* et: *Non occides,* et: *Non moechaberis,* etc. Hisce ostendit consensum suum cum Patre suo et assensum suum legi; nec lex novi (testamenti) praecipitur nisi ex Moyse, quia ante crucifixionem non fuit tempus haec interpretandi. Quia reprehensurus est Iudaeos, ne putetur honorem eorum appetere et propter odium haec dixisse, amovet hoc, et reprehendit eos, ut turbas moneat ne fiant similes eis. — *Secundum opera autem eorum ne faciatis;* per hoc ostendit eos doctores malos et corruptores. Etiam adiunxit et tribuit eis honorem Moysis coram turbis, ne surgant adversus eos et penitus despiciant eos. — *Dicunt enim et non faciunt;* haec reprehensio neglegentiae est; dicunt enim aliis ut legem servent dum ipsi non servant nec faciunt.

v. 4) *Ligant onera gravia;* h. e. praecepta difficilia legis, aut traditiones suas ineptas .*Et imponunt humeris;* reprehensionem audaciae et nequitiae eorum innuit. *Ipsi autem ne suo quidem digito;* non dixit: non possunt, sed: *nolunt;* nec dixit: portare, sed: digito suo ne tangere quidem, quod maxime impium est.

v. 5) *Dilatant enim phylacteria sua.* Decem praecepta, * a Deo dicta, scribebant in libellis quos cervicibus suis appendebant, sicut etiam nunc Christiani Evangelium. Alii: phylacteria, id est φυλακτήριον, « custodiens ». Deus praecepit ut mirabilia et praecepta ipsius in libellis scriberent et brachiis suis appenderent, ut semper memores essent ipsius. Alii: Phylacteria vocat laminas aureas quas faciebant et ponebant inter oculos suos ab extremitate unius supercilii ad extremitatem alterius; et in ea (lamina) scriptum erat nomen Dei et decem praecepta, ut cognoscerentur esse custodes praeceptorum, et fa-

* p. 30.

ciebant eam ita amplam ut totum supercilium amplecteretur, et in hoc gloriabantur; *dilatabant phylacteria sua* seu laminas. Nec adorabant proni in oculos suos propter honorem scriptionis in lamina, sed in unum latus supercilii prope genam. *Et producunt fimbrias palliorum suorum;* fimbrias vocat ornamenta plexa in oris palliorum eorum, quae sunt fila coccinea et caerulea seu livida; et praecepit eis ut consuerent ea in palliis suis apud collum et apud pedes in memoriam, ne obliviscerentur opera Dei et ut custodirent leges eius, sicut quidam in digitis suis fila ligant in signum, ne obliviscantur id quod quaerunt. Non quod appendant sibi phylacteria et fimbrias reprehendit, sed quod dilatent et producant, quod est ratio amoris gloriae.

v. 6) *Et amant primos accubitus in caenis;* etsi viles sunt, tamen pleni sunt superbia; si illud *amant* reprehensibile est, quanto magis reprehensibile illud *faciunt!*

v. 8) *Vos autem ne vocemini rabbi, quia unus est magister vester;* h. e. ego. Et iterum: Vos omnes fratres estis, nec quispiam plus habet quam * socius suus, sicut dixit Paulus[1]: *Quis est Cephas, et quis est Apollo, nisi ministri?* Et vide quod non dixit « magistri ». Illud: *Ne vocemini rabbi,* patres, doctores, duces, non de nomine monet, sed de cogitatione et consilio, et ut tanquam fratres concordiam ament et non studeant fieri caput fratrum suorum.

v. 9) *Et patrem ne vocetis in terra;* non ut non vocent dixit, sed ut cognoscant eum qui proprie est Pater et habitat in caelo, qui est causa omnium patrum et magistrorum.

v. 10) *Quia unus est dux vester, Christus;* illud *unus* etc., non excludit Patrem esse ducem; similiter illud: *unus est magister vester, Christus,* non excludit Patrem esse magistrum. Haec enim verba: *Unus est,* et: *Ipse solus,* et alia similia, ad distinctionem hominum et creaturarum dicuntur in Scripturis, non de separatione Filii a Patre, ut dicunt Ariani.

v. 11) *Ille autem qui maior est inter vos erit minister;* bonum est modestum esse et humiliari; quapropter frequenter memorat humilitatem exaltandam esse.

v. 13) *Vae vobis, Scribae et Pharisaei;* dat eis vae, accusans

[1] I *Cor.*, III, 4.

* p. 31.

eos et monens auditores ne eos imitentur. — *Comeditis domos viduarum;* accusat eos aviditatis; et, quod gravius est, quod avide se gerebant non in divites sed in viduas. *Qua de causa producitis orationcs vestras;* h. e. omnis qui facit malum dignum est supplicio; ille autem qui etiam praetextum malitiae sumit ex orationibus et castitate ad supplicium multo peius condemnabitur.

v. 14) *Quia clauditis regnum;* h. e. sicut homo qui claudit ostium. Opprimere autem et prohibere quominus quis ingrediatur, pessimum est. *Et illos qui intrant;* h. e. illos qui apti sunt non sinitis (intrare). Cum enim iussa * aliis darent, onera gravia imponebant, h. e. leges duras, dum ipsi has non observabant. Rursus: *Clauditis regnum,* h. e. si illi credidissent in eum, etiam omnes turbae credidissent in eum, quia ab eis pendebant. * p. 32.

v. 15) *Quia circumitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum;* h. e. quemdam peregrinum, extraneum, advenam qui fiat discipulus eorum; dicit: Sexcentis laboribus capitis unum extraneum ad confessionem vestram. *Et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennae*; h. e. et cum vi captus fuerit et factus fuerit sicut vos, eum facitis multo peiorem vobis per mores abominandos; cum enim discipulus videt malos magistros peior fit; facile enim est malum. — *Duplo magis quam vos;* duplex supplicium patiemini quia vosmetipsos filios gehennae facitis, et illum sicut vos.

v. 16) *Vae vobis, ductorcs;* h. e. eos reprehendit quia non apti sunt ut erudirent multos, sed multo labore indigent ut vel unum ducant et [illegible]n, quia magistri malitiae facti sunt ei qui ductus est. Rursus, *ductores cacci*; si enim caecus putat se non indigere duce, malum est; rursus, quod quis, dum caecus est, velit alios ducere, valde difficile est; et ideo vocavit eos caecos. Rursus, quia, dum requisita non cognoscunt, profitentur se alios docere.

v. 19) *Quid enim maius est? oblatio an altare quod sanctificat oblationem?* h. e. Quomodo nescitis altare maius esse oblatione? Quando enim, id quod offertur positum est super altare, tunc putamus id sanctificatum esse. Oblationem hic vocat vasa ministerii quae ex auro et argento conflantur et deinde offe-

runtur, quae, cum posita fuerint super altare, tunc reputantur
* p. 33. a nobis sancta; * haec quidem secundum vetus testamentum. Mysterium autem novi testamenti, quod apud nos est, aliquid aliud est quam vasa in quibus ponitur; id nempe quod perfectum et factum est typus corporis Christi, immo ipsum corpus verum, multo honorabilius quam altare, quod est typus sepulcri Filii.

v. 23) *Quia decimatis mentham*; h. e. sumitis decimam partem menthae, etc., et non legem in hoc servatis, sed vectigalia vestra accipitis. *Et omisistis gravia legis,* h. e. iudicium, misericordiam, iustitiam, philanthropiam, veritatem, fidem. *Haec oportebat facere,* h. e. *iudicium et misericordiam et fidem;* — *et illa non omittere,* h. e. decimare mentham, etc.

v. 24) *Qui excolatis culices,* h. e. purificationes corporales; et culices (sunt) res corporis. *Et deglutitis camelos;* h. e. purificationes animae, et iudicium et misericordiam. Et habetis, inquit, curam de his minimis et contemnitis maiora, h. e. res animae. *Excolatis,* h. e. facitis; *deglutitis,* h. e. contemnitis.

v. 25) *Quia mundatis exteriorem partem calicis;* corpus vocat exteriorem partem calicis. *Paropsis,* h. e. patena. — *Intus autem plena sunt*; animam eorum appellat « intus », h. e. curam habetis de purificationibus corporalibus, dum in anima vestra pleni estis iniquitate et rapina.

v. 27) *Quia similes estis sepulcris dealbatis,* h. e. foris videmini iusti. *Intrinsecus autem plena sunt ossibus mortuorum;* h. e. iniquitate et amore gloriae et hypocrisi. — Lucas autem dicit [1]: *Qui estis sicut sepulcra quae sunt ignota,* h. e. vident vos foris esse iustos dum intrinsecus estis iniqui.

v. 29) *Qui aedificatis sepulcra prophetarum*; h. e. non quia aedificatis, aut culpatis patres vestros, sed quia peius quam
* p. 34. * patres vestri facitis. Non enim in honorem prophetarum aedificabant sepulcra, alioquin non culpasset illos, sed ut colerent caedem quam fecerant patres sui; aedificabant autem illa ne forte decursu temporis, destructis sepulcris, evanesceret memoria caedis iniquae quam fecerant patres eorum.

v. 30) *Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum;*

[1] Luc., xi, 44.

h. e. etsi culpatis patres vestros, tamen haec non est vestra opinio.

v. 31) *Itaque testamini de vobismetipsis;* h. e. nulla reprehensio est filio patris mali nisi sociatus fuerit consilio eius; et evidens est quod propter affinitatem eorum in malitia culpat filios.

v. 32) *Et etiam vos implete mensuram patrum vestrorum;* h. e. caedes et mors mea desunt expletioni malitiae patrum vestrorum, et per vos consummabitur caedes mea. Et ostendit eos esse mendaces quia, si dominum occident, quanto magis servos!

v. 33) *Serpentes, progenies viperarum;* quemadmodum serpentes similes sunt viperis in veneno noxio, ita et vos patribus vestris quantum ad caedem. Illi enim prophetas occiderunt, vos autem dominum prophetarum (occidetis); quapropter non effugietis iudicium et supplicium gehennae.

v. 34) *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas:* prophetas vocat eos qui sunt sicut Agabus[1], etc.; *sapientes* autem, illos quos memorat Paulus[2]: *Est cui datur sermo sapientiae;* iterum *scribas,* illos qui acceperunt donum et interpretati sunt Scripturas, qui denominati sunt doctores a Paulo[3], una cum multitudine prophetarum et apostolorum qui hoc tempore fuerunt. Ne dicant: Etsi Filium crucifiximus, tamen a prophetis longe sumus nec occidimus (eos). Arguit eos mendacii, eo quod flagellaverunt et occiderunt prophetas et sapientes qui eo tempore fuerunt.

v. 36) *Ut veniat super vos omnis sanguis iustorum * qui effusus est*; illud: *ut,* non tanquam causam ponit, sed secundum morem Scripturae. Si quis dixerit: Etsi peccaverunt, iustum non est ut veniat super illos sanguis iustorum; dicemus: Neque ipsi poenas dabunt ob iustos quos alii occiderunt, sed quia, post multos qui peccaverunt, ipsi non facti sunt meliores, sed impie egerunt; ideo rei sunt, secundum illud[4]: *Retribuens delicta patrum in filios;* et etiam Lamech dixit[5]: Caino septuplum rependetur, mihi autem septuagies, quia non factus sum melior ex exemplo Caini. Ergo illud: Ut veniat super eos, hoc est:

* p. 35.

[1] Cf. *Act.*, XXI, 10. — [2] I *Cor.*, XII, 8. — [3] I *Cor.*, XII, 28. — [4] Cf. *Num.*, XIV, 18. — [5] *Gen.*, IV, 24.

Sententias et poenas maiores et duriores quam illi accipient quia occiderunt dominum prophetarum. — *A sanguine Abel;* memoravit Abel ut ostenderet etiam hanc caedem ex invidia factam fuisse. — *Zachariae;* nonnulli dicunt: Fuit unus ex duodecim prophetis. Alii: Erat sacerdos quidam et appellabatur duobus nominibus, Zacharias et Iudas. Alii: Erat unus de filiis Ioiadae sacerdotis [1], et una cum fratribus suis occisus est a Ioas rege, qui pro multis beneficiis quae viderat ab illo (Ioiada) talia rependit filiis eius. Sanctus Severus: Erat pater Iohannis Baptistae; et evidens est consilium Salvatoris nostri fuisse ut congregaret super Iudaeos sanguinem iustorum ab initio usque ad diem quo loquutus est; et Zacharias propheta non occisus est, sed tempore Theodosii, nepotis Theodosii magni, corpus eius per revelationem inventum est integrum quasi heri sepultum fuisset, et aedificatum est ei templum in regione Eleutheropolis.

Lucas dixit [2]: *Propterea etiam sapientia Dei dixit: Ecce ego mitto ad eos prophetas.* Illud itaque *sapientia dixit,* aut reproducit Matthaei verbum quod Christus, sapientia Patris, loquutus est: *Ecce mitto* etc.; aut pro * « decuit » dicitur « dixit » [3], secundum morem Scripturae: *Dixit Dominus: De medio dentium auferam* [4]; et: *Dixi: Custodiam viam meam* [5]; et: *Dixi: Vivo in aeternum* [6], quae non verbis labiorum dicuntur, sed sunt congruentia. — Matthaeus:

v. 36) *Venient haec omnia super generationem;* generatio haec quae vidit multos qui peccaverunt et dederunt poenas, et non melior facta est, sed magis quam illi peccavit; et ideo vindicta multo durior quam vindicta illorum veniet super eam.

v. 37) *Ierusalem, Ierusalem;* iteratione nominis miseretur eius, et increpat eam, et diligit eam, et exspectat conversionem eius. Per civitatem ad incolas loquitur. — *Occidens prophetas et lapidans*; illo rursus exponit: Neque, cum haec faceres, mea de te sollicitudo longe facta est. — *Sicut congregat gallina:* hoc exemplo ostendit eos semper per peccata sese ex-

[1] II *Par.*, XXIV, 22. — [2] Luc., XI, 49. — [3] Sensus videtur esse « congruenter fingitur dixisse ». — [4] Cf. *Zach.*, IX, 7. — [5] *Ps.* XXXVIII, 2. — [6] *Deut.*, XXII, 40.

trudere. Haec autem avis pullos suos multum fovet; Moyses[1] et David[2] imaginem alarum in verbis suis adducunt qua curam divinam ostendant. *Sed non voluistis;* ubi sunt qui liberum arbitrium auferunt? *Non voluistis,* ait; restiterunt enim libera sua voluntate voluntati divinae.

v. 38) *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta,* h. e. vacua ab auxilio meo. Quia ipse monuerat eos, nunc eos punit propter impietatem eorum.

v. 39) *Non videbitis me ex nunc donec dicatis;* diem adventus sui secundi innuit hic. Quid ergo? Ex eo tempore non viderunt eum? Utique (viderunt). Sed illud *nunc* non horam qua hoc verbum dixit, vocat, sed totum tempus ab hoc momento usque ad crucifixionem. Et usus est verbis: *Benedictus est qui venit,* ut ostenderet se cum Patre suo consentire nec esse adversarium legis, quia prophetae illis usi fuerant. Ergo Iudaei, in adventu secundo, dicturi sunt: * Benedictus est qui venit in nomine Domini, etsi nullum fructum ex hoc percepturi sint sicut neque ii quos tunc paenitebit operum. * p. 37.

[CAPUT XXIV.]

v. 1) *Et egressus est Iesus a templo ut abiret, et accesserunt discipuli eius, ostendentes ei aedificium;* h. e. quia dixerat: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta,* turbati sunt et dubitaverunt quomodo pulchra aedificia huiusmodi destruerentur, et ideo accesserunt ostendentes ei, non quod non videret illud, sed ut traherent eum ad misericordiam, ne destruerentur templum et civitas, sicut dixerat de vastatione eius.

v. 2) *Amen, amen dico vobis: Non relinquetur;* hoc adimpletum est primum per Aelium Hadrianum Caesarem, qui abduxit lapides murorum civitatis, et proiecit illos in lacum Sodomae, et excidit alios lapides de monte, quibus reaedificavit illam, et vocavit illam nomine suo Aeliopolim. Postea autem eversa est et diruta ab Iuliano. Hic enim, ut mentiri faceret verbum Domini nostri: *Non relinquetur hic lapis super lapidem,* suasit Iudaeis ut reaedificarent illam et etiam templum

[1] *Deut.*, XXXII, 11. — [2] *Ps.* XVI, 8.

quod eversum fuerat ab Hadriano. Postquam autem Iudaei everterunt templum ut firmarent structuram eius, quidquid fodiebant in die in nocte absque manibus humanis implebatur; nec cessarunt donec ignis de fundamentis exarsit et devoravit multos ex eis.

v. 3) *Et cum sederet Iesus super montem;* h. e. tempore quieto et turba remota. — *Dic nobis quando haec fient;* putaverunt enim uno tempore haec omnia simul futura esse: excidium civitatis et templi, adventum eius et consummationem omnium. *Et quodnam erit signum adventus tui?* Hinc usque locum ubi dicit: *Si quis dixerit * vobis: Ecce hic est Christus,* de excidio Ierusalem per Vespasianum et Titum, filium eius, loquitur. — *Quodnam erit signum?* h. e. diem adventus sui non revelavit eis, non quidem ignorans — vide ultra [1] — sed quia non proderat eis scire, neque nobis: primum ne fiamus neglegentes et remissi si longinquus sit; et alterum, quia non revelando fecit nos timoratos et studiosos virtutis. Quapropter consummationem communem non indicavit, neque mortem propriam uniuscuiusque nostrum nobis annuntiavit.

* p. 38.

v. 4) *Cavete ne quis seducat vos;* hortatur illos ut sint vigilantes et studiosi.

v. 5) *Multi venient in nomine meo;* h. e. prophetae falsi et pseudochristi. — *Et multi seducentur;* h. e. abripientur et adhaerebunt illis.

v. 6) *Audituri estis praelia*; h. e. bella et praelia quae evenerunt a Romanis contra Ierusalem. *Videte ne turbemini*; h. e. ne timeatis quando haec omnia super Iudaeos venient. *Sed nondum finis*; dixerat enim Iudaeis: *Non videbitis me usquedum dicatis: Benedictus qui venit in nomine* (*Domini*), et apostoli putaverunt una cum eversione civitatis etiam finem futurum esse mundo; quae ut corrigat dicit: *Nondum finis.*

v. 7) *Consurget enim gens*; h. e. initium calamitatum quae super Iudaeos (venient) dicit. *Et erunt fames*; h. e. in Iudaea. *Et terraemotus variis in locis*; h. e. per hoc ostendit terraemotus et tremores non in omni loco fieri.

v. 9) *Tunc tradent vos in afflictiones*; de malis, quae apos-

[1] Cf. infra, ad caput XIII Marci.

toli deinceps passuri sunt loquitur. *Propter nomen meum;* non autem quod viderint in vobis mores reprehensibiles.

v. 10) *Tunc scandalizabuntur multi*; h. e. Iudaei alter in altero, *et odio habebunt alter alterum.*

5 v. 11) *Et multi pseudoprophetae surgent;* h. e. illi de quibus Paulus queritur, qui surrexerunt a Iudaeis, quosque vocat fratres falsos[1] et operarios * dolosos[2]: « Erit bellum ex falsis fratribus et ex seductoribus ».[3] * p. 39.

v. 12) *Et propter multitudinem iniquitatis tepescet* [*caritas*]*;* 10 h. e. refrigescet. Propter multitudinem iniquitatis unius in alterum tepescit et refrigescit caritas unius erga alterum.

v. 13) *Qui sustinuerit*; h. e. ne remissi fiant propter mala quae venient super Iudaeos, confortat eos, quia si sustinuerint salvi erunt, et crinis eorum non peribit sicut dixit Lucas[4]; 15 et (confortat eos) ex hoc quod praedicaturi sunt Evangelium in universo mundo.

v. 14) *In testimonium universo mundo*; h. e. in reprehensionem et accusationem, quia gentes, quae crediderunt, condemnabunt Iudaeos qui non crediderunt. — *Tunc veniet consum-* 20 *matio,* post praedicationem Evangelii in universo mundo. In fine anni quadragesimi post crucifixionem, tunc consummabitur vastatio Ierusalem; *consummatio*: ruinam Ierusalem hic vocat.

v. 15) *Cum videritis signum abominabile*; h. e. quia clamaverant in Paschate, in quo passus est Christus: *Non est nobis* 25 *rex nisi Caesar*[5], Pilatus imaginem Gaii Caesaris, qui regnavit post Tiberium, noctu in templum introduxit, et exegit ab eis: Si verum est verbum vestrum, adorate imaginem hanc, sicut ceteri populi qui sunt sub potestate Caesaris; propter hanc imaginem, quam vocat *signum,* incepit seditio nec cessavit ab 30 eis usque ad incendium et vastationem completam. Alii dicunt: Imaginem aquilae in templum introduxit. Alii: Pilatus caput porci in templum introduxit. Mar Ephraem: *Signum*, h. e. vexillum, in quo depicta erat aquila, imposuit hastae et introduxit in templum. Alii: *Signum*, h. e. statuam seu imaginem eius 35 qui ceperat urbem, in templo posuit. Alii: *Abominabile* vocat

[1] II *Cor.*, XI, 26. — [2] II *Cor.*, XI, 13. — [3] Cf. II *Tim.*, III, 13. — [4] Cf. LUC., XXI, 18. — [5] IOH., XIX, 15.

illud quia est idolum. *Excidii et vastationis*; hisce innuit vastationem civitatis. Quia enim dixit: *Cum videritis,* indicavit etiam dum quidam ex eis in vivis sunt, haec futura esse. — *Ille qui legit intellegat*; h. e. haec omnia futura esse sicut dixi. Et per
* p. 40. hoc etiam ostendit multos * haec vidisse. Rursus, tunc *intellegat,* 5
quando haec fient, appropinquasse vastationem Ierusalem.

v. 16) *Tunc, qui in Iudaea sunt, fugiant in montem*; h. e. quando videbunt signum abominabile stans (in templo).

v. 17) *Et qui in tecto est*; h. e. adeo gravis erit afflictio ut etiam nudo corpore fugiant. Allegorice, Isidorus presbyter[1]: 10
Illi qui in Iudaea, h. e. illi qui se applicant ad cultum Dei — ita interpretatur Iudaea — current ut adscendant ad altitudinem excelsam refugii. *Is qui in tecto est,* h. e. qui despexit res mundi et calcavit eum et omnia eius ad haec non descendat. *Et is qui in agro est;* h. e. qui exuit veterem hominem ne amplius in- 15
duat illum.

v. 19) *Vae autem praegnantibus,* quia non possunt fugere prae pondere conceptus dum gravantur fetibus. *Et illis quae lactant;* h. e. quia non possunt desistere a sympathia naturali erga eos qui nati sunt, et quia natum servare non valent. Alle- 20
gorice: *Vae praegnantibus*; h. e. animabus quae in intellectu suo tanquam in ventre res optimas concipiunt, sed ad effectum non adducunt quod conceptum est in cogitationibus suis. *Et illis quae lactant:* h. e. illis qui docent, quia, si mores non habent, doctrina non potest servare eos a supplicio. 25

v. 20) *Orate ne fiat fuga vestra*; h. e. propter duritiem tempestatis, et frigus, et pluviam, et alia. *Neque in sabbato*; h. e. quia lex vetat ne in sabbato fugiant neve ambulent multum, et hic opus est fuga magna et celeri. Allegorice: Orate ne egrediamini ex mundo vacui ab operibus bonis, sicut in hieme ar- 30
bores vacuae sunt a fructibus. *Neque in sabbato;* h. e. otiosi ab operatione virtutum, sicut Iudaei in sabbato requiescunt.
* p. 41. Hisce * hortatur nos ne simus otiosi, sed ut operemur virtutes.

v. 21) *Erit enim tribulatio magna.* Id merito (dicitur), quia neque in tempore praeterito ausus est quisquam, neque in fu- 35
turo (audebit) tam horrendam audaciam sicut ausi sunt Iudaei

[1] Isidorus pelusiota; cf. *Patr. Gr.*, t. LXXVIII, col. 316.

in crucem. Neque putet quispiam hoc verbum per hyperbolam dictum esse, sed, cum inciderit in historiam Iosephi, veritatem verbi discet. Non christianus erat vir qui amplificasset illud incongruenter, sed Iudaeus et zelotes ex iis qui post adventum Christi fuerunt. Pauca ex verbis eius hic referimus. Dixit enim[1]: Cum convenissent Ierusalem ad celebrandum Pascha et rebellandum contra Caesarem, Titus, cum exercitu Romanorum, eos obsidione adeo pressit ut comederent calceamenta, et mulieres liberos suos. Et suspendebant pueros et allidebant ad terram ut cibum, quem voravissent, evomerent, et esset ipsis pro cibo. Et ii, qui aurum habebant, grana auri deglutiebant et in fuga exibant ad Romanos, et cum latrinam adibant seu urinam fundebant, separabant et colligebant aurum quod deglutierant. Romani autem et Syri, qui ibi erant, cum hoc didicissent, profugos, qui ad se confugerant, exenterabant et aurum quod erat in visceribus tollebant. Et myriades ex eis hac de causa perierunt dum nihil (auri) erat in ventre eorum. Et mortui sunt gladio et fame centum et viginti myriades. Et illi qui capti sunt ex pusillis, septemdecim annos natis et infra, et venditi sunt, novem myriades. Omnes captivi fuerunt triginta myriades. Myrias autem est decem milia.

v. 22) *Et nisi breviati fuissent dies*; h. e. a decimo quinto die nisan (aprilis) usque ad nonum diem mensis ab (augusti) obsidione pressi fuerunt. *Non viveret ulla caro*; h. e. Iudaeos recitat. *Propter electos*; non apostolos hic electos vocat; quia * iam egressi erant e Iudaea, sed electos vocat fideles. Ab initio parabolae usque huc de vastatione Ierusalem loquutus est; inde autem et infra, de consummatione et de Antichristo[2]. * p. 42.

v. 23) *Tunc si quis dixerit vobis*; h. e. cum appropinquabit adventus meus secundus, primum signum erit hoc. Dicent: Venit Christus et ecce in tali loco est. Alii: In tali civitate. Sed *nolite credere*, neque erretis post illos. Hanc vocem *tunc*, non de connexione cum tempore antecedenti dixit; non hoc dixit: Statim ac deleta fuerit Ierusalem, continuo fiet adventus meus. Sed dicimus: Vox *tunc* duobus modis dicitur, aut ut

[1] Ad verbum non recitatur. Cf. *Bell. Jud.*, l. V et VI, passim. — [2] In marg.: « Hinc loquitur de consummatione et de adventu secundo ».

connexio cum tempore antecedenti, aut ut tempus quo fit res quaecumque, sicut in praesenti casu, et sicut: *Tunc apparebit signum Filii.*

v. 24) *Surgent enim pseudochristi*; hoc est signum secundum. Pseudochristum vocat Antichristum. Hoc nomen graecum est et vertitur de graeco in syriacum: adversarius. .Christus est Unctus (Messias), et Antichristus explicatur: adversarius Christi, h. e. hostis Christi, et est hic Satanas. Et apparebit hoc modo: Assumet hominem quemdam Iudaeum, qui erit magus et seductor et incantator et hariolus et peritus omnium artium malarum, et ingredietur in eum, et habebit eum tanquam instrumentum, et per eum faciet mala maxima, eodem modo quo in initio in serpentem ingressus est et seduxit protoparentes. Alii: E viro romano et muliere hebraea nascetur hic Antichristus qui vult esse instrumentum * diabolo, et ante adventum Christi per breve tempus apparebit, tempore quo finem capiet imperium Romanorum, sicut dixit Mar Iohannes. Et quae faciet filius perditionis? Mundabit leprosos, aperiet (oculos) caecorum, faciet signa, non vere, sed secundum phantasiam et deceptionem, sicut fecerunt Iannes et Mambres[1] et Simon per magiam. Et multi martyres erunt hoc tempore et excellentiores primis martyribus, quia cum Satana pugnabunt. — *Et seducet multos*, h. e. Iudaeos et gentiles; Iudaeos quidem quia existimabunt eum esse Christum exspectatum, gentiles autem quia decipientur signis magiae eius. Christiani vero non adhaerebunt illi quia Christus et Paulus praemonuerunt eos de illo. Mar Ioannes dixit: Tribus annis et dimidio manebit, quod patet ex eo quod dixit Daniel[2]: *Tempus, tempus temporum et dimidium temporum*: tempus vocat annum, et dimidium temporis dimidium anni. Alii: Duobus annis et dimidio manebit. Alii: Tempore incerto manebit, nam ipse volet potestatem suam non cessare, sed Dominus destruet illum. Et quomodo destruetur aut deficiet? Cum Christus revelatus fuerit in adventu suo secundo, statim destruet illum spiritu oris sui sicut dixit Paulus[3]. Et cum unus sit pseudochristus, quare dixit pseudochristos plurali numero? Et dicimus: Non dixit multos

[1] II *Tim.*, III, 8. — [2] *Dan.*, VII, 25. — [3] II *Thess.*, II, 8.

esse pseudochristos, sed multos esse qui ubique dicturi sint: Venit Christus; ita ut existimentur nuntiare plures pseudochristos, non unum; aut multos esse qui secuturi sint pseudochristum, et etiam in persona horum omnium videbitur et figurabitur. Rursus, aut Matthaeus dixit unum plurali modo sicut de * apostolis dixit[1]: *quidam dubitaverunt*, etsi solus Thomas dubitavit. — *Ut decepturi sint, si potest...*; electos vocat fideles qui erunt hoc tempore.

* p. 44.

v. 26) *Ecce in cubiculo*; h. e. in quiete.

v. 27) *Sicut enim fulgur*; hoc est signum tertium; non quod omne fulgur ab oriente ad occidentem fulgeat, quia in omni loco et in omnibus regionibus fulgent fulgura, sed celeritatem revelationis suae nobis indicavit; et iterum, quia ab oriente revelabitur in adventu suo et ab omnibus conspicietur. Nolite enim putare adventum secundum fore sicut primum; primus quidem in loco angusto revelatus est in initio, hic autem in omni orbe terrarum; sicut fulgur, quod illuminat omnia sub caelo, revelabor.

v. 28) *Ubicumque autem fuerit corpus.* Graecus vero et Harclensis: « cadaver »[2]. Hoc est signum quartum. « Corpus » vocat seipsum; « aquilas », angelos qui adstant et circumdant eum. Rursus: « aquilae », martyres et sancti; quemadmodum enim aquilae, cum corpus mortuum invenitur, ex omni loco conveniunt ut illo vescantur, eodem modo, cum Christus in terra apparebit, omnes sancti coram eo stabunt. Iusti cum aquilis comparati sunt, quia alta et caelestia cogitaverunt. Ioannes dicit: Ubi casus, h. e. corpus, propter mortem; nisi enim cecidisset, nos non surgeremus. Aquilas autem dicit, ostendens quod is, qui ad hoc corpus accedit, debet esse sublimis nec habere participationem apud terram, sed semper sursum volare, et ad solem iustitiae respicere. Sanctus Severus: *Ubicumque cadaver*, h. e. ad instar allegoriae dictum est, quia in adventu * secundo omnes, qui recte vixerint, sicut aquilae sublimes ad paradisum adscendent et eo loco congregabuntur, quo factus est casus Adam et transgressio mandati, qua in peccatum cecidit.

* p. 45.

[1] MATTH., XXVIII, 17. — [2] πτῶμα.

v. 29) *Statim autem post tribulationem;* h. e. illam quae fiet in diebus Antichristi. — Lucas subiungit[1]: [*Complosio*] *prae stupore sonitus maris, et commotio extrudens;* hoc est signum quintum. Intumescent aquae et emittent sonitum suum, et manus illorum prae timore complodentur seu remissae erunt. — *Sol obscurabitur;* hoc est signum sextum. Sol et luna obscurabuntur propter duo: primum quidem, quia superabuntur adventu secundo sicut lampas sole superatur; et alterum, quia nullus erit usus eorum ut faciant nobis dies et annos et aestates et hiemes.— *Et stellae cadent;* cadent quia non erit nox ut fulgeant nobis. Quomodo manebunt sol et luna, et quo pervenient stellae, supra ostendimus ubi explicavimus: *Caelum et terra transibunt*[2]. *Et virtutes caelorum commovebuntur;* hoc est signum septimum. *Virtutes* hic vocat angelos, et merito dicit: *Commovebuntur,* quando videbunt mutationem stupendam et mirabilem quae accidet creationi.

v. 30) *Tunc apparebit signum Filii hominis;* hoc est signum octavum. Signum crucis dicit. Et quomodo apparebit? Lucida an obscura? Lucida et illuminans sicut sol, quod patet eo quod sol et luna obscurabuntur dum ipsa fulgebit. Quare apparebit crux eius? Ut ex effusione magna condemnet Iudaeos qui crucifixerunt eum; etenim etiam crux veniet cum eo ad locum iudicii. — *Tunc plangent omnes generationes*; hoc est signum nonum. * Merito quidem plangent et lugebunt eo quod crucifixerunt eum quem decebat adorare; generationes gentilium lugebunt, quia non crediderunt in illum. — *Et videbunt Filium hominis*; hoc est signum decimum. Nolite, scilicet, putare me super crucem venturum esse, sed super nubes caeli sicut adscendi.

* p. 46.

v. 31) *Et mittet angelos suos cum tuba magna;* (hoc est) signum undecimum. *Et congregabunt electos*; h. e. per angelos congregabit electos suos, ut sic honoret eos. Et rapient illos nubes celeres et elevabunt in caelum, sicut dixit Paulus[3]: *Et iusti rapientur in nubibus.* Quare cum voce tubae venient angeli? h. e. ut creatio cognoscat Dominum revelatum esse, sicut olim tubae fuerunt super montem Sinai quando revelatus est,

[1] Luc., xxi, 25-26. — [2] Cf. supra (v, 18), t. XCVIII, p. 159. — [3] I *Thess.*, iv, 16.

et sicut inflantur buccinae et tubae ante regem terrestrem cum civitatem ingreditur. Rursus, veniet cum tuba magna propter excitationem et gaudium iustorum, et tristitiam et moram et gemitus peccatorum, et haec omnia tempore exiguo et indivisibili fient. Et unde poterunt angeli distinguere bonos a malis? Ex obscuritate personae malorum et ex claritate personae bonorum.

v. 32) *A ficu discite parabolam;* quia discipuli diem adventus eius et consummationis mundi scire quaerebant, adduxit exemplum ficus, ostendens non longum fore intervallum. Rursus, quemadmodum videtis ramos ficus teneros esse et portare fructus, et intellegitis quod appropinquavit aestas, ita et cum videbitis signa, quae dixi, fieri, scitote quod appropinquavit dies adventus mei. Et quemadmodum necessario rami eius non possunt non teneri esse et non proferre sua folia, ita dies adventus mei non potest non esse. *Cognoscitis quod appropinquavit aestas;* * per aestatem quidem aestatem hanc spiritalem et quietem, quae in illo die erunt iustis, significat; peccatoribus autem fiet ibi hiems angustiarum. Cum autem Henoch et Elias in adventu Domini nostri venerint nemo certe sciet quamdiu mansuri sint. Nonnulli dicunt: Tres dies, et ab Antichristo interficientur. Alii: Quadraginta dies ante haec, praedicantes de consummatione.

* p. 47.

v. 37) *Sicut in diebus Noe* et in diebus Lot[1]; h. e. sicut super illos diluvium repente venit, et super hos inexspectato descendit ignis et sulfur, ita et adventus meus subito superveniet. Et quemadmodum cum comederent et biberent et ducerent uxores ante diluvium, et similiter filii Sodomae, (diluvium) subito abripuit illos, et super hos ignis et sulfur descenderunt, ita et adventus meus fiet dum comedent et bibent et matrimonio iungentur.

v. 34) *Non praeteribit generatio haec*; generationem vocat fideles; ratione fidei et morum appellantur *generatio haec,* non ex nativitate. Et dicit: Non superabuntur fame, nec bellis, nec morte, nec a pseudochristis et pseudoprophetis, nec peribunt nec transibunt, donec haec omnia adimpleantur. Etiam cum ve-

[1] Cf. Luc., xvii, 28.

uiet in adventu secundo, fideles multi et innumerabiles invenientur qui sustinebunt angustias et vexationes.

v. 35) *Caelum et terra transibunt;* non dicit: transibunt et dissolventur, sed indicat: facilius est ut haec, quae sunt fixa et permanentia et incorruptibilia, transeant quam ut cadat unum ex eis quae dixi.

v. 36) *De die autem et de hora;* diem resurrectionis non revelavit, neque diem mortis cuiusquam nostrum, ut simus vigilantes et studiosi virtutis. — *Neque cognoverunt, donec venit diluvium.* Et quomodo dixit: *Erit afflictio*, si dies illa apprehendet * eos in gaudio et laetitia? Et dicimus: Gaudium erit malis qui sine intellegentia sunt. Et illud quod dixit Apostolus[1]: *Dum est pax et securitas dolor apprehendet eos,* quid sit? Et dicimus: Non dixit pacem quae est in tempore pacis, sed: Cum dixerint: Pax est, h. e. illi dicent; ut sic stultitiam malorum ostendat. Similiter in diebus diluvii iusti in afflictione erant et mali in stultitia et abominatione. Ita et tempore consummationis boni erunt in afflictionibus et angustiis, impii autem in deliciis.

v. 40) *Tunc duo erunt in agro*; agrum vocat mundum. Lucas pro agro lectum dicit; illos, qui sunt in lecto, divites vocat.

v. 41) *Duae erunt molentes in mola;* molam vocat mundum in quo, sicut in mola, versamur et in labore vivimus. Rursus, illos qui sunt in lecto, divites vocat; et illos qui in mola, pauperes, ostendens esse divites et pauperes qui hereditaturi sint regnum, et esse divites et pauperes qui hereditaturi sint gehennam. Rursus, per illas quae molunt in mola figurat eos qui comminuerunt doctrinam quam docuit Dominus noster et paverunt fideles; et illi qui recte docuerint exaltabuntur; illi autem qui perverse, relinquentur et iudicentur. Rursus, aliud dicimus: In nocte fiet adventus secundus, et patet ex eo quod dixit Lucas[2]: *In illa nocte duae erunt in lecto.* Rursus, sive in agro, sive in lecto, sive in mola, sive in operatione, tempore quo apprehendet (eos) adventus, unusquisque a suo loco separabitur: iusti quidem ad regnum ducentur, mali autem in terra manebunt. Iuxta hunc sensum accipe omnia cetera verba.

[1] I *Thess.*, v, 3. — [2] Luc., xvii, 34.

v. 42) *Vigilate ergo quia nescitis;* non dixit: Nescio, sed: Vos nescitis. Quod autem * vigilent, non de somno dicit, sed praecipit ut e torpore neglegentiae suscitentur. * p. 49.

v. 43) *Hoc autem scitote; si sciret paterfamilias;* h. e. quemadmodum *paterfamilias, si sciret qua vigilia venturus esset fur, ut perfodiat* domum eius, non sineret, ita et multi, si praecognoscerent diem mortis suae, fierent neglegentes, nec operam darent virtutibus, nisi tempore finis sui. Et ideo non revelavit eis mortem cuiusquam nec diem communem adventus sui.

v. 44) *Quia hora qua non putatis veniet Filius hominis*; nunc aperte nominat seipsum Dominus, et pudorem iniicit neglegentibus et pigris ut studeant virtuti.

v. 45) *Quis igitur est servus fidelis?* h. e. illud: *Quis igitur est,* quod posuit, de paucitate et raritate servorum eiusmodi dicit; et pauci et rari sunt servi fideles. Rursus, interrogavit sicut et Pater interrogavit [1]: *Ubi es, Adam?* et hoc interrogavit ut adduceret eum ad excusationem pro peccato eius; et (interrogavit) Cainum [2]: *Ubi est Abel frater tuus?* ut notum faceret ei eius delictum et malum, quod fecerat, non esse absconditum coram ipso. Item Moysen interrogavit [3]: *Quid est hoc quod in manu tua?* ut indicaret ei virgam eius vere factam esse serpentem, non secundum phantasma. Et de Sodomitis dixit [4]: *Clamor Sodomae... descendam, videbo;* ut nos doceret nunquam prodire iudicium antequam incidamus in facinus. Et in Isaia [5]: *Fortasse pudebit illos,* ne prophetia existimetur coegisse eos ut essent obedientes. Etiam ipse Filius interrogavit [6]: *Ubi posuistis eum?* et (interrogavit) Petrum [7]: *Amas me?,* non quod nesciret, sed propter rationes oeconomiae. — Servum fidelem vocat prophetas, apostolos, * doctores, episcopos, sacerdotes, divites, pauperes, et ceteros quibus datum est donum quodcumque. *Servum* vocavit illum quia est creatura eius, et *fidelem* vocavit illum quia non abscondit nec celat quidquam de dono; *sapientem,* quia cognoscit conveniens et iustum esse ut ministret, non autem abscondat. *Super domesticos suos;* super homines socios eius. Lucas dicit [8]: *Constituet eum super* * p. 50.

[1] *Gen.*, III, 9. — [2] *Gen.*, IV, 9. — [3] *Ex.*, IV, 2. — [4] *Gen.*, XVIII, 20-21. — [5] Cf., Is., I, 29. — [6] IOH., XI, 34. — [7] IOH., XXI, 17. — [8] LUC., XII, 42.

famulatum; famulatum vocat administrationem doni quod datum est ei. *Ut det illis cibum;* Lucas *portionem* dixit. Portionem autem et cibum vocat omne donum quodcumque, sive doctrinam animae, sive divitias corporales. *In tempore*, h. e. iis qui indigent, iis qui esuriunt.

v. 46) *Beatus servus ille;* h. e. qui potest ministrare et lucrari, cum dono quod accepit, sibi et aliis.

v. 47) *Amen, amen dico;* h. e. vere. *Constituet eum super;* h. e. faciet eum laetari bonis sempiternis.

v. 48) *Si autem dixerit servus ille malus;* ecce alius servus est, non ille primus sapiens, quem beatum dixit; malum vocavit eum propter voluntatem eius. Rursus, h. e. si quis dixerit: quia non cognovit diem illum, factus est corruptus, sciat eum, non quia ignoravit diem illum, corruptum factum fuisse, sed quia malus erat, quod patet eo quod cogitatio mala servo fideli non occurrit. *Dominus meus tardat venire;* h. e. longinquum est iudicium; haec sententia non domini est, sed mentis huius servi; et ideo culpatur.

v. 49) *Et coeperit percutere conservos suos;* h. e. discipulos eius et eos, quibus praefectus est ut caput, vocat conservos eius. Illud autem quod percutiat, [h. e.] moribus suis abominandis percutit et laedit * conscientias eorum. — *Et comederit et biberit;* h. e. in moribus luxuriae et deliciarum dissipat dies suos.

v. 50 *Veniet dominus servi illius;* per hoc terrefactos reddit homines; et valde utile est neminem scire horam mortis.

v. 51) *Dividet eum;* h. e. separabit eum a se, etiam a gaudio regni. Item, dividet et separabit ab anima Spiritum sanctum quem accepit hic in baptismo et in sacerdotio. Rursus, dividet eum a societate cum bonis. Rursus, cultro spiritali praecidet ac dividet donum sacerdotii quod accepit. Parabola servi fidelis et parabola talentorum docent doctrinam de propinquis nostris, et ut, quantum possumus, fratres nostros adiuvemus; per parabolam autem decem virginum incitat nos ad eleemosynam illamque instituit propter eos qui mores habent, sed vacui sunt a misericordia.

* p. 51.

[CAPUT XXV.]

v. 1) *Assimilabitur regnum caelorum decem.* « Regnum » vocat Evangelium; « virgines » eos qui habent mores optimos; « decem » decem sensus animae et corporis. Quinque fatuas posuit, quia quinque sensus corporis infirmiores sunt quinque sensibus animae. Virgines vocat eos propter incorruptionem morum illarum. Cum mulieribus comparat eos quia in Christo non sunt mares nec feminae. Numerum decem posuit quia est numerus perfectus, et non est supra illum alius numerus, sed ab ipso, addita monade, resumitur numeratio; et propter decem sensus sicut diximus, et propter decem beatitudines. Et nomine virginum denominavit optimos, quia castitas necessario comitatur virgines. *Quae acceperunt lampades*, h. e. mores * castitatis et sanctitatis. *Et exierunt obviam sponso et sponsae;* non in omnibus codicibus scriptum est: (Obviam) sponso et sponsae, sed: *Obviam sponso*, tantum. Sponsus est Christus; sponsa, Ecclesia eius. Indicat omnes homines ituros esse obviam Christo in revelatione eius. *Et exierunt obviam sponso* [*et sponsae*]; haec sententia commixta est et complexa sicut illud [1]: *Imposuit humero eius utrem et puerum*, et sicut illud [2]: *Vident voces et lampades*, et illud [3]: *Dederunt ei bibere aquam, et duas uvarum passarum placentulas.* — *Sapientes* vocat illos qui mores bonos habent, et una cum moribus misericordiam in egenos; *fatuas* autem, illos qui mores habent sed a misericordia vacui sunt. Oleum est misericordia; vasa, personae; mora sponsi, tempus ab adscensione eius usque ad adventum eius ultimum. Dormitationem vocat morbos, nuntios mortis; somnum, ipsam mortem. Rursus dormitatio differt a somno, quia dormitatio potest parum sentire; somno autem non est sensibilitas nec cognitio. Alii dormitationem et somnum vocant mortem, quia mors, propter spem resurrectionis, non existimatur nisi somnus temporaneus.

* p. 52.

v. 6) *Media nocte factus est clamor*; h. e. noctu fiet resurrectio, et hoc notum est ex eo quod Dominus noster tempore

[1] *Gen.*, XXI, 14. — [2] *Ex.*, XX, 18. — [3] I *Reg.*, XXX, 11-12.

noctis a sepulcro surrexit, et in nocte primi diei hebdomadis creavit creaturas, et in nocte primi diei hebdomadis vivificabit mortuos. Clamorem vocat sonitum buccinarum quae ab angelis inflabuntur. Nonnulli dicunt: Ter audietur sonitus buccinae; primo, adventum annuntiabit; secundo, iudicium Antichristi; 5 tertio, resurrectionem mortuorum et renovationem omnium.

* p. 53. v. 7) * *Tunc surrexerunt omnes virgines;* resurrectionem universalem innuit. *Et paraverunt lampades*; praeparatio lampadum est spes communis quae est omnibus propter fidem in Christum. Fatuas vocavit eas quia, cum laborem maximum 10 sustinuissent, h. e. virginitatem, omnia tradiderunt propter minimum, h. e. misericordiam; nam nihil stultius est quam ii qui hic possessiones habent et nudi migrant illuc. Rursus *fatuas,* quia petierunt intempestive et speraverunt se accepturas esse.

v. 8) *Date nobis de oleo vestro*; aviditatem peccatorum, qui 15 volunt consociari bonis, innuit.

v. 9) *Ne forte non sufficiat nobis et vobis*; h. e. unusquisque in suis gaudebit. *Ite ad eos* [qui vendunt]; venditores vocat eos qui per misericordiam lampades suas accendere potuerunt.

v. 10) *Et cum irent*; h. e. per totam vitam suam operati 20 sunt mala, et tempore senectutis eos paenituit, et cum non retribuissent pro delictis suis bona in egenos mortui sunt. *Et clausa est ianua*; clausura ianuarum est separatio iustorum et peccatorum.

v. 12) *Non novi vos*; h. e. propter opera vestra mala. 25

Alio modo: Quinque sapientes, quattuor Evangelistae et Paulus apostolus; fatuae autem, quinque libri veteris testamenti; sponsus, Christus; lampades, revelationes prophetiae; virgines quarum lampades exstinctae sunt, Scribae et Pharisaei; thalamus, altare ad quod introierunt apostoli et Ecclesia eiusque 30 filii, lampadibus suis per oleum fidei fulgentibus. Et exstincti manserunt Iudaei et umbratilia.

v. 13) *Vigilate*; a torpore et nequitia peccati. *Quia nescitis;* h. e. non expedit scire diem exitus nostri.

* p. 54. v. 14) * *Sicut enim homo qui peregre profectus est*; hanc 35 parabolam talentorum dixit de eis qui accipiunt sacerdotium aut donum quodcumque, hortans eos ut multiplicent talenta et lucrentur sibimetipsis et aliis. Et dicunt hanc parabolam ali-

am esse ac illam Lucae[1], et evidens est eo quod ibi una mina decem retulit, et hic alter quinque; nec eandem mercedem receperunt, et alia sunt quae non concordant. Hominem vocat semetipsum, quia adimplevit œconomiam et adscendit in caelum. Illud *vocavit*, est : adiunxit eos sibi. — *Tradidit illis possessionem suam*; h. e. dona atque munera.

v. 15) *Quinque talenta;* h. e. episcopatum; etenim dedit ei (episcopo) summum sacerdotium, munus pastoris, magisterium, consecrationem mysteriorum corporis et sanguinis, diaconatum. Et est cui *duo* (dedit) : sacerdos qui accipit baptismum et consecrationem corporis et sanguinis. Et est cui, *unum,* h. e. diaconus, cui datum est ut mundet (vasa ministerii) et faciat proclamationes. *Et peregre profectus est statim;* h. e. usque ad resurrectionem.

v. 16) Ille qui acceperat quinque talenta *lucratus est quinque alia;* h. e. per summum sacerdotium facit impositiones manuum, consecrationem chrismatis, consecrat altaria et ecclesias; per baptismum comparavit baptismum aliorum; per consecrationem mysteriorum sanctificavit sumentes; per magisterium docuit fidem; per munus autem pastoris correxit mores gregis sui.

v. 17) *Similiter et qui duo;* h. e. sacerdos per baptismum baptizavit, et per consecrationem mysteriorum sanctificavit populum.

v. 18) *Ille vero qui acceperat unum*; h. e. diaconatum; debebat semper mundare et populum ordine disponere. *Fodit in terram;* abscondit illud in anima sua, quam vocat terram, et propter voluptates mundi fugit a molestia et laboribus mercaturae spiritalis. Illo enim : *abscondit,* neglegentes et otiosos innuit. Tribuit autem otium et pigritiam ei qui unum talentum acceperat, non quod illi qui quinque vel duo (accipiunt) ea nunquam contemnant, sed quia neglegentia plerumque * adhaeret eis qui aliquid parvum acceperunt, ideo pigritiam huic tribuit. * p. 55.

v. 19) *Post tempus vero multum;* h. e. revelationem suam ultimam innuit, quando veniet ut disquisitionem faciat cum hominibus.

[1] Luc., xix, 12-27.

v. 20) *Et accessit is qui acceperat quinque talenta;* h. e. muneribus quae dedisti mihi, lucratus sum in eis mihimetipsi et aliis.

v. 21) *Dicit ei dominus eius: Pulchre, serve.* In versione Simplici scriptum est: *Euge,* et *euge* de lingua graeca[1] in syriacam vertitur *pulchre.* — *In modico fidelis;* dona, quae accepit hic, vocat modicum et parva. — *Super multum constituam te;* h. e. quia negotiatus es cum munere, te dignum existimo bonis magnis, quae vocat *multum.* — *Similiter et qui duo;* negotiatio eius est quod lucratus est sibi et aliis cum munere quod accepit.

v. 23) *Euge, serve bone;* [*euge,* h. e.] pulchre; servum vocavit eum quia ad negotiationem deputatus est; bonum autem, quia negotiatus est cum talentis; fidelem, quia lucratus est conservis suis. *Intra in gaudium domini tui,* h. e. in omnem beatitudinem.

v. 24) *Domine mi, noveram te quod homo sis durus;* hoc magis aggravat culpam eius et condemnat eum, quia non laboravit. *Et metas unde non seminaveris;* h. e. scilicet, si vis res gerere cum violentia, potes. Rursus, Christus peccatum messuit unde non ipse, sed Satanas illud seminavit, quia gentes collegit a cultu idolorum moribusque pravis unde non ipse, sed diabolus, eas disperserat.

v. 25) *Ecce, habes quod tuum est;* si ille qui quod acceperat integrum servavit non effugit supplicium, quia non negotiatus est cum talento suo, quanto magis torquebitur qui donum non sicut acceperat * servaverit sed potius peccato perdiderit. * p. 56.

v. 26) *Serve male et piger;* malum vocavit eum, quia invidit lucro proprio et aliorum. Lucas autem dicit[2]: *Ex ore tuo te iudicabo;* si putasti me metere unde non seminaverim, quanto magis unde seminaverim. *Quare non dedisti pecuniam meam?;* oportebat scilicet te docere et loqui ad illos; quod si non credidissent ego venissem, exegissem pecuniam meam, h. e. verbum quod dedi tibi et docueras illos. — Matthaeus dicit:

v. 27) *Oportebat te proiicere pecuniam meam super mensam;* h. e. in aures et mentes et corda fidelium. *Exegissem quod*

[1] Graece εὖ. — [2] Luc., xix, 22.

meum est cum usuris eius; h. e. opera quae debuissent ostendere nummularii seu auditores.

v. 28) *Auferte ab eo talentum*; h. e. donum quod accepit.

v. 29) *Ei enim cui est;* h. e. qui hic habet donum et exercuit cum eo negotiationem et mercaturam in mundo novo centuplum accipiet. *Is vero cui non est, etiam id,* h. e. qui hic contempserit donum quod accepit, illic auferetur ab eo.

v. 30) *Et servum otiosum;* vide quod non dixit: homicidam, ut ostendat otiosos et pigros puniendos esse. *Otiosum* vocat eum, quia non negotiatus est cum dono quod accepit. — Hucusque ad mentem Moysis Barcephae et aliorum hanc parabolam exposuimus. Mar Iacob sarugensis dicit: Ille qui accepit quinque talenta est Moyses, qui accepit quinque libros legis et lucratus est cum eis quinque sensus animae et quinque sensus corporis. Ille autem qui duo accepit est Simon (Petrus) qui accepit corpus et sanguinem (Domini), et lucratus est animam et corpus hominum; et (accepit) etiam discipulatum et apostolatum; item, lucratus est Antiochiam et Romam. * Ille qui accepit unum talentum est Iudas qui accepit apostolatum nec lucratus est cum eo quidquam. Alii: Ille qui accepit quinque talenta is est cui data sunt multa dona a Deo; ille qui duo, is est cui data sunt dona minora quam primo; et ille qui unum, is est cui datum est minus quam utrique. Et dicimus: Qui vocaverunt quinque libros quinque talenta non bene interpretati sunt. Quomodo enim quinque libri Moysis, qui pars sunt veteris testamenti, comparati sunt cum quinque talentis; et qui duo (accepit)[1], qui portat utrumque testamentum, vetus et novum, proclamaverunt eum habere duo? Oportebat eos dicere eum, cui duo dederunt, h .e. Simonem, habere quinque. Et quomodo Iudas cum unum habente comparatus est, cum in omnibus, sicut Simon, honoratus fuerit? Et dicimus: Parabola non adaptatur episcopis, nec sacerdotibus, nec diaconis, quia non omnes christiani sacerdotium accipiunt ut hic negotientur et illic retributionem accipiant. Et praeterea, sacerdos non duo, sed tria talenta habet: h. e. baptismum et sacerdotium et oblationem. Sed dicimus: Talenta sunt omnia dona quae hominibus a Deo dantur, quae Paulus indicat dicens[2]: « *Alii datur per Spiritum ver-*

* p. 57.

[1] Locus corruptus videtur. — [2] Cf. I *Cor.*, XII, 8-10.

bum sapientiae; alii verbum scientiae; alii donum sanationis; aliis virtutes, prophetiae, interpretatio linguarum ». Dona huiusmodi dedit nobis Deus, verumtamen unicuique secundum propriam eius virtutem: primum quidem, ut abundantia divitiarum suarum ditet nos; secundum, ut distinguantur studiosi a pigris; tertium, ut cum bono quod confertur, afferamus sedulam voluntatem. Et quod tribus modis data sunt munera seu talenta, ut unusquisque secundum virtutem suam propriam * accipiat, (fuit) sicut illud[1]: *Triceni et sexageni et centeni* (fructus), et sicut: Perfecti et medii en infimi, et (sicut): Filii et mercenarii et servi. — Et dicunt: Eadem est haec parabola ac parabola Lucae. Et ex eo quod Matthaeus dixit: quinque talenta, et Lucas: decem minas, patet episcopum non habere decem dona, et de omnibus dici, non autem de episcopis, parabolam quinque talentorum. — Et homo, qui peregre profectus est, est Christus; servi, genus humanum; talenta autem, dona magna et multa et media et parva; et rationes exigendae secundum ea quae fecerit voluntas. Qui hic honorati fuerint magisterio, sacerdotio, miraculis, et non profuerint conservis suis, et invidiae causa aut alia causa voluntaria lucernam sub modio absconderint, illic cruciabuntur. Dicendo: *Tenebras exteriores*, ostendit esse tenebras interiores. Alii: Vox *exteriores* declarat nullas esse illis obscuriores, secundum verbum Moysis qui tenebras Aegyptiorum arctissimas appellavit[2].

* p. 58.

v. 31) *Cum autem veniet Filius hominis;* indicat adventum secundum in gloria futurum esse. *Et omnes angeli eius;* nonnulli dicunt: Ex angelis qui in caelis, sunt qui throno Dei ministrant sicut Cherubim et Throni et Seraphim, qui etiam sponsae appellantur quia tanquam sponsae sponsum circumdant[3]; ceteri autem infra eos sunt et hominibus ministrant. Alii: Omnes angeli infra firmamentum sunt, quia legati sunt, sicut dixit Paulus[4], et commorantur apud eos ad quos missi sunt; et dixit: *omnes angeli,* non: unus aut multi. — *Tunc sedebit super thronum;* quia crux prope est, quae existimabatur opprobrium esse, ideo elevat mentem auditorum ad sublimiora dum ponit sedem et thronum et gloriam et angelos.

[1] Cf. MARC., IV, 20. — [2] *Ex.*, X, 22. — [3] Cf. Is., XLIX, 18. — [4] Cf. *Hebr.*, I, 14.

v. 32) * *Congregabuntur ante eum omnes populi;* h. e. omnes homines. *Et separabit eos unum ab altero;* quia inter se commixti erunt, sicut paleae et triticum in area, et ante eum separabuntur sicut pastor separat (oves). Ovibus assimilat bonos, quia utilitas est ex ovibus: lana et lac et agni; cum haedis autem comparat malos, quia vacui sunt ab his rebus, sicut mali vacui sunt a misericordia et pace. * p. 59.

v. 33) *Et statuet oves a dextera sua;* dextera est Filio Dei quia incarnatus est. Et dextera est validior apud animalia et maiorem honorem habet quam sinistra; ideo a latere valido et honorabili stabunt boni, mali autem a latere infirmo et vacuo ab honore.

v. 34) *Tunc dicet;* h. e. est rex. *Venite, benedicti Patris mei;* duobus optimis nominibus vocavit eos: hoc « benedicti », et eo quod benedicuntur a Patre. Rursus, benedictos Patris vocavit eos, ut ostendat quantum honorandi sint. *Hereditate possidete regnum;* secundum hereditatem filiorum a patribus ita possident; non dixit: Accipite ut extranei. *Quod paratum erat vobis,* h. e. *a fundamentis mundi.* Eo autem: *Quod paratum fuerat,* hoc significat: Antequam crearem creaturas cognovi vos futuros esse bonos, idcirco paravi vobis regnum. Quod boni sint, ex libertate et libero eorum arbitrio est; et quia vidit eos bonae voluntatis esse, extendit manum eosque adiuvit in exsecutione bonorum operum. *Fundamenta* quidem vocat adductionem mundi de nihilo ad esse; mundum autem appellat universam creationem.

v. 35) *Esurivi enim;* h. e. per pauperes ego comedi et saturatus sum. Et vide quod panem tantum petit a nobis, non multitudinem * rerum necessariarum. Rursus, *esurivi,* h. e. ut salvem vos. *Et dedistis mihi*; obedientes facti estis ex corde, et deseruistis peccatum; ergo fames Domini nostri salus nostra est. — *Sitivi;* h. e. potum aquae tantum a nobis petit. *Hospes fui*; ubi sunt qui expellunt hospites? ecce sciant se odio suo expellere Christum. * p. 60.

v. 36) *Aegrotus fui*; non dixit: Sanastis me, sed: *Visitastis me,* docens se nihil ab homine exigere ultra virtutem (eius). *In carcere fui;* non dixit: Eduxistis me de carcere, sed: *Venis-*

tis ad me, ostendens se nihil ab homine exigere nisi quod est secundum virtutem eius.

v. 37) *Tunc dicent ei illi iusti;* supra, « oves » denominavit eos, hic autem « iustos », propter opera eorum bona.

v. 40) *Quoties fecistis uni ex fratribus meis parvulis;* vide suavitatem Domini omnium. « Fratres suos » vocat ignotos, hospites, viles; nos autem, qui ex eodem figmento sumus, erubescimus vocare eos fratres nostros. « Parvulos » vocavit eos, quia humiles sunt et inopes rerum huius mundi.

v. 41) *Tunc dicet iis qui a sinistra eius;* quemadmodum enim laudabit iustos coram omni orbe terrarum, ita arguet malos coram omni creatione, dum per comparationem cum illis hos condemnabit. — *Qui paratus est diabolo et angelis eius;* « angelos eius » legatos et exercitus diaboli vocat.

v. 42) *Esurivi enim;* ergo non cruciabit eos igne donec litigaverit cum eis et recitaverit culpas eorum, h. e. sex species quas hic describit: esurientes, sitientes, hospites, nudos, vinctos, aegrotos.

v. 43) *In supplicium aeternum;* h. e. sine fine. *Et iusti in vitam aeternam;* aeternitas tribus modis dicitur: primus modus *p. 61. * est sine fine sicut illud[1]: *In aeternum tu es, Domine.* Illud quod hic (dicitur) sine fine est, sed initium habet. Et finis mundi qui habet initium et finem, sicut illud quod dicitur de sabbato[2]: *Haec lex in aeternum generationibus vestris.* Modus primus non habet initium nec finem; modus secundus initium habet, finem autem non habet, sicut in praesenti loco; modus tertius initium et finem habet.

[CAPUT XXVI.]

vv. 1, 2) *Et factum est ut, cum absolvisset Iesus sermones hos, diceret discipulis suis: Scitis quia post biduum fiet Pascha;* haec in monte Olivarum dixit Salvator noster. Lucas autem dicit[3]: *Advenerat dies azymorum,* et Iohannes dixit[4]: *Ante sex dies Paschatis.* Quo modo haec se habeant, audi. Iesus venit Be-

[1] *Ps.* CI, 13. — [2] *Cf. Ex.*, XXXI, 13. — [3] LUC., XXII, 7. — [4] IOH., XII, 1.

thaniam die sabbati cum suscitavit Lazarum, et fecerunt ei coenam, et secum discumbere fecit Lazarum, et Martha ministrabat, et Maria unxit pedes eius. Die postero, qui erat primus hebdomadis, ingressus est Ierusalem cum clamarent *Hosanna,* sicut dixit Iohannes [1], et eodem die, primo hebdomadis, exivit Bethaniam ubi pernoctavit, sicut dixit Matthaeus [2], et mane die secundo hebdomadis reversus est Ierusalem et arefecit ficum, sicut dixit Matthaeus [3]. Rursus, die tertio hebdomadis exivit ad montem Olivarum, sicut dixit Matthaeus [4], et sedit super montem, et accesserunt discipuli eius et loquuti sunt ei, et docuit multa, et eodem die tertio dixit eis ibi in monte: *Post biduum fiet Pascha,* h. e. post diem quartum hebdomadis et diem quintum, quia scilicet pascha fit in vigilia parasceves. Et eodem die tertio unctus est in pago Bethania in domo Simonis leprosi, * sicut dixerunt Matthaeus et Marcus. Et Bethania, ubi unctus est, misit Ierusalem duos discipulos, Petrum et Iohannem, die quinto, ut pararent ei Pascha, sicut dixit Lucas: *Advenerat dies Azymorum etc.* Et cum esset vespera, vigilia parasceves, venit Ierusalem et accubuit in caenaculo cum discipulis suis, sicut dixit Matthaeus [5]. Et primus dies paschatis et azymorum erat parasceve, sicut dixit Iohannes [6]: *Parasceve erat Paschatis,* et [7]: *Illi non ingressi sunt praetorium ne polluerentur.* Et cum numeras a sabbato, quo suscitavit Lazarum, usque ad parasceven sex dies sunt, sicut dixit Iohannes; et ex istis cognoscitur Evangelistas secum invicem consentire. Matthaeus enim dixit: *Scitis quod post biduum fiet Pascha;* h. e. die tertio hebdomadis haec dixit eis, et dies quartus hebdomadis et dies quintus sunt duo dies interiecti, et cum parasceve congruit primus dies azymorum quo mactatum est Pascha anni illius, et quo crucifixus est, sicut dixit Iohannes. — *Et Filius hominis tradetur ut crucifigatur*; prius negotium Paschatis adduxit, ut celaret id quod contristaret eos, h. e. se crucifixum iri.

* p. 62.

(v. 3) *Tunc congregati sunt principes sacerdotum et Scribae.* Lex quidem praecipiebat ut unus esset princeps sacerdo-

[1] Ioh., xii, 13. — [2] Matth., xxi, 17. — [3] Matth., xxi, 18. — [4] Matth., xxiv, 3. — [5] Matth., xxvi, 20. — [6] Ioh., xix, 14. — [7] Ioh., xviii, 28.

tum et, cum mortuus fuerit, alius constitueretur, et ad vitam huius unius definiebat exsilium eorum qui homicidium involuntarium admiserant[1]. Hoc autem tempore leges eorum corruptae sunt, et pro uno principe sacerdotum plures constituebantur. Rursus, duo principes sacerdotum constituebantur eis ut, si unus causa pollutionis nocturnae aut fluxus cuiusdam inquinatus fuisset, alter ministraret, ne deficeret festum. Herodes autem, cum regnaret, unum principem sacerdotum quotannis * constituebat, ne rebellarent adversus ipsum, sed etiam ut fungerentur sacerdotio annis determinatis sicut Zacharias.

* p. 63.

v. 4) *Et consilium inierunt de Iesu ut dolo caperent eum;* in atrium quidem Caiphae, principis sacerdotum, convenerunt, et quattuor diebus post quam suscitaverat Lazarum, die quarto hebdomadis, consilium inierunt de caede eius. Quapropter apostoli statuerunt ut in quarto die hebdomadis, et in parasceve, et in die primo hebdomadis, fiant ieiunium et sancta mysteria; in quarto quidem die, quia in eo consilium inierunt de caede eius; in parasceve autem, quia in ea crucifixus fuit; et in die primo hebdomadis quia in eo surrexit. Nonnulli dicunt: Etiam animalia in parasceve honorem ieiunio dederunt.

v. 5) *Non in festo ne sit tumultus in populo;* vide, non timebant Deum, sed populum. Diabolus autem non gratum habebat Christum in festo pati ne passio eius manifesta fieret; sed quia superati sunt ira quae inordinate exundavit, et invenerunt Iudam qui traderet eum, non potuerunt iram continere. In atrio Caiphae consilium inierunt, quia erat summus sacerdos anni illius. Nonnulli dicunt: Iste est Iosephus qui post aliquod tempus resipuit, et conversus credidit in Christum. Nos autem dicimus: Iosephus ille, qui cum Romanis fortiter pugnavit, et postea ab eis captus est, et eruditus fuit et scripsit multos libros de eis quae evenerunt tempore Machabaeorum, et etiam de excidio Ierusalem, alius est ab hoc Caipha principe sacerdotum. Et Eusebius caesariensis[2] in Historia Ecclesiastica id nobis testatur. Vocatus est autem a Romanis Iosephus seu Ioseph secundus propter sapientiam suam; et Vespasiano praedixit eum regnaturum.

[1] *Num.*, xxxv, 25. — [2] Cf. *Hist. eccl.*, I, x; II ix. (*Patr. Gr.*, t. XX, col. 109).

v. 6) *Cum esset Iesus in Bethania, in domo Simonis leprosi:* haec Bethania est urbs Mariae et Marthae, * in qua suscitavit Lazarum, et interpretatur « domus laudis ». Et diversa est a Ierusalem, et notum est eo quod, cum peccatrix ibi eum unxisset, postea dixit: *Ite in civitatem et parate nobis Pascha*; per hoc Evangelistae ostenderunt quod misit eos e Bethania ad civitatem Ierusalem. Hic Simon leprosus erat, et mundatus fuit, et mansit ei nomen « leprosus » forsan quia leprosus factus est in mente sua et scandalizatus est in Domino nostro.

* p. 64.

v. 7) *Accessit ad eum habens secum alabastrum*; incitata fuit mulier ad accedendum ad Dominum nostrum eo quod viderat eum sanavisse lepram Simonis, et ex eo quod plures mulieres sanaverat: Chananaeam [1], Samaritanam [2], haemorrhoissam [3], et alias; et non tanquam ad hominem accessit, sed tanquam ad Deum incarnatum. Nonnulli autem dicunt: Evangelistae alter alteri adversantur; etenim Lucas dixit [4]: Peccatricem fuisse, et in domo Simonis[5] et in Naim; Matthaeus autem: In Bethania, in domo Simonis leprosi, nec notum fecit nomen eius; Iohannes [6] vero aperte notum fecit et declaravit nomen eius, Mariam. Quidam dicunt: Duae sunt, propter loca. Alii autem: Una est et eadem bis unxit eum, et est soror Lazari, quae Magdalena appellata est. Alii: Simon pharisaeus est Simon leprosus, pater Lazari et Mariae. Alii: Tres sunt; meretrices bis unxerunt eum et Maria semel. Semel unctus fuit in Naim, et secundo a Maria, sorore Lazari, in Bethania, in domo Lazari fratris eius, ante sex dies paschatis. Lucas dicit: Unxit eum in domo Simonis pharisaei; Iohannes dicit: In Bethania in domo Lazari; Matthaeus et Marcus dicunt: In domo Simonis leprosi Mar Iohannes dicit: Bis unctus fuit. Sanctus Severus, cui assentimur, dicit eum * ter unctum esse; primo, in Naim, sicut dixit Lucas in medio evangelii [7], et notum est ex eo quod paulo post suscitavit puerum, filium viduae, in Naim; secundo, a sorore Lazari, in Bethania, ante sex dies paschatis, in domo eorum, cum suscitavisset Lazarum fratrem eius; tertio, iterum in Bethania, ante biduum paschatis. Et Iohannes

* p. 65.

[1] MATTH., XV, 22. — [2] IOH., IV. — [3] LUC., VIII, 44. — [4] LUC., VII, 36. — [5] Sic ms.; adde « pharisaei ». — [6] IOH., XII, 3. — [7] LUC., VII, 37-38.

dixit: Unxit pedes Christi; Matthaeus autem: Ante biduum paschatis, cum esset in domo Simonis leprosi, venit mulier, effudit (unguentum) super caput Christi discumbentis. Et ex eo quod unus dixit: Apud Lazarum, et alter: Apud Simonem, et Iohannes quod illa pedes unxit, et Matthaeus caput, patet eum ter unctum fuisse. Et ex modo, ex loco et ex tempore evidens est non unam unctionem esse, sed tres, et mulieres tres. Quod si illa peccatrix, quae erat in Naim, venit ante biduum paschatis ad eum et unxit eum, duae mulieres numerantur secundum sententiam Mar Iohannis, et tres unctiones sicut scripsit sanctus Severus. — *Habens secum alabastrum;* alabastrum (šaṭīphta) vocatur quia obliquum (šaṭīph) est os eius, et pars eius interior sicut ampullae, et mensura est capiens libram. *Unguenti aromatici magni pretii;* h. e. unguentum nardi est. Alii: balsamum est. Alii: conficitur ex radicibus suavibus. Alii: Graecus unguentum nardi appellat oleum quod apud nos est, et in hac regione una drachma comparatur quantum sufficit ad ungendum totum corpus; unde evidens est odorem suavem non ex natura illius unguenti fuisse, sed ex corpore Christi. Magdalena pro linteo capillis suis abstersit, ut odor corporis Domini nostri cum ipsa maneret etiam postquam ipsa discessit. Et dicunt ab hoc die usque ad mortem suam non usam esse lotione capitis nec unguento, et corpus eius melius quam omnia aromata * olebat. — *Et effudit illud super caput Iesu,* h. e. unxit illud quia mos erat omnibus pedes ungere propter laborem et defatigationem. Rursus, quia mos tunc vigebat ut homines praeclari ungerentur. Lucas dicit[1]: *Pedes eius unxit, et capillis suis abstersit,* h. e. eos extersit.

* p. 66.

v. 8) *Et viderunt discipuli eius et indignati sunt;* h. e. irati sunt et murmuraverunt.

v. 9) *Poterat venumdari;* quid melius est: Dominum nostrum illo ungi aut illud venumdari et pretium dari pauperibus? nam Dominus abundat et non indiget. Et undenam discipuli ad hanc cogitationem devenerunt? Ex eo quod dixerat[2]: *Misericordiam volo et non sacrificium.* Per ea autem quae dixit Marcus[3]: *Poterat venumdari pluris quam trecentis* denariis, signi-

[1] Cf. Luc., vii, 44. — [2] Matth., ix, 13. — [3] Marc. xiv, 5.

ficavit eam multa pecunia illud comparasse. Rursus, ostendit magnanimitatem eius, et voluntatem eius generosam, et amorem eius erga illum. Et quare suscepit ut ungeretur? Et dicimus: Sicut suscepit ut fieret homo et se exinaniret, h. e. ut esuriret et sitiret secundum carnem, et sicut etiam Pater eius suscepit faetorem victimarum et fumum holocaustorum Hebraeorum; iterum, propter salutem huius mulieris quae accessit ad eum; rursus, mos tunc vigebat ut homines praeclari ungerentur propter maciem vitae asceticae; et etiam oblationes, quae Deo offerebantur, oleo ungebantur sicut ungebantur sacerdotes legis et reges.

v. 11) *Propter quid molesti estis mulieri?* h. e. iniiciatis ei laborem durum et vexationem. Rursus, in initio ne exigatis a quoquam id quod perfectum est, sed gradatim; neque ipse in initio exegit ab eis quod perfectum est, sed iussit eos portare marsupium in quo posita erat pecunia; et ideo dixit: *Propter quid molesti estis?* Si enim * illa rogavisset eum antequam faceret, monuisset illam se non indigere unctionis. Mar Iohannes dixit[1]: « Hisce Christus nos instituit et docet quod si videmus quosdam comparavisse vestimenta sacerdotalia aut alia ornamenta pro ecclesia, non debemus dicere: ut vendant ea, ne deminuatur fides, sed laudare illos; si autem antequam haec comparentur, nostram sententiam exquirant, suadeamus eis ut dent pauperibus ea quibus volunt res pro ecclesia emere ». — *Omni tempore pauperes... me autem non omni tempore;* Sanctus Iohannes: « Cur decet misericordiam facere? Quia non omni tempore est nobis qui esuriat et affligatur, sed in hoc mundo tantum. » Rursus, ut confortaret animum mulieris illius (haec) dixit.

* p. 67.

v. 12) *Tanquam ad sepeliendum me fecit;* h. e. quo unxit me unguento mortem et sepulturam meam annuntiavit. Rursus, quia non erit vobis occasio corpus meum aromatibus condiendi unguentisque delibuendi propter metum vestrum Iudaeorum, haec corpus meum in antecessum unguentis delibuit tanquam ad sepulturam.

v. 13) *Ubicumque praedicabitur Evangelium meum;* eo quod

[1] Cf. *Hom.* LXXX *in Matthaeum.* (*Patr. Gr., t.* LVIII, col. 726).

praedicabitur Evangelium eius in mundo, consolatus est discipulos suos ab afflictione de morte sua. *Dicetur id quod fecit haec;* per hoc laudavit mulierem ne, cum audiret mortem eius, in dubium caderet. Ut praedicetur memoria eius in omnibus gentibus, h. e. ut in omnibus linguis vulgetur id quod fecit. Allegorice: Domus, symbolum mundi; mulier, typus peccatorum paenitentium; odor unguenti, mysterium Evangelii quod suavem reddidit corruptionem nostram.

v. 14) *Tunc abiit... Iudas*; quando? Cum vidisset Simonem mundari et mulierem effundentem super eum unguentum. * *Unus e duodecim;* h. e. ex his electis et primis quibus revelata sunt mysteria, qui habebant fiduciam, non autem ex secundis secundum ordinem, h. e. e septuaginta duobus praeconibus. *Iudas iscariota;* h. e. appellavit eum nomine Scariot, urbe eius. Rursus, ut distingueret eum a Iuda zelote.

* p. 68.

v. 15) *Quid vultis dare mihi?* Caelum et terra sunt viliora quam ut sint pretium eius quem vendis, quia haec sunt creaturae, ipse autem est Creator, et creatura pro Creatore nullo modo commutatur nec venditur. Non reputavit quomodo traderet eum qui tres mortuos coram eo suscitaverat; nisi ipse (Christus) concessisset et permisisset et voluisset, non potuissent crucifigere eum. Cum autem Iudas tradidit et Iudaei crucifixerunt (eum), non voluntatem eius fecerunt, sed contrarium. Etenim ipse propter salutem hominum voluit tradi et crucifigi; Iudas autem et Iudaei non propter salutem hominum tradiderunt eum, sed ut moreretur eiusque nomen periret. Ergo etsi ipse voluit, isti non voluntatem eius fecerunt, sed contrarium, et ideo culpantur et condemnantur. Intravit Satanas in Iudam, non in socios eius, quia invenit in eo passionem amoris pecuniae. Lucas subiungit[1]: *Et ducibus militiae templi:* duces militiae, strategi. Quia enim principatus Iudaeorum corruerat et principes sacerdotum alter cum altero semper decertabant, Romani constituerunt cum eis in templo duces militiae, ne decertarent, et erant in templo cum eis. — *Illi autem constituerunt ei triginta* (nomismata) *pecuniae;* h. e. triginta denarios. Nomen quidem « pecunia » commune est et aliquando denotat

[1] Luc., xxii, 4.

aurum et aliquando argentum, et drachmas et denarios. Rursus, *triginta* (nomismata) *pecuniae*; h. e. cum prothesi litterae d a l a th[1] ante vocem « pecunia » denotat triginta siclos pecuniae; siclus autem pecuniae est viginti drachmae, * ita ut totum pretium sit sexcentae drachmae, quae faciunt triginta denarios. * p. 69.

v. 16) *Et ex eo tempore quaerebat opportunitatem*; h. e. occasionem seu tempus et momentum immune a tumultu multorum. Rursus, momentum quaerebat cum populus et turba, quos docebat, non invenirentur apud eum, quia timebat a populo.

v. 17) *Die autem primo Azymorum*; h. e. parasceve erat. Et illud quod retulit: *Ubi vis ut paremus Pascha?*, quinto die hebdomadis dixerunt. Sanctus Iohannes[2]: « Quoniam multi solent a vespera diem numerare et computare, quia in fine diei quinti et in initio parasceves oportebat ut agnus hoc anno mactaretur et inciperent comedere azyma, ideo vocavit diem azymorum diem quintum hebdomadis dum appellavit diem a vespera et occasu (solis) ». Considera, o lector, quomodo sanctus Iohannes testetur multos populos numerare diem a vespera, sicut nos Syri, non autem a mane sicut numerant Graeci et Armeni. Et omnimodo, secundum naturam et Scripturarum veritatem, dies debet a vespera numerari sicut etiam expositturi sumus infra[3] ubi explicabimus illud: « Fuit Dominus noster in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus ». Lucas dicit[4]: « *Appropinquaverat dies* », h. e. aderat; cum evidens sit eum loqui de vespera in qua Pascha mactabatur. *Ubi vis ut paremus Pascha?* Inde patet eos non possedisse domum; renuntiaverant enim familiis et domibus.

v. 18) *Ite in civitatem*; h. e. in Ierusalem. Etenim in hoc festo Paschatis Iudaei ex omni loco adscendebant Ierusalem ut comederent Pascha, et ideo magna turba aderat in Ierusalem, et cogebantur incolae parare diversoria iis qui ad festum congregabantur. Et Dominus noster in hoc festo domum quaesivit * ut comederet pascha. — *Ad quemdam,* nec notum fecit nomen viri. Sanctus Cyrillus[5]: Quia Iudas caenaculum noverat, * p. 70.

[1] Id est signum genitivi. — [2] *Hom.* LXXXI *in Matthaeum* (*Patr., Gr.,* t. LVIII, col. 729). — [3] Vide infra, p. 130. — [4] Luc., XXI, 1. — [5] Cf. *Comment. in Lucam, sermo* CXLI [syriace]; (*Patr., Gr.,* t. LXXII, col. 904). Recitatur quoad sensum.

non indicavit eis nomen viri, quia si cognovissent nomen eius, forsan (Iudas) abiisset et adduxisset crucifixores, et impedita fuissent quae facta sunt in caenaculo, ut ablutio pedum, et sumptio mysteriorum, etc. Revelatio autem facta est de homine qui non cognoscebat Dominum nostrum nec discipulos eius, et paravit Domino caenaculum proprium, et contempsit timorem a Iudaeis; et sine dubio potentia Domini nostri in hoc homine operata est ut a nemine timeret. Nonnulli dubitantes quaerunt: Quis est dominus caenaculi? Et dicimus: Quidam dicunt: Ioseph decurio est. Alii: Nicodemus. Alii: Lazarus, quem suscitaverat, filius Simonis leprosi. Alii: Simon cyrenensis quem angariaverunt ut portaret crucem eius, dum illudunt ei dicentes: Quemadmodum gavisus es cum eo in comestione Paschatis, socius eius esto etiam in passionibus eius. — *Tempus meum appropinquavit*; h. e. tempus passionis; et ita significavit se voluntarie pati. *Cum discipulis meis;* h. e. ut pararet coenaculum omnibus sufficiens.

v. 19) *Et paraverunt pascha;* h. e. pascha legis, sicut convenit: azyma, et herbam amaram, et cultros.

v. 20) *Et cum esset vespera.* In vigilia parasceves debebat hoc anno manducari pascha; quia parasceves erat prima dies Azymorum hoc anno, id est dies decimus quintus mensis lunaris. Et lex praecipiebat ut in quarto decimo die, ad vesperam, mactaretur et comederetur. Ergo in vespera diei quinti hebdomadis, i. e. in vigilia parasceves, illud comedit. Et Iudaei transgressi sunt (legem)[1] ut Dominum crucifigerent. Rursus, *p. 71. Moyses diem * quartum decimum, in quo agnus mactatur, non includit in diebus azymorum; sed diem quartum decimum ad mactationem agni statuit, et deinde coepit computare dies azymorum a quinto decimo die: dixit enim[2]: *In mense primo, in quarto decimo die, ad vesperam, pascha est Domino. In quinto decimo mensis solemnitas: Septem diebus comedetis azyma.* Vide quod non includit diem quartum decimum, quo agnus mactatur, in numero septem dierum azymorum. Rursus, notandum est Dominum nostrum prius pascha legale secundum modum praescriptum comedisse cum discipulis suis, et postea

[1] *Num.*, XXVIII, 16-17. — [2] [illegible], XII, 18.

discubuisse ad mensam ut caenarent. Et in illa caena dixit eis: *Unus ex vobis tradet me;* et multa alia quae memorat Iohannes. — Dominus vigilia parasceves comedit pascha; Iudaei autem distulerunt illud ad vigiliam sabbati, ut Christum occi-
5 derent. Et evidens est ex eo quod dixit Iohannes[1]: *Ipsi non introierunt in praetorium ne pollucruntur donec comedissent pascha;* monstrat his verbis eos pascha nondum comedisse. Mar Iohannes, Eusebius, Moyses Barcepha, Iohannes darensis, his assentiuntur. Verumtamen Hippolytus Romanus et Mar Isaac
10 dicunt: Dominus noster hac vespera non pascha legale comedit quia ipse fuit eis pascha; et « post baptismum non comedit pascha ». Exponant isti quare dixerunt discipuli: Ubi vis ut paremus tibi pascha? Oportebat enim ut primum interrogarent eum: Si vis comedere pascha? Et hinc notum est
15 quod singulis annis pascha comedebat. — *Discumbebat cum duodecim discipulis suis;* per illud *duodecim* indicat Iudam ibi adfuisse. Venerat enim ut particeps esset mysteriorum; et ad mensam reprehensus est ut resipisceret; et ideo dicit Evangelista: * *Cum ederent.* Dominus noster loquutus est de pro- * p. 72.
20 ditione, ut ex tempore et mensa ostenderet malitiam et inobedientiam Iudae, et ante caenam etiam eius pedes lavit, sicut dixit Mar Iohannes.

Lucas[2]: *Desiderio desideravi,* h. e. cupidus sum; *hoc Pascha comedere vobiscum:* per *hoc* ostendit se aboliturum esse legem
25 et daturum Pascha spiritale, h. e. illam transire et hoc incipere. — *Dico enim vobis quod deinceps non comedam illud donec compleatur in regno Dei*[3]. Regnum hic vocat opus Evangelii. Et hoc *compleatur* id est adimpleatur, scilicet iam non comedam hoc pascha legale donec pascha verum corporis et sanguinis
30 compleatur per ministerium Evangelii et per fidem et iustitiam quae in eo sunt. Et dabo vobis corpus meum et sanguinem meum; et cum dabo vobis primus ex illo comedam, et deinde vobis dabo ut comedatis illud; in hoc sensu regnum Dei vocat pascha quod est corpus et sanguis. Illud vero *donec,* quod dixit,
35 ponit terminum et statutum quod non superatur, sicut illud[4]: *Malchil, filiae Saul, non fuerunt filii donec mortua est.*

[1] Ioh., xviii, 28. — [2] Luc., xxii, 15. — [3] Luc., xxii, 16. — [4] II *Reg.*, vi, 23.

Marcus[1]: *Et cum ipsi ederent, accepit Iesus panem et benedixit ac fregit... etiam calicem dedit eis.* Quemadmodum enim in flumine baptismum Iudaeorum abolevit et baptismum Iohannis persolvit et suo aperuit ianuam, ita et apud mensam duo paschata celebravit, dum illi quidem finem, huic autem initium dedit. Primum adimplevit pascha legale, et continuo lavit pedes eorum; et deinde discubuit et dedit eis mysterium corporis et sanguinis sui.

Matthaeus: *Et cum ederent.* Ad occasum quidem solis mac-*p. 73. tabatur agnus, quia caelum et terra et elementa * ad vesperam, qua incipit primus dies hebdomadis, tempore occasus solis, creata fuerunt, et cum existentia eorum nox incepit. Et cum exspectasset mensura duodecim horarum, Deus dixit: *Fiat lux,* et facta est. A vespera totam noctem indicavit, et a mane totum diem. Hoc tempore occasus solis, quo hic mundus initium sumpsit, eodem, in Aegypto, iussu Dei, agnus, qui est typus Agni Dei, incepit mactari. Praecepit ut mactaretur ad occasum solis, h. e. ad occasum solis et ad ortum lunae, ut lux lucem sequeretur et exciperet, et non dominarentur tenebrae in occisione eius. Et quia iam occasurus erat agnus, h. e. defecturus, festum Azymorum adiunxit festo Paschatis[2]; quia cum azymo comederunt agnum, et quia festinanter egressi sunt, et non concessum est eis ut fermentaretur massa eorum subacta. — Lex Paschatis[3]: Decimo die nisan lunaris accipient agnum anniculum, et servabunt eum usque ad quartum decimum diem, et mactabunt eum ad occasum solis, et comedent eum assatum, renibus suis accinctis, cum calceamentis in pedibus et baculis suis in manibus, et festinanter comedent eum. *Septem diebus azymum comedetis et omnis qui comederit fermentatum peribit. In mense primo, in quarto decimo die mensis, ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimum primum mensis*[4]. — Et cum comedissent agnum cum azymo, lavit pedes eorum sicut diximus, et continuo dedit eis mysterium, et coepit dicere: *Unus ex vobis tradet me.* Hucusque mystice loquutus erat de traditione sua, hic autem aperte. Per illud *Unus ex vobis,*

[1] Marc., xiv, 22. — [2] In hac sententia, sunt lusus verborum, qui latine reddi non possunt. — [3] Cf. *Exod.*, xii, passim. — [4] *Ibid.*, 15, 18.

omnes turbavit; unusquisque timebat pro seipso, ne forte ipse esset; et dicendo *unus* ex omnibus eorum, indicavit se non ignorare quis sit. Illum autem non designavit * sperans fore ut convertatur, et timorem omnibus iniecit ut eum salvaret. * p. 74.

5 v. 22) *Et contristati sunt valde;* timor et angustia apprehenderunt eos. *Et coeperunt dicere ei unusquisque eorum,* quia verbo eius magis quam scientiae suae credebant, et confitebantur quod ipse cognoscit eos magis quam ipsi seipsos cognoscunt. — Iohannes[1]: *Intuebantur unus alium,* quia ignorabant 10 de quo dixisset, et unusquisque pro seipso interrogabat.

v. 23) *Tunc respondit et dixit: Qui intingit mecum manum suam in catino;* h. e. patefecit illum ne socii eius prae timore morerentur, et tentat proditorem num forte resipiscat. Illud enim *Qui intingit mecum,* h. e. secundum sanctum Iohannem[2]: 15 « Adeo (aiunt) corruptus et arrogans erat ut magistrum non revereretur, sed cum eo intingeret; mihi autem videtur quod, ut iniiceret ei pudorem et ad amorem traheret », dixit: Vos omnes qui pariter mecum comeditis, *unus ex vobis, tradet me;* h. e. traditor non exterus est, sed ex iis qui intingunt manum 20 mecum in catino. Quaeritur: in quo intingebant, cum lex prohiberet ne quid igne paratum comederetur? Et dicimus: Intingebant in condituris aptis ad comestionem assati, sicut salsura; etiam enim agnum assatum comedebant secundum canonem antiquum. Sanctus Philoxenus: Etsi omnes discipuli 25 manus suas cum eo ad catinum porrigebant, tamen cum Dominus noster manum suam porrigeret, illi manus suas retrahebant; Iudas autem non ita, sed cum eo arroganter manum suam simul porrigebat, et hoc est: *Qui intingit manum suam.* Et cum discipuli traditorem ex hoc non cognovissent, intinxit 30 panem et dedit (ei), et statim cognoverunt. Alii: Duo catina coram eis posita erant, et seni in uno catino * intingebant; Iudas autem erat ex turma quae cum Domino nostro intingebat, et ideo dixit: Qui intingit mecum tradet me. Nonnulli dicunt: Donec lavit pedes eorum et dedit eis mysteria, non revelavit 35 traditorem; sed hoc non est verum. * p. 75.

[1] Ioh., xiii, 22. — [2] *Hom.* lxxxi *in Matthaeum.* (*Patr. Gr.,* t. LVIII, col. 732).

v. 24) *Et Filius hominis vadit,* h. e. moritur, *sicut scriptum est de eo.* Si moritur *sicut scriptum est de eo,* quare culpatur Iudas qui adimplevit quae scripta sunt? Et dicimus: Nequaquam ut adimpleret quae scripta sunt tradidit eum, nec conscientia bona. Ita crucifixores, non propter adimpletionem prophetiae, crucifixerunt eum, sed conscientia mala. Non enim quia res praedictae fuerunt, qui illas adimplent sine iudicio et vindicta manebunt, nam inter sermonem labiorum et adimpletionem rerum libertas posita est, et unusquisque iuxta libertatem et voluntatem suam retributionem accipiet. Si autem non scrutaberis voluntatem eius qui rem perficit, etiam diabolum et eos qui voluntatem eius faciunt, a culpis multis liberabis. [Dicunt]: Si Iudas non tradidisset eum, alius necessario tradidisset eum; si nemo, impedita fuisset oeconomia. Dicimus: Nullo modo impedita fuisset; poterat enim Sapientissimus haec sua gerere etiam absque proditione Iudae et mala crucifixorum conscientia; nam dives est sapientia eius et a creaturis non apprehenditur. — *Vae autem viro per quem...* Vae dicit viro qui vi factus est minister oeconomiae; et rursus confortat discipulos, ne putent ipsum ex infirmitate traditum fuisse. *Bonum erat ei*; per hoc ostendit Iudam libera sua voluntate tradidisse ipsum, et etiam supplicium magnum ei reservatum, et bonum ei fuisse si natus non fuisset, quia si natus non fuisset non cruciaretur aeternaliter sicut * cruciabitur postquam natus est. Nonnulli obiiciunt: Si non nasci bonum fuisset, cur creavit eum, et natus est? Et dicimus: Ad id quod bonum est creavit eum; ille autem libertate sua seipsum mutavit ad id quod non est bonum. Similiter etiam daemones et homines malos ad id quod bonum est creavit, sed ipsi mutaverunt se ad id quod non est bonum. Rursus, propter bonitatem suam creavit Iudam. Quod propter bonitatem suam creaverit eum, ex Creatore pendet; quod autem bonum aut non bonum sit, ex eo pendet. Rursus, dum oportet te culpare malos qui, cum possent non esse mali, facti sunt mali, Deo reprehensionem affingis. [Dices:] Sed iustum erat ut boni crearentur, mali autem non. Si secundum sententiam tuam factum fuisset, quae necessitas esset gehennae et poenarum? Creavit autem malos, dum sciebat bonum fuisse si non nati essent, ut manifestaretur bo-

* p. 76.

nitas eius, quia si non malos, sed bonos tantum crearet, diceretur: Videte, non creat nisi eos quos scit voluntatem suam facturos esse; et inde videretur non esse bonus; sed bonitas eius cognoscitur, quia facit solem suum oriri super bonos et malos. Rursus, si bonos tantum crearet, multitudo creaturarum cessarent, quia multitudo hominum mali sunt. Si Creator secundum scientiam suam constitueret, blasphematorem in ventre matris eius non formaret, nec permitteret gentilem videre lucem, nec Satanam nec Adam creavisset; sed, ne vana esset virtus eius creativa creavit eos. *Tu autem quis es qui des responsum Deo? Numquid dicit figmentum fictori: Quare finxisti me?* [1] Verumtamen dicimus: Cum haec dicis, rationem certaminum et agonum tollis; maiori enim admirationi sunt boni dum * inter malos versantur. Rursus, elegit Iudam ut esset apostolus sicut Petrus et Iohannes, quemadmodum elegit Satanam ut praeesset ministerio suo sicut Gabriel. Et quemadmodum Pater non culpatur ob casum Satanae, ita neque Filius culpatur eo quod Iudam elegit. Satanas libertate sua cecidit et Iudas voluntate sua. Lavit ei pedes cum cognosceret malitiam eius, ne esset ei excusatio: Odio me habebat, nec diligebat me sicut socios meos; quod si lavisset pedes meos non tradidissem illum. Et quia sciebat eum esse avidum et amatorem pecuniae praefecit eum marsupio ut pecuniam, sicut vellet, gereret, et non traderet propter pecuniam. Non autem revelavit nec patefecit eum ante tempus, propter bonitatem et longanimitatem suam; et omni modo admonuit eum, ille vero non emendavit se; nolebat autem vi libertatem eius regere.

* p. 77.

v. 25) *Respondit Iudas: Numquid ego sum, Rabbi?* Confidebat mansuetudini eius ut non responderet « Tu es »; quod et fecit Dominus noster qui, non alta sed submissa voce, ut solus audiret, respondit ei: *Tu dixisti.* Quia discipuli id non audierant, necesse fuit ut daret ei panem intinctum ut eum cognoscerent. Rursus, Lucas dicit [2]: *Appropinquaverat* Pascha seu *festum Azymorum*, quando Satanas in Iudam ingressus est, sed Iohannes dicit [3]: In caena, postquam sumpsit panem. Et uterque verum dicit. Etenim Satanas non subito nec repente

[1] *Rom.*, IX, 20. — [2] LUC., XXII, 1. — [3] Cf. JOH., XIII, 27.

in hominem ingreditur, sed primum praebet ei tentationes multas, et postea in eum ingreditur; quod et hic factum est. Illud quod primum dicit Lucas, Iohannes confirmat, dicens[1]: *Cum esset caena, proiectum erat a Satana in cor Iudae, filii Simonis Iscariotae (ut traderet eum); et post buccellam ingressus est in eum Satanas.* 5

* p. 78. v. 26) * *Cum autem ederent, accepit Iesus panem et benedixit.* Quamnam edebant caenam? Pascha enim legale comestum erat; et notum est ex eo quod dixit Marcus[2]: *Cum discumberent et ederent;* lex autem iubebat Pascha comedi, illis non 10 discumbentibus, sed cum baculis suis in manibus, ut diximus superius. Dominus noster et discipuli eius Pascha comederunt, et postea lavit pedes eorum, et deinde, cum ederent caenam, tradidit eis mysterium corporis et sanguinis sui. Matthaeus dixit Iesum benedixisse panem; quibus autem verbis bene- 15 dixerit illum non dixit. Sed benedixit illum ut auferret ab eo maledictionem illam antiquam[3]: *In sudore vultus tui comedes panem.* Rursus, benedixit eum ut daret ei virtutem expiandi peccata fidelium. Et illud *benedixit eum.* est: Sanctificans sanctificavit eum et fecit eum corpus suum. Rursus, 20 benedictionem hic vocat gratiarum actionem; et notum est ex illa quae supra calicem dicta est, et in ea recondivit virtutem et potestatem quae valent ad remissionem peccatorum. — Et per illud *fregit*, caedem suam in cruce praemonstravit. Dominus noster comedit de corpore suo et bibit de sanguine suo, quod 25 notum est ex illo[4]: *Non bibam vobiscum de hoc genimine vitis...* — *Et dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Quomodo panem hunc vocat corpus suum, cum corpus eius sit caro animata et mente praedita? Virtus Spiritus sancti, quae habitavit in Virgine et purificavit et sanctificavit eam et formavit ex ea 30 corpus quod sanctificavit et fecit corpus Dei Verbi, hodie descendit in panem super altare positum et sanctificat facitque eum corpus Dei Verbi. Et quando ipse vocat eum corpus suum, quis est qui pro certo non habebit et non credet? Oportet autem ut sint nobis oculi duplices, animae et corporis, dum videmus 35 oculis corporis panem positum super altare per sacerdotes et

[1] Cf. Ioh., xiii, 2, 27. — [2] Marc., xiv, 18. — [3] *Gen.*, iii, 19. — [4] Marc., xiv, 25.

diaconos, et videmus oculis animae hunc panem factum vere * carnem Dei Verbi animatam et mente praeditam, quam univit sibi ex Virgine, sicut ipse dixit: *Hoc est corpus meum.* Ita oportet nos intellegere et credere etiam de vino quod vocavit sanguinem suum. * p. 79.

vv. 27, 28) *Et accepit calicem... Hic est sanguis meus testamenti novi*; h. e. legatum. Accipe duo testamenta, vetus et novum; vetus quidem, legem quae per Moysen data est; novum autem, Evangelium. Et accipe duos sanguines: sanguinem veteris (testamenti), sanguinem agni qui immolatus est in Aegypto, et vocabatur Pascha; sanguinem autem novi, sanguinem Christi qui immolatus est in cruce. Quia appellavit eum sanguinem novi testamenti distinxit eum a sanguine veteris. Agnus legis innocens et non dignus occisione occidebatur pro illo qui dignus erat occisione et culpabilis propter peccatum. Et hac de causa Iohannes eum vocavit Agnum Dei qui tollit peccatum mundi, et hoc vere notum est ex eo quod de sanguine suo dixit: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod si corpus eius pro nobis fractum est et sanguis eius pro nobis effusus est, sicut ipse dixit, quare Chalcedonenses culpant nos quod dicamus ad eum: Qui crucifixus es pro nobis? Hi enim qui id ad eum non dicunt significant corpus et sanguinem eius non pro nobis tradita esse, sed pro ipso effusa, quod impium est. — Quare non in rebus pretiosis tradidit mysterium corporis et sanguinis suis? Quia rarae inventu sunt hae species; iterum, ne forte dignitas harum rerum reputaretur pretium salutis nostrae; deinde quia ad homines spectat redemptio quae perficitur; idcirco in cibo proprio hominum tradit mysteria sua; aliis potibus et escis * rationalia non utuntur. * p. 80.

v. 29) *Non bibam vobiscum ex hoc genimine*; h. e. corpora hominum post resurrectionem erunt incorruptibilia et non indigebunt cibi nec potus corporalis. Corpus autem Dei Verbi, postquam surrexit de sepulcro, comedit et bibit; et hic cibus et potus est alienus, novus et insolitus, et ideo eum vocavit novum, h. e. quia non est alius ei similis. Rursus, *nove*, h. e. alieno modo. Eum autem comedisse testantur apostoli; dixit enim Petrus[1]:

[1] *Act.*, x, 41.

Manducavimus et bibimus cum eo post resurrectionem eius. Rursus, *non bibam*, scilicet, non laetabor vobiscum in doctrina hac quam a me audistis donec perveniatis ad mundum novum et sedeatis super duodecim sedes. Tunc illic laetabor vobiscum in hac doctrina, et haec, quae hic abscondita sunt a vobis, illic vobis revelabuntur. Rursus, vitem appellavit seipsum, quia ab eo discebant et erudiebantur. Et per *novum*, significavit doctrinam quae hic est, esse typum eius quae illic est; sicut vestimentum detritum respectu novi, ita est haec doctrina respectu illius quae illic est. Iterum, ostendit eum, qui recte doceat, gaudere in illa doctrina sicut ii qui discunt.

Rursus, oportet scire Deum Verbum, ante resurrectionem suam, tria corpori suo contulisse quae sunt supra naturam humanam: quod mansit quadraginta diebus in deserto et non esurivit; — Moyses autem et Elias, etsi ieiunaverunt quadraginta diebus, tamen esurierunt in ieiunio suo; Dominus vero non ita, sed in consummatione et fine quadraginta dierum, cum permisit carni suae, esurivit —; quod ambulavit super fluctus maris; et quod vultus eius in monte magis quam sol splenduit. Et post resurrectionem corpori suo tria contulit quae sunt infra naturam humanam: quod manducavit et bibit post resurrectionem; quod servavit in eo * locum clavorum et lanceae, et quod a discipulis videbatur sub colore corporis mortui. Haec enim sunt infra naturam corporis nostri; quando autem nos a mortuis resurgemus, corpora nostra non indigebunt cibi nec potus, nec videbuntur in nobis cicatrices et contusiones, neque si fuerimus lusci aut caeci, sed surgent absque maculis et vitiis; neque videbuntur in eis colores corporum mortuorum. Illa tria, quae sunt supra naturam, corpori suo ante resurrectionem dedit, ut cognosceretur corpus esse divinum; et post resurrectionem ostendit in eo tria quae sunt infra naturam, ut cognosceretur illud corpus, quod crucifixum est, idem esse quod suscitatum est, non autem aliud. Rursus, bibit cum eis vinum post resurrectionem, ut occludatur os Maneti et Marcioni et Severo et Messalianis qui mysterium sanguinis eius in aqua tantum conficiunt, nec vinum cum aqua in calice miscent; genimen vitis vinum est, non aqua.

* p. 81.

Rursus, nonnulli quaerunt utrum Dominus noster Iudam participem mysteriorum fecerit necne. Mar Iohannes in homilia de Proditione et in homilia octogesima prima commentarii in Matthaeum, Mar Severus in responso secundo, Mar Ephraem in 5 commentario Evangelii, Iacobus sarugensis in homilia de Passione, Iacobus edessenus in canonibus quos statuit, et maior pars aliorum dicunt Christum fecisse eum participem mysteriorum. Philoxenus mabbugensis in commentario in Matthaeum dicit: « Non fecit eum participem mysteriorum, quia Satanas in 10 eum iam ingressus erat» ; et ex hac sententia Philoxeni in Ecclesia invaluit usus non dandi sacramentum iis qui a daemonio obsessi sunt. Mar Ephraem et Mar Iacobus sarugensis, etsi dicunt (Christum) fecisse eum participem mysteriorum, tamen subiungunt quod intingendo panem in aqua privavit eum sancti- 15 tate, et panem simplicem dedit ei. Alii autem doctores dicunt: * Corpus, si in aqua intingitur, non privatur sanctitate, et aqua *p. 82. non potest auferre ab illo sanctitatem et habitationem Spiritus qui in illo est, nec unionem hypostasis Verbi quae unita est corpori. Si secundum opinionem eorum, etsi vera non est, panem, 20 cum in aqua intinxit, privavit sanctitate, quomodo privavit (sanctitate) mixtionem vini et aquae in calice, quae mixtio est sanguis eius, cum nullo modo intinxerit illam? David monachus, filius Pauli, amicus Moysis Barcephae mossulensis, dixit: « Etsi Dominus noster corpus, quod dedit Iudae, in aqua non intinxit, 25 tamen secreto abstulit ab eo sanctitatem, quia indignus erat; et notum est ex eo quod si profanus panem consecratum manducat, panem simplicem manducat, quia non manducat illum cum fide. » Itaque quidam ex doctoribus dicunt (Christum) fecisse eum participem mysteriorum. Iacobus edessenus dicit: « Panem 30 aridum, h. e. siccum, intingebant et manducabant, et Dominus noster de illo intinxit et dedit Iudae, non autem de pane mysteriorum quem fecit corpus suum intinxit et dedit ei, sed fecit eum participem mysteriorum sicut socios eius. » Quis autem e doctoribus recte dicat, Deus tantum scit.

35 v. 30) *Et laudes dixerunt et exierunt in montem Olivarum.* Ideo laudes dixit ut daret nobis exemplum ut, cum manducamus, demus laudes Deo, provisori nostro, et agamus ei gratias. Antequam daret eis corpus et sanguinem suum gratias egit, et

postquam eis dedit laudes dixit, ut nos ita faciamus et gratias agamus antequam mysteria manducemus et laudes dicamus post communionem. Rursus, illo: *gratias egit*, nos docuit ut quod patimur cum confessione et gratiarum actione sustineamus, sicut ipse sustinuit pro nobis passionem et mortem. Rursus, laudes dixit ad docendum nos, cum receperimus mysteria, manere usque ad finem orationis ultimae actionis gratiarum quam sacerdos recitat in conclusione. Et haec fuit laudatio: confessio quidem et gratiarum actio quam fecit Patri propter *p. 83. * sustentationem quam praestat nobis, confessio autem quam fecit Patri propter curam eius de nobis. — *In montem Olivarum*; in caenaculo non mansit ne fieret tumultus tempore quo apprehenderent eum. Iohannes[1]: *Ad vadum torrentis Cedron*; h. e. aut dominus eius appellabatur Cedron, aut ipse torrens ita vocabatur. — *Vadum* vocat quo transibant de hac regione ad alteram; et verba Evangelistarum ita consentiunt.

v. 36) *Venit enim Iesus ad locum qui vocatur Gethsemani*. Et dicunt : Ille hortus, cui adiacet torrens, Gethsemani appellabatur. Iohannes illum vocavit hortum, Matthaeus et socii eius Gethsemani, h. e. hortum optimatum; fortasse ex horto exivit et venit ad alium locum in monte Olivarum qui vocabatur Gethsemani.

v. 31) *Vos omnes scandalum patiemini in me hac nocte*; h e. haec verba, cum adscenderent in montem, dixit, aut postquam in hortum intraverunt, scilicet: Iudas tradet me propter malitiam suam et vos deseretis me et fugietis propter infirmitatem, et scandalum patiemini. *Scriptum est enim: Percutiam pastorem*: pastor est Christus, sicut ipse dixit[2]: *Ego sum pastor bonus*; oves, quae dispersae fuerunt, sunt apostoli. Quis est ille qui percussit Christum pastorem? Et dicimus: Non diabolus, nec Iudas, nec crucifixores. Ergo Zacharias[3] in nomine Patris illud dixit, quia voluntate Patris Filius eius percussus est passionibus et morte propter salutem mundi.

v. 32) *Postquam surrexero, praecedam vos in Galilaeam*. Dixit *surrexero*, non quod eum suscitaturus sit Pater, ut pudorem iniiciat Nestorianis qui haec verba sumunt ad minuendum

[1] Ioh., xviii, 1. — [2] Ioh., x, 11. — [3] Zach., xiii, 7.

Filium. — *In Galilaeam*; h. e. non in locum longinquum ibit, sed in loco ubi crucifixus fuerit, surget et videbitur. Rursus, *in Galilaeam;* in locum ubi remoti erunt a timore Iudaeorum.

v. 33) * *Respondit Cephas et dixit: Etiamsi omnes scandalum passi fuerint in te.* Sanctus Iohannes[1]: Duas reprehensiones affert contra Simonem: unam, quod restitit verbo Christi et prophetarum; alteram, quod, ut amans gloriae, praetulit se sociis suis. Sanctus Cyrillus[2]: « Propter fervorem amoris sui ita dixit se non passurum esse scandalum in eo, nec negaturum eum. Etenim non erat duplex, quia unum erat in ore eius et in corde eius, sed simplex et sincerus, et in amore suo et simplicitate sua dixit: Non scandalizabor in te. » * p. 84.

v. 34) *Amen, amen dico tibi: Antequam cantet gallus.* Cum *amen,* quod non infirmatur, tibi dico: fore ut non solum cum turba discipulorum offendaris et fugias, sed etiam insuper negationem adiicias, et non post longum tempus, sed in hac nocte.

v. 35) *Si fuerit mihi moriendum tecum.* Vere sicut dixit ore suo ita erat in corde eius, et adeo diligebat Iesum ut mortem pro eo passus fuisset. Similiter etiam socii eius dixerunt. Et ut ostenderet gratiam eius possidere eos. Lucas dixit[3]: *Simon, ecce Satanas petit ut cribraret vos*; h. e. opinatur voluntatem crucifixorum esse vobis, et vos sicut illos plenos esse malitia, et petit ut permittam in vos, quemadmodum permissum est in Iobum. — *Ut cribraret vos*; h. e. ut tentaret vos, et timorem vobis iniiceret, et perturbaret vos et cribraret vos sicut cribratur triticum in cribro. Et ego, [nisi] ex parte, non deseram vos, ut sciat vos esse infirmos, siquidem fugietis, non autem malos sicut ipse existimat. Et notum est (Satanam) ab eo petivisse eo quod rogaverat ab eo ut intraret in porcos. — *Et ego rogavi pro te ut non deficiat,* h. e. etiam deseram vos, nam fugietis et tu negabis me, sed non eo usque deseram te, ut * in negatione tua permaneres et omni modo deficeres et privareris fide tua in me. Illud *rogavi,* quod dixit, (h. e.) quia passio prope est humilia loquitur; et insuper propter infirmi- * p. 85.

[1] *Hom.* LXXXII *in Matth.* (*Patr. Gr.*, t. LVIII, col. 741). — [2] Cf. *Comm. in Lucam, sermo* CXLIV. — [3] Luc., XXII, 31.

tatem auditorum dixit, quia nondum habebant eum in honore congruenti. *Etiam tu quandoque convertere et confirma fratres tuos*, h. e. post paenitentiam tuam revertere ad socios tuos et confirma eos fide quae in te est. — *Sunt duo gladii*[1]; unde erant in caenaculo gladii? Sanctus Iohannes[2]: « Cultri erant qui parati fuerant propter Pascha, et cum cognovissent quosdam venire contra eum sumpserunt eos secum »; et eos vocat gladios. Alii: Quia audierant illos se parare contra eum, prius paraverunt gladios.

v. 36) *Venit cum illis ad locum qui vocatur Gethsemani;* Iohannes hunc locum vocavit hortum, [nomen possessoris][3] aut nomen horti erat Gethsemani. — *Sedete hic donec vadam orare;* h. e. quia non solebant discedere ab eo, dixit: Manete hic.

v. 37) *Et accepit Cepham et duos filios Zebedaei*; reliquos non accepit secum ne infirmarentur, sed eos accepit qui fuerant spectatores glorificationis divinae in monte et resurrectionis quam fecit filiae Iairi; et etiam ab istis secessit sicut iactus lapidis. — *Et coepit contristari et moestus esse;* quia non satis habuit ostendere in vultu suo signa moestitiae et tristitiae, subiungit sermone: (v. 38) *Tristis est anima mea.* Iohannes dicit[4]: *Nunc anima mea turbata est.* Lucas[5] dicit rei causam: *Et cum esset in timore*; Matthaeus et Marcus ipsam rem: *Coepit contristari et moestus esse*; et Iohannes rei consequentiam: *Nunc anima mea turbata est.* Quomodo? Audi. Quando quis timet, constristatur et moestus fit, et postea * anima eius turbatur. Heretici dicunt: Ex timore et moestitia contristatus est; at non sunt veraces. Si a morte timuisset, quid prohibuisset quominus abiret, sicut scriptum est de eo[6]: *Transivit per medium eorum et abscondit se*; et quare ivit ad locum quem noverat proditor? Et quomodo timuit a morte ille qui dixit[7]: *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis*, et[8]: *Solvite templum et in tribus diebus;* et dedit eis signum Ionae[9], et dixit[10]: *Ego sum resurrectio*; et dixit discipulis suis se passurum esse,

[1] Luc., xxii, 38. — [2] *Hom.* lxxxiv *in Matthaeum.* (*Patr. Gr.*, t. LVIII, col. 751). — [3] Haec excidisse videntur; cf. p. 66. — [4] Ioh., xii, 27. — [5] Luc., xxii, 43. — [6] Cf. Ioh., xii, 36. — [7] Ioh., x, 11. — [8] Ioh., ii, 19. — [9] Matth., xii, 39. — [10] Ioh., xi, 25.

et[1]: *Ne timeatis eos qui occidunt corpus*; et cum Simon dixisset ei[2]: *Absit a te,* vocavit eum Satanam? Etenim semel scriptum est (de eo) fatigatum esse[3], et semel sitivisse[4], et semel dormivisse[5], et semel timuisse[6], et semel contristatum esse[7], et se-
5 mel turbatum esse[8], et bis esurivisse[9], et bis lacrimavisse[10]. Et per hoc ostendit se haec tulisse non propter seipsum, sed propter nos ipsos. Actiones enim Christi quattuor modis procedunt. Quaedam sunt naturae: v. gr. corpus et animam (sumpsit), et gestatus est in utero novem mensibus; quaedam sunt
10 legis: v. gr. circumcisus est, et obtulit ea quae pro nobis offerenda erant, et obtulit sacrificia et legem adimplevit; quaedam sunt oeconomiae, v. gr. esuriit, et sitivit et fatigatus est, et contristatus est et timuit; haec vere tulit, non in apparentia, nec necessaria erant sed voluntaria; quaedam ad miracula perti-
15 nent: v. gr. conceptus est sine coniugio et natus est servatis sigillis virgineis. — *Tristis est anima mea*; quemadmodum scriptum est de Patre paenituisse eum, et dolorem fuisse ei in corde[11], dum non propter creationem dolor fuit ei et eum paenituit, sed quia peccaverunt, ita et Filius dixit: *Tristis est anima*
20 *mea,* propter Iudam et Iudaeos, quia videbat eos reos esse sanguinis ipsius et, postquam fecit coram eis miracula, non solum nihil lucratos fuisse ex signis, sed convenisse * in caedem ipsius. Rursus, ideo dixit: *tristis est anima mea,* ut ostendat se esse hominem vere, non autem in phantasmate nec in appa-
25 rentia.

* p. 87.

Lucas[12]: Adeo enim timuit, *ut factus fuerit sudor eius sicut guttae sanguinis,* h. e. grumi sanguinis spissi et coagulati. Sudor, qui fit aegrotanti, sanationem indicat. Quoniam Adam aegrotans fuit, sudavit pro eo Christus qui venit ut sanaret
30 eum a morbo, et ex copia sudoris cognitum est eum pro omnibus hominibus versatum esse in agone, secundum illud[13]: *Dominus posuit in eo peccata omnium nostrum,* et[14] *Hic est Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Quapropter ex eo die et deinceps videmus

[1] Matth., x, 28. — [2] Matth., xvi, 22. — [3] Ioh., iv, 6. — [4] Ioh., xix, 28. — [5] Matth., viii, 24. — [6] Luc., xxii, 44. — [7] Matth., xxvi, 37. — [8] Ioh., xii, 27. — [9] Matth., iv, 2; xxi, 18. — [10] Ioh., xi, 35; Luc., xix, 41. — [11] *Gen.*, vi, 6. — [12] Luc., xxii, 44. — [13] Is., liii, 6. — [14] Ioh., i, 29.

multos homines qui non timent mortem sed martyrio laetanter coronantur. Ergo *contristatus est* propter nos, ut auferret a nobis tristitiam et moestitiam propter mortem. — *Et apparuit ei angelus de caelo*[1], h. e. specie humana; et angelus confortabat eum, cum adhuc quasi rem absconsam intuebatur eum. Angelus descendit ut confortaret eum, ut notum sit homines ab angelis confortari, cum in agone propter Deum versantur et orant, sicut descendit ad Daniel[2], et adiuvit Iesum, filium Iosedec[3], et Zachariam[4], et Ezechiam[5]; et iterum, ut ostenderetur eum vere factum esse hominem. Et cum staret in agone et oraret, angelus descendit ad roborandum eum. Angelus enim roboravit eum, quia David de eo dixit[6]: *Minuisti eum paulo minus ab angelis,* quae Apostolus explicavit de passione mortis eius[7]. Haec: *Angelus confortabat eum,* et *factus est sudor eius sicut guttae sanguinis,* desunt in codicibus Lucae, qui sunt Alexan- * p. 88. driae, sicut scripsit * Cyrillus.

Exspectate me hic et vigilate mecum; h. e. ne quid effugiat eos quod non videant vel non audiant; et ut discant preces a discipulis suis petere.

v. 39) *Et secessit paululum et procidit in faciem suam.* Ubicumque invenimus eum orantem solum, ut nos discamus quod cum mente quieta et corde tranquillo immunique a tumultu passionum debemus loqui cum Deo in oratione. — *Et orabat dicens*; Iohannes[8] dicit: in horto; Lucas[9] dicit: *secessit ab eis sicut iactus lapidis*; Matthaeus dicit: Accepit Simonem et duos filios Zebedaei et secessit, iubens reliquos exspectare. Audi autem, investigator, quomodo haec se habeant. Primum omnes exierunt in montem Olivarum et ingressi sunt in hortum sicut dixit Iohannes; deinde loquutus est cum tribus ex eis: *Tristis est anima mea,* sicut dixit Matthaeus; postea *secessit ab eis sicut iactus lapidis,* ut dixit Lucas. — *Pater mi, si possibile est*; h. e. quasi diceret: Etsi Adam non fecit voluntatem tuam, tamen propter me, qui indui corpus eius et feci voluntatem tuam, et nunc pro eo loquor. — *Verumtamen non sicut ego volo, sed*

[1] Luc., xxii, 43. — [2] Dan., vi, 22. — [3] Cf. Agg., ii, 5. — [4] Luc., i, 13. — [5] Cf. IV, *Reg.*, xix, 35. — [6] *Ps.* vii [illegible] [7] *Hebr.*, ii, 9. — [8] Cf. Ioh., xviii, 1. — [9] Luc., xxii, 41.

sicut tu. Haec enim fuit voluntas Adami ut, cum esset homo, fieret deus; ideo Dominus noster venit qui, cum esset Deus, factus est homo, et solvit debitum Adami, et dixit Adami nomine: Non mea voluntas, sed tua fiat, et: Quia voluntatem tuam desi-
5 deravi, dimitte Adamo delictum. Igitur per hoc ostensum est unam esse voluntatem Patris et Filii. — *Pater mi, si possibile est*; quia enim dixit: *Pater mi,* non: Deus mi, significavit se esse Filium naturalem Patris, non filium adoptivum sicut unum ex filiis, cum non dixerit: Pater noster, quod solemus
10 dicere in oratione ad Deum, quia data est nobis adoptio * filio- *p. 89.
rum. Itaque qui oravit et dixit: *Pater mi,* Filius naturalis est, non autem, sicut dicunt Nestoriani et Chacedonenses, homo est qui oravit, et humana natura quae timuit a morte. Si filius adoptivus est, et Verbum Deus est Filius naturalis Patris, colli-
15 guntur duo filii, unus naturalis, alter adoptivus, et exinde duo domini. — *Pater mi, si possibile est*; docet id non esse possibile. Rursus, propter nos oravit, ut auferret a nobis (calicem). Rursus, propter crucifixores suos oravit, quia nolebat eos condemnari propter sanguinem ipsius. Praeterea patet eum non
20 ut infirmum aut egenum oravisse, siquidem ipse est virtus et sapientia Patris, et non egenus est sed dives. Et (oravit) ut in seipso ostenderet quomodo oporteat nos orare et resistere, cum tentationes nobis occurrunt, et deprecari ut effugiamus pericula; etiam ut monstraret se revera factum esse hominem. Etenim
25 nisi oravisset, Patri suo tantum similis esset; orando autem ostendit se esse similem etiam nobis. Nonnulli vero dicunt: Nesciebat utrum (calix) transiret an non. Quomodo nesciebat is qui est sapientia Patris? Sapientia enim omnia novit. Quomodo dixisset[1]: *Quemadmodum cognoscit me Pater meus, etiam*
30 *ego cognosco Patrem meum,* nisi id cognovisset? Et quomodo nesciret, cum antea in multis locis dixisset: Tradar et crucifigent me? Alii: Per hoc *Si possibile est,* a morte fugiebat. Si secundum eorum stultam sententiam res se habeat, quid impedisset quominus fugeret is qui saepe transivit a praesentia
35 eorum? Ergo non a morte fugit, sed (voluit) nos docere, ut, quantum fieri potest, non curramus obviam passioni, propter

[1] Cf. Ioh., x, 15.

infirmitatem naturae, et orationem tempore difficultatum utilem esse, etiam ut doceret nos fortitudinem contra ea quae inducunt passionem, et significaret quam dura mors tunc esset, et manifestaret amorem suum erga homines, cum moriendo eos

* p. 90. redimeret. Potuisset enim, * etiam cum non moreretur, salvare homines virtute sua, sed hoc fuisset ordo naturae eius, neque in hoc apparuisset amor voluntarius. Mortuus est enim voluntate sua, ut amorem suum manifestaret. — *Verumtamen non mea voluntas, sed tua*; per hoc docuit nos omnia relinquere voluntati Dei. « Calicem » vocavit mortem, quia Adamo et posteris eius, non ipsi, mixtus fuerat.

v. 40) *Et dixit Cephae: Sic non potuistis.* Si enim non potuistis una hora vigilare mecum, quomodo animas vestras pro me tradetis sicut dixistis? Et hoc de Petro significat: tu promisisti te moriturum esse pro me, et cum propinquus sum (morti), non potuisti vigilare mecum.

v. 41) *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* Quare non oraverunt discipuli quando ipse dixit: Orate? h. e. propter angorem qui circumdabat eos. Iterum, nesciebant quid dicturi essent hoc tempore. Simonem enim qui dixit: *Absit a te, Domine mi,* ut patiaris, Satanam vocavit [1]. Et quia nesciebant quid dicturi essent abstinuerunt ab oratione. Rursus, erudivit eos ne arrogantes essent et alta cogitarent. — *Spiritus promptus est*; spiritum vocat non divinitatem, ut dicunt heretici, sed animam suam. Et eo quod dixit spiritum promptum esse et velle, ostendit se vicisse in seipso omnes passiones animae et corporis, erroris et peccati, quae ex corpore et amore mundi causantur aut ex operatione daemonum oriuntur. — Rursus, dicendo: *Corpus infirmum,* ostendit ex infirmitate corporis tentationes, molestias et timores in animam intrare. Rursus, si quis vult et paratus est contemnere tentationes et mortem, id non potest donec Deus adiuvet eum et det ei manum, quia praevalet cogitatio

* p. 91. carnalis propter * corporis infirmitatem. Rursus, ad apostolos ipsos verba direxit. Cum enim dixisset: *Omnes offendemini in me,* Simon et socii eius responderunt ei: Si fuerit nobis moriendum tecum, non offendemur in te. Salvator autem noster,

[1] Matth., xvi, 22-23.

ut sciens omnia, respondit eis: *Orate ut non intretis in tentationem* quia etsi spiritus vester, h. e. anima vestra, velit et parata sit sicut promittitis quia natura eius superior est morte, tamen memores estote corpus esse infirmum et timere a morte 5 propter amorem vitae, et ideo cum intraveritis in tentationem, propter timorem mortis negabitis (me), sicut accidit post paululum Simoni; et hoc est illud *infirmum*. Alii: De Genitrice Dei dixit illud *corpus infirmum*; alii: de Adamo.

v. 42) *Rursum abiit secunda vice, oravit*; h. e. mutavit ora- 10 tionem: *Si [non] potest calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua,* h. e. quia iam noverat nullum effugium a morte sibi esse.

v. 43) *Invenit illos dormientes; oculi eorum gravati erant;* h. e. quia sermo pondus somni ab eis excutere non poterat.

15 v. 44) *Et abiit iterum, oravit tertia vice*; h. e. singulis vicibus abstulit passionem e genere nostro infirmo: prima quidem, sententiam mortis; secunda, timorem mortis; tertia, ipsam mortem. Rursus, dedit exemplum filiis Ecclesiae ut ter in nocte orent.

20 v. 45) *Dormite iam;* per hoc ostendit eos angore contritos esse, quia non sustinent visum afflictionum, et se auxilio eorum non indigere. *Ecce appropinquavit hora;* h. e. illa qua tradendus erat; per hoc ostendit nihil esse absconditum a se. Rursus illud [1]: *Pater mi, venit hora,* et [2] *Nondum venit hora mea*; et [3]: 25 *Non miserunt in eum manus, quia [nondum venerat hora euis,* dicta sunt][4] de * horis et temporibus. Non quidem indigebat * p. 92. auxilio horarum et temporum et momentorum, quia omnia sunt in manibus eius; sed per haec significare voluit in ordine perficiendas esse crucifixionem, et passiones et mortem et resurrec- 30 tionem. — *Et Filius hominis tradetur in manus peccatorum;* per hoc ostendit se non esse reum mortis, sed mortem suam esse opus malitiae eorum.

v. 46) *Surgite, abeamus*; h. e. de loco ubi orabat ad locum quem Iudas noverat. Rursum: *Surgite, abeamus,* h. e. e corpo- 35 ralibus et terrenis ad caelestia et spiritalia. Iohannes [5]: *Ad-*

[1] Ioh., xvii, 1. — [2] Ioh., ii, 4. — [3] Ioh., vii, 30. — [4] Haec excidisse videntur. — [5] Ioh., xviii, 3.

duxit ministros cum laternis; « laternae », h. e. naviculae[1] quae sunt in ecclesiis. In Harclensi pro laternis scriptum est *lucernis*[2] quae ponuntur in navibus. « Cohortem » vocat turbam militum. Quia leges Iudaeorum corruptae erant, sacerdotes constituerunt in templo stratiotas seu milites armatos qui servarent ipsos et templum in diebus Romanorum, quia erat eis timor a populo et a Romanis. « Ministros » vocat servos. — Matthaeus:

v. 48) *Et dedit eis signum Iudas traditor, et dixit: Quem osculatus fuero.* Mos erat discipulis ut is qui a longinquo venerat, os Christi oscularetur, et hunc morem Iudas dedit Iudaeis tanquam signum. Alii: Iudas enim putavit se ita decepturum esse Dominum nostrum: quando nempe videbit me osculantem ipsum, putabit me ex amore meo erga illum osculari ipsum, non tradere illum; cum tamen optime sciebat Christum abscondita cognoscere. Quare ministri Iudaeorum opus habuerunt Iuda qui traderet eum illis? Quia (Christus), cum vellet, occultabat se * eis. Etenim potestatem habebat, ut Dominus, speciem suam omni tempore mutandi, et cum vellet ne agnosceretur, neque ex voce sua neque ex adspectu suo agnoscebatur, sicut etiam fecit erga Magdalenam, postquam surrexit, et postea ex voce sua manifestavit se ei quando vocavit eam Mariam. Et notum est ex eo quod dixit Iohannes[3]: *Quem quaeritis? Et dixerunt: Iesum Nazarenum,* quia non agnoverant eum. Et quomodo non agnovit eum Iudas qui assidue versatus est cum eo? Quia ille occultavit se eis nec agnoverunt eum donec voluit et manifestavit se et dixit: *Ego sum.* Rursus, Iudaei opus habuerunt Iuda qui traderet eum ipsis, ut excusationem haberent et dicerent: Discipulus eius eum tradidit; nisi enim malus fuisset, discipulus eius non tradidisset eum[4].

v. 49) *Ave, Rabbi;* sustinuit enim accipere osculum a Iuda praebens ei occasionem se convertendi a malitia sua. Rursus, ut eodem ore quo loquutus erat cum illo et dederat illi potestatem sanandi aegrotos et patrandi virtutes, osculando eum, exhauriret ab eo potestatem Spiritus et apostolatus, et donum

* p. 93.

[1] Sic designatur lampas. — [2] φανοί. — [3] Ioh., xviii, 4, 5. — [4] Cf. Ioh., xviii, 30.

quod ei contulerat. — *Ad quid venisti, amice?* h. e. nunc non discipulus meus es, sed alius et adversarius. Alium enim habes magistrum, Satanam, et alios discipulos, crucifixores. Hucusque emendabat eum, sicut dixit Iohannes [1]. — Lucas [2]: *Iuda,* 5 *osculo tradis Filium hominis.* Iudam vocavit eum, ut eum admoneret ordinis et doctrinae et familiaritatis quae habebat apud ipsum, utque converteret se ab iniquitate sua. *Osculo,* h. e. te non pudet tradere me? Et cum non persuasus fuisset, vocavit eum alium et adversarium. — Matthaeus:

10 v. 50) *Et iniecerunt manus suas in Iesum et apprehenderunt eum;* h. e. quia totam oeconomiam adimpleverat, et passio * et mors et resurrectio manebant, tradidit seipsum et apprehensus fuit. * p. 94.

v. 51) *Et percussit servum principis sacerdotum;* Simon 15 voluit caput seu cervicem ei auferre, non auriculam, quia is qui vult caput auferre, gladio in partem dexteram irruit; sed operatio divina deflexit gladium, et amputavit auriculam. Similiter prophetae in aurem populi Iudaeorum de Christo clamaverunt; illi autem obturaverunt aures suas et non audierunt; 20 in fine autem ablatus est auditus eorum.

v. 52) *Converte gladium in locum suum;* h. e. cultros quos paraverunt propter Pascha, adduxerunt secum in montem Olivarum, quos Iohannes vocat gladios. Simon autem nondum perfectus erat; ideo Dominus noster increpavit eum quod per- 25 cusserit cum gladio; etiam socii sui eum modis diversis adiuvarunt. Sed vide quomodo, cum perfectus fuisset a Spiritu, tulit et deglutivit mala nec iratus est nec indignatione exarsit. Sanctus Iohannes [3]: Servus, cui Simon auriculam amputavit, ipse est qui dedit Domino nostro alapam. Iohannes [4] vocat eum 30 Mālec, Harclensis autem Malchum. — *Omnes qui acceperint gladios;* h. e. Iudaei, qui venerunt adversum me cum gladiis et fustibus, gladiis hostium, h. e. Vespasiani et Titi, filii eius, similiter necabuntur. Alii: Per hoc Petrum innuit cui, cum crucifixus fuisset inverso capite sicut petierat, deinde caput 35 gladio amputatum est, et verbum Domini nostri adimpletum

[1] Sic (male) CHRYSOST., *hom.* LXXIV *in Matth.* (*Patr. Gr.*, t. LVIII, col. 748). — [2] LUC., XXII, 48. — [3] *Hom.* LXXXIII *in Iohannem.* (*Patr. Gr.*, t. LIX, col. 449). — [4] IOH., XVIII, 10.

est. Iohannes[1]: *Calicem quem dedit mihi Pater meus.* Per hoc redarguit Simonem; si vellem, scilicet, cum eis decertare, angeli hoc adimplerent sicut Sodomae. — Matthaeus:

v. 53) *Petere a Patre meo, et constituet mihi plus quam duodecim legiones angelorum;* h. e. adversus duodecim tribus 5

* p. 95. Israel. Duodecim legiones sunt centum et viginti * milia, quia legio est decem milia. Et illud quod dixit: *Petere a Patre meo,* dixit quia nondum habebant de eo opinionem congruentem. Etenim paulo ante viderant eum contristatum et afflictum, et quia viderant in eo multa humana non credebant quod possit perdere 10 crucifixores; ideo dixit: *petere.*

v. 55) *Tanquam adversus latronem exivistis*; h. e. opera mea diversa sunt ab operibus praedonum et latronum, et in die non apprehendistis me cum prope essem et docerem, sed in nocte exivistis adversum me. *Quotidie apud vos eram*; h. e. cum 15 prope essem non apprehendistis me, sed cum procul essem. Ergo id scitote: Si ego nollem, gladii et fustes, quos sumpsistis, non me detinerent.

v. 56) *Hoc autem factum est ut implerentur Scripturae*; hic ne unam quidem excusationem Iudaeis reliquit, quia perfecit 20 legem et adimplevit verba prophetarum. — Lucas[2]: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum*; tenebras quidem vocat diabolum et Iudam et crucifixores; horam autem tempus ex quo apprehenderunt eum donec surrexit. Ipse autem potestatem in se diabolo et crucifixoribus dedit, et apprehenderunt eum; cum 25 autem surrexisset, retulit in eos condemnationem et vicit Satanam et mortem et peccatum. — Matthaeus: *Tunc discipuli deseruerunt eum et fugerunt*; h. e. quando apprehenderunt eum, manserunt ut pro eo pugnarent; cum autem vidissent eum voluntate sua tradentem se ipsum, existimaverunt super- 30 fluum manere prope eum, et ideo fugerunt. Et adimpletum est illud Zachariae[3]: *Percutiam pastorem et dispergentur oves eius.*

v. 57) *Illi qui apprehenderunt Iesum duxerunt eum ad domum Caiphae.* Loca ad quae duxerunt Dominum nostrum: primum ad domum Annae, illinc ad domum Caiphae, et illinc ad

[1] Ioh., xviii, 11. — [2] Luc., xxii, 53. — [3] Zach., xiii, 7.

synagogam eorum, et ad Pilatum, et ad Herodem, et ad praetorium * Pilati, et ad Golgotha ubi crucifixerunt eum. Haec sunt itinera quae constituit patribus eorum cum egressi sunt de Aegypto. *Tunc cohors et chiliarchi*[1]; cohortem vocat turbam militum; chiliarchos, principes milium; ministros, servos Iudaeorum. Illud autem: *apprehenderunt Iesum,* h. e. vinxerunt eum, ligaverunt ei manus post tergum sicut latroni. Princeps sacerdotum anni illius erat Caiphas; verumtamen Anna provectior aetate erat quam Caiphas. Olim unus princeps sacerdotum ministrabat eis usque ad mortem suam; cum autem corruptae fuissent leges eorum et subiecti fuissent Romanis, pro uno multos constituerunt, et unus ex eis uno anno ministrabat et alius alio. — *Simon Cephas et unus ex discipulis sequebantur eum*[2], h. e. Iohannes; non revelavit nomen suum fugiens ab amore gloriae. *Et egressus est ille discipulus alius*[3], h. e. Iohannes; *et dixit ostiariae, quae introduxit Simonem,* in atrium Annae. — *Nonne etiam tu?*[4] Illud autem quod dixit puella, per comparationem ad Iohannem, qui intus stabat, dixit ei. — *Princeps autem sacerdotum interrogavit Iesum de discipulis suis*[5]; h. e. Anna erat ille. *Unus ex ministris alapa percussit eum*[6], h. e. hic servus est cuius auriculam Dominus noster sanaverat, ait Mar Iohannes[7]. In atrio Annae accepit Dominus noster colapham. — Matthaeus:

*p. 96.

v. 58) *Simon sequebatur eum a longe;* timebat enim appropinquare, non autem fugiebat propter magnum suum amorem. *Et ingressus sedit cum ministris ut videret finem,* h. e. qualis exitus foret iudicio Iesu.

v. 61) *Hic dixit: Possum solvere templum.* Quare *falsi* vocati sunt testes, si quidem id quod dictum fuerat a Domino nostro: *Solvite templum*[8], dixerunt? Quia ipse de * templo corporis sui dixit, illi autem testati sunt eum de templo lapideo dixisse. Si quis dicat: Nesciebant hoc, sicut neque discipuli sciverunt donec surrexit a mortuis[9], aliunde sciat eos vera non dixisse nec testatos esse, quia ipse promiserat se unum, non duo, effecturum. Dixit enim: *Solvite templum hoc.* Statuit quidem

*p. 97.

[1] Ioh., xviii, 12. — [2] Ioh., xviii, 15. — [3] Ioh., xviii, 16. — [4] Ioh., xviii, 17. — [5] Ioh., xviii, 19. — [6] Ioh., xviii, 22. — [7] Cf. p. 75, n. 3. — [8] Cf. Ioh., ii, 19. — [9] Cf. Ioh., ii, 22.

eorum esse ut solverent templum et suum ut suscitaret illud; ergo mendaces sunt, quia pro: Solvite, dixerunt: Solvet.

v. 63) *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es;* dolose adiuravit eum ut possit condemnare eum; h. e. si Iesus audiens tacuerit, condemnabunt eum tanquam hominem qui 5 audivit iuramenta divina et ea transgressus est; sin autem dixerit: Ego sum, condemnabunt eum de ore eius sine testibus: quia fecit seipsum Filium Dei, cum sit homo; si vero dixerit: Non sum Filius Dei et Christus, perdet causam suam tanquam seductor et mendax. 10

v. 64) *Dicit ei Iesus: Tu dixisti.* Sapienter respondit; non enim tacuit, nec sprevit iuramenta, neque secundum voluntatem eius respondit ei; non reprobavit nec revelavit, quia dolose interrogaverat eum, nec celavit, quia adiuraverat eum per Patrem eius, sed respondit: *Tu dixisti.* Crede igitur quod a te 15 dictum est me esse. — *Sedentem a dextera virtutis;* eo quod sedet a dextera, ostendit se quoad sedem aequalem esse Patri suo. — *Super nubes caeli*; h. e. non tantum Filius Dei sum sicut dixisti, sed etiam iudex venturus ad iudicandum orbem terrarum in aequitate. 20

v. 65) *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua*; non vestis communis erat, sed sacerdotalis, et notum est ex eo quod erat pascha; vestitus enim (erat) ut ministraret. Et hoc dispensatione divina factum est, ut exiret ab eo sacerdotium. Spi- * p. 98. ritus sanctus velum scidit et discessit * a templo. Mos erat Iu- 25 daeis, cum Deus blasphematus fuisset inter eos, vestimenta sua super blasphematoribus scindere: — *Ecce, blasphemavit.* Etsi lex hoc eis non praeciperet, tamen mos erat vigens inter eos. Dixit enim propheta ad eos[1]: *Scindete corda vestra, et non vestimenta vestra.* Quod scilicet apud Stephanum fecerunt 30 quando obturaverunt aures suas[2], id et apud Dominum nostrum fecit Caiphas.

v. 67) *Tunc exspuerunt in faciem eius;* non quatenus est Deus Iudaei exspuerunt in faciem eius et servus eum percussit, natura enim eius altior et superior est passionibus et 35 colaphis, sed quatenus factus est homo. — *Alii* [etc., *dicentes*:]

[1] Ioel., II, 13. — [2] Cf. *Act.*, VII, 58.

v. 68) *Vaticinare nobis quis est qui te percussit*; h. e. operuerunt caput eius tegumine quodam et percutiebant eum; et quia saepe revelaverat cogitationes eorum irriserunt ei: Si cogitationes novisti, vaticinare nobis quis est qui te percussit.

v. 69) *Cephas autem sedebat foris... Nescio quid dicas*; h. e. id non fortuito nec casu factum est, sed providentia. Respondit: *Nescio quid dicas;* h. e. si cum Iesu Nazareno non fuisti, quid dicat nescis; sed, si scis, dupliciter mentitus es, in eo quod dixisti: Non eram cum eo, et in eo: Nescio quid dicas.

v. 71) *Et cum exivisset in limen*; h. e. in porticum, aut in propylea seu extremitatem parietis, ne videretur. *Et vidit eum alia.*

v. 72) *Et negavit... Non novi virum. Tunc coepit exsecrari et iurare*; h. e. cum detineretur ab iis qui adstabant, iuramentis etiam exsecrationes adiecit se non novisse illum. Nonnulli dicunt: Negavit illum quatenus non novit Iesum hominem, sed Deum; sed in hoc veraces non sunt, nam si res ita se habet, evidenter subvertit mysterium * incarnationis eo quod delet carnem Domini nostri animatam; iterum, quia falsum facit verbum Domini nostri qui dixit *negabis me*. Nos autem dicimus: Negavit, et negavit quia mortem timuit; nam mors tunc dura erat. Rursus, negavit quia Dominus noster dereliquit eum ut manifestaretur libertas eius, et etiam infirmitas eius reprehenderetur, et ne postea exaltaret se cum faceret miracula. Virtus ex duobus apparet: ex voluntate nostra et ex auxilio divino. Itaque non omnia reiiciamus in Deum, neque intendamus virtutes voluntate nostra tantum; sed ex nobis est initium et alacritas, et ex Deo auxilium et adiutorium.

* p. 99.

De diversitate personae quae Petro loquuta est, et de locis oportet investigaremus. Matthaeus, Marcus et Lucas dicunt eum in domo Caiphae negavisse; Iohannes autem, prima vice, in domo Annae. Et dicimus: Tribus vicibus negavit tum in domo Annae tum in domo Caiphae. Matthaeus dicit eum interrogatum fuisse a duabus ancillis, Lucas ab una, Marcus autem ab una ancilla duabus vicibus. Matthaeus et Marcus dixerunt eum tertia vice interrogatum fuisse a circumstantibus; Lucas vero, tertia vice ab alio; Iohannes, prima vice ab ancilla, secunda vice ab alio, tertia vice a servo, cognato eius cui Simon auriculam ampu-

tavit. Et dicimus: Vox « alius » aliquando usurpatur et dicitur de famula quae est mulier. Itaque illud quod dixit Lucas, secunda vice compellatum fuisse ab alio, et illud Iohannis similiter, idipsum est quod Matthaeus et Marcus dicunt secunda vice compellatum fuisse a muliere. Et illud Iohannis: tertia vice compellatum fuisse a servo, idem est ac illud Matthaei et Marci: Compellatum fuisse ab eis qui stabant.

* p. 100. v. 74) * *Et in ipsa hora cantavit gallus.* Lucas dixit [1]: *Conversus intuitus est eum*; inde cognoscitur eum non recordatum esse verbi Domini nostri, etiam cum audisset cantum galli, donec intuitus fuisset eum, quae oblivio accidit Simoni prae timore suo magno. Rursus, intuitus est eum, ut eum memorem redderet. Sicut dixi: Negabis me, ita factum est. Iterum, ut illuminaret animam eius et eum ad paenitentiam traheret. Cum ducerent illum et exiret domo principis sacerdotum, intuitus est Petrum calefacientem se.

v. 75) *Antequam cantet gallus, tribus vicibus negabis me;* h. e. Et quare dixit Marcus [2]: *Antequam gallus cantet bis, ter me negabis?* Et dicimus: Primus cantus galli post negationem primam factus est, et secundus cantus post negationem tertiam, quia gallus, in omni cantu quem cantat, bis aut ter cantat. Et Matthaeus dixit: Antequam cantet cantum primum et absolvat omnes vices quibus cantat, tu tribus vicibus negabis me. Quomodo? Audi. Simon negavit prima vice, et gallus cantavit prima vice cantus primi. Deinde Simon negavit secunda vice et tertia vice, et tunc gallus cantavit secunda vice cantus primi; et ita Evangelistae alter cum altero consenserunt quia ambo ita dicunt: Ait ei: Antequam gallus cantet unum primum cantum et absolvat omnes vices in primo cantu quem cantat, tu tribus vicibus negabis me. Alii: In illa nocte gallus bis cantavit: primum, secundum naturam suam; alterum, non secundum naturam suam, sed secundum operationem Christi qui incitavit eum ut prius cantaret propter Simonem, ut cohiberetur a negatione sua, quanquam hoc nihil profuit Simoni, immo post hoc duabus aliis vicibus negavit, propter timorem suum.

* p. 101. Et deinde gallus cantavit, * quod Marcus appellat secundam

[1] Luc., xxii, 61. — [2] Marc., xiv, 72.

vicem, comparando eam cum illa prima vice cum Christus incitavit eum ut cantaret, sicut dixerunt Matthaeus et Marcus. Hanc primam vicem, quam suggessit ei Christus, vocavit primam, et illam, quae est secundum naturam, secundam. Matthaeus autem, Lucas et Iohannes vicem tantum, cum secundum naturam suam cantavit, scripserunt; Marcus autem, fusius quam socii sui, de negatione magistri sui scripsit, quia iste incitavit eum ut sua integre scriberet, timorem nempe et negationem, et ideo rem, sicut facta est, narravit. Etenim Simon voluit eum ostendere infirmitatem ipsius: quod, nempe cum gallus cantavisset praeter morem et secundum morem et naturam, ipse non conversus est nec eum puduit; ut ostium aperiret paenitentibus. — *Et egressus foras, flevit amare*; illo *amare* indicavit eum ex toto suo corde flevisse. Negatio autem eius fuit ex eo quod timuit, et quod Dominus noster dereliquit eum, non ex odio et malitia; fletus autem eius fuit ex amore et fide.

[CAPUT XXVII.]

v. 1) *Cum autem esset mane, consilium ceperunt de Iesu;* h. e. ut interficerent eum; ad hoc enim machinati sunt et consilium ceperunt. *Cum esset mane*; quia timuerunt ne populus turbaretur et tumultuaretur in eos ut aliis temporibus, nec intellexerunt eum voluntate sua se tradidisse in manus eorum.

v. 2) *Et vinxerunt eum*; h. e. ei manus post tergum ligaverunt. *Et duxerunt eum ad Pilatum*; h. e. quia potestas eorum cessaverat nec poterant interficere quemquam. Duxerunt eum ad Pilatum ut ostenderent se non potestate propria nec concitatione populi interficere eum, sed eum legaliter ex sententia mori tanquam rebellem contra Caesarem et seditiosum. * *Praeses*, h. e. iudex, aut dux, aut princeps explicatur. * p. 102.

v. 3) *Tunc Iudas traditor, cum vidisset quod damnatus esset Iesus, paenituit eum.* Quod dixit evangelista, *damnatus esset,* non quasi vere damnatus esset dixit, si enim vere damnatus esset Dominus noster, Iudas gavisus esset, nec eum paenituisset, neque sanguinem innoxium vocavisset eum quem tradidit, sed quia sacerdotes eum inique condemnaverunt. Et vide, donec completum fuit peccatum et malitia Iudae, eum non paenituit.

Ita enim agit Satanas in iis qui ipsi obediunt; non sinit eos videre malum donec impleverint illud. Quare non acceptus est Iudas, si quidem evangelista dixit eum paenituisse? Quia paenituit eum secundum naturam suam, non secundum voluntatem suam, et quia non perfecte resipuit. Quod autem abierit strangulare seipsum et ad paenitentiam non accesserit, opus est diaboli, qui in eum ingressus erat. Alii: Paenitentia eius non fuit vera, nec voluntatis, sed timoris; non enim vere eum paenituit, sed timuit ne consumeretur sicut Sodomi[1] et Dathan et Abiram[2], quia tradiderat sanguinem innoxium. Alii: Ideo non acceptus fuit quia non credidit Christum voluntarie pati; si enim hoc credidisset, conversus fuisset sicut Simon nec strangulasset seipsum. — *Triginta pecuniae*, h. e. triginta denarios.

v. 4) *Peccavi, quod tradidi sanguinem iustum*; h. e. ne quis putet eum, quia vidisset quid mali in Domino nostro, tradidisse eum, gratia fecit ut diceret coram principibus sacerdotum: *Peccavi quod tradidi sanguinem iustum.* — *Quid ad nos? Tu noveris*; per hoc totam culpam in Iudam reiecerunt, dum ipsi se purgant ab impietate: nisi enim voluissent, non crucifixus esset.

* p. 103. v. 5) *Et proiecit pecuniam in templum*; h. e. contendit * cum eis multum ut acciperent eam, sed non sumpserunt eam; ipse autem iratus proiecit eam in templum et egressus est. — *Et abiit, strangulavit seipsum.* Matthaeus ita dixit; Lucas autem scripsit in Actibus[3]: *Crepuit per medium suum et diffusa sunt omnia viscera eius*; et ambae acciderunt: strangulatio et disruptio, et quisque evangelista de una scripsit. Postquam enim pecuniam in templum proiecit, abiens collum in laqueum inseruit in silva Arundinum[4]; et occurrerunt quidam transeuntes qui viderunt eum suspensum et solverunt eum antequam strangularetur. Alii: Laqueus ruptus est, et post aliquot dies in morbum cecidit et intumuit ita ut plaustrum non posset portare eum, et extuberavit caput eius, et palpebrae oculorum eius intumuerunt ita ut non videret. Et Papias dicit[5]: « Etiam membra eius virilia intumuerunt, et putredo et foetor cum vermibus manabant de eis. » Epiphanius dicit: « Vixit post crucifixionem

[1] Cf. *Gen.*, XIX, 24. — [2] Cf. *Num.*, XVI, 32. — [3] *Act.*, I, 18. — [4] Syriace: Beth Qenaya; locus ignotus. — [5] Cf. *Patr. Gr.*, t. V, col. 1261.

quadraginta diebus, et disruptus est per medium et diffusa sunt omnia viscera eius. » Alii: Ex morbo mortuus est, nec sepelierunt eum quia omnem, qui strangulaverat seipsum, non sepeliebant. Quapropter putruit et causa fuit vexationis et molestiae incolis pagi; hi autem coacti sunt eum ex illo in feretro auferre; cum autem illud levarent sursum, cecidit et crepuit et diffusa sunt omnia viscera eius. Lucas dicit in Actibus[1]: *Fiat habitatio eius deserta;* h. e. postquam sepeliverunt eum, odor putridus qui efflabat de domo eius molestus erat incolis pagi, et continuo diruerunt domum a fundamentis, et abstulerunt inde terram et lapides, et ita habitatio eius seu Iscariot facta est deserta nec habitata fuit. Domus autem eius in Ierusalem erat.

v. 6) *Quia pretium sanguinis est*; per hoc ostenderunt se sanguinem eius pretio emisisse, non interfecisse reum.

v. 7) *Et emerunt illo agrum figuli in sepulturam * peregrinorum;* h. e. ut esset locus sepulturae pereginorum, et ut tegeretur malitia caedis per curam de peregrinis. Et cum machinarentur dolum suum tegere, Deus contrarium paravit, et duo nomina figuli et peregrinorum evanuerunt et vocatus est *ager sanguinis.* Agrum vocat arvum et terram quae erat cuidam fabricanti urnas et urceos ceteraque figlina. Et viro illi unum ex tribus competebat: aut ipse fabricabat urnas, aut patres eius exercuerant artem figuli, aut nomen habebat quo vocetur Figulus, sicut aliquis cognomine appellatur.

* p. 104.

v. 9) *Accepi triginta pecuniae*; quae Iudaei voluntarie cum malitia faciebant erant adimpletio prophetiae. Illud verbum tanquam parabola ponitur in propheta, et evangelista ad rem quae facta est illud transtulit, sicut illud[2]: *Ex Aegypto vocavi filium meum.* Hoc: *Accepi triginta pecuniae,* non scriptum est in Ieremia, sicut scriptum est in Matthaeo[3] sed scriptum est in Zacharia[4]; et ex errore illius qui librum vertit, pro Zacharia scripsit Ieremiam. — Iohannes[5]: *Et ingressus est Pilatus in praetorium;* h. e. locum ubi sedet rex aut iudex, et diiudicat lites et negotia communia. — Matthaeus:

[1] *Act.*, I, 20. — [2] Os., XI, 2. — [3] In versione Simplici nomen prophetae omittitur. — [4] ZACH., XI, 13. — [5] IOH., XVIII, 33.

v. 11) *Tu es rex Iudaeorum?* h. e. quia accusaverunt eum Iudaei, adiecerunt: Dixit de seipso se esse regem. Pilatus autem, omnibus aliis praetermissis, de hoc interrogavit; putabat enim hoc contrarium esse regimini Romanorum, et iustum esse ut is, qui custos et iudex constitutus fuerat, hac de re prae omni- 5 bus investigaret. — *Tu dixisti*; h. e. pro certo habeas me esse regem.

* p. 105. v. 14) *Et non dedit ei responsum*; h. e. Pilato, neque * Iudaeis, quia nullum fructum de responsis eius cepissent. Rursus, ut adimpleretur illud Isaiae[1]: *Tacuit nec aperuit os suum.* — 10 *Et miratus est valde*; h. e. quomodo, cum causa mortis non esset in eo et facile esset ei loqui et se iustificare, ipse autem taceret. — Lucas[2]: *Iesus autem responsum non reddidit ei,* h. e. Herodi; neque ullum signum coram eo fecit, ne vi eriperent eum crucifixoribus, quia Galilaeus erat, neve differret crucem quae pa- 15 rata erat ut sustineret eam. *Herodes autem despexit eum,* quia non respondit ei nec fecit coram eo signum. *Castigabo igitur et dimittam eum*; h. e. verberabo eum et dimittam eum ut abeat. Pilatus enim vidit eos minantes illi et excogitavit castigare eum secundum consuetudinem ut liberaret eum de manibus eorum. 20 Iohannes[3]: *Dicunt ei Iudaei: Non licet nobis interficere quemquam*; h. e. licebat eis interficere alio modo praeter crucifixionem, quod notum est ex eo quod Stephanum lapidaverunt. Sed de Christo dixerunt: *Non licet nobis interficere,* quia volebant ut Pilatus interficeret eum tanquam rebellem adversus Caesa- 25 rem et tanquam virum docentem Iudaeos rebellare adversus Romanos, ut, cum ita interficeretur, non sit benignitas erga eum in morte eius sicut (non est) erga hominem qui propter delictum suum occisus est. Rursus: *Non licet nobis*; scilicet, peccatum eius ad legem nostram non spectat, sed culpa eius com- 30 munis est in nos et in Caesarem. Rursus, oeconomia hoc loquuta est ore eorum ut adimpleretur verbum Salvatoris nostri qui praedixerat fore ut traderetur non in manus Iudaeorum tantum, sed et gentibus, de quibus erant Herodiani et Pilatus, ut flagellarent eum et crucifigerent eum et tertia die resurgeret[4]. 35 — *Regnum meum non est de hoc mundo*[5]; h. e. non quasi, sicut

[1] Is., LIII, 7. — [2] Luc., XXIII, 9, 11, 16. — [3] Ioh., XVIII, 31. — [4] Cf. Matth., XX, 19. — [5] Ioh., XVIII, 36.

Iudaei me accusaverunt, rebellem contra Caesarem et accipiam * regnum terrenum. *Si de mundo esset*; h. e. hoc regnum mundi est fallax et indiget ministrorum qui pugnent pro eo. Regnum meum horum non indiget quia potens est et sibi sufficiens. Per hoc ostendit se esse Filium naturalum Patris, et regem caelestem, et creatorem omnium, et non esse, sicut dixerunt Iudaei, eum qui velit rebellare contra Caesarem et rapere regnum terrenum. — Matthaeus:

* p. 106.

v. 15) *Solebat dimittere unum vinctum populo*; h. e. dimittebant unum vinctum in festivitate per modum misericordiae, non in omni festo, sed in festo paschatis; et id quidem ut decorarent et honorarent solemnitatem in qua e vinculis Aegypti liberati fuerunt.

v. 16) *Qui vocabatur Barabbas*; hic Barabbas vocabatur Iesus; ita enim scriptum est in Evangelio Separatorum [1]; et rursus, notum est ex eo quod Pilatus dixit [2]: *Et Iesu, qui vocatur Christus, quid faciam?* Ergo Barabbas vocabatur Iesus, sed evangelista noluit scribere nomen eius, ne in libro homonymus esset Domino nostro Iesu.

v. 19) *Nihil tibi et illi iusto*; non domi narravit ei, quia rem nesciebat; ea enim quae nocte facta fuerant in Iesum a principibus sacerdotum non audierat, nec ad Pilatum pervenerant. Sed cum esset mane et audisset virum suum sedere pro tribunali ut iudicaret Iesum, mandavit ad eum: *Nihil tibi et illi iusto.* Aut, cum vidisset somnium, non intellexerat significationem eius; alioquin de eo loquuta esset. Cum autem vidisset civitatem turbari, intellexit somnium et properans misit ad virum suum. Pilatus non vidit somnium quia indignus erat, aut quia, si * vidisset, Iudaei non credidissent ei, sed dixissent: Quia vult liberare eum, haec dixit; aut (si vidit) non revelavit ne accusaretur quod, cum ita vidisset, eum non liberaverit. Nomen autem uxoris Pilati Longina [3]. — *Multum enim passa sum in somnio meo hodie propter eum*; erubescant Chalcedonenses et cum eis Armeni qui diem a mane computant. Ecce enim uxor Pilati nocte vidit somnium, et mane cum nocte praeterita computavit sicut scripsit Matthaeus. Dies enim viginti quattuor

* p. 107.

[1] Cf. Burkitt, *Evangelion daMepharreshe*, vol. I, p. 164. — [2] Matth., xxvii, 22. — [3] Communius vocatur Procula.

horis constat et a vespera incipit sicut tenemus. Illud: *Passa sum,* quod dixit, hoc est: cum vidisset somnium horrendum et terribile et voluisset se expergefacere et liberari ab illo, somnium sopiebat eam et torquebat eam, et hoc pluribus vicibus. Quare non domi narravit somnium viro suo? Nonnulli dicunt: in alio loco dormiebat illa nocte, et ideo non misit ad eum. Mar Ephraem dicit: Operatione divina oblita est somnii, et domi non narravit ei, ut, cum mitteret ad eum in tribunali postquam rediit in memoriam eius, audientes in stuporem inciderent. Et cum omnis civitas turbaretur adversus virum eius propter Iesum, mandavit ei: « Ne facias voluntatem civitatis, sed libera Iesum. » — Et quale fuit somnium, quod vidit? Nonnulli dicunt: Vidit dracones circumdantes se, et volebant nocere ei, sed Christus non permittebat eis. Alii: Vidit Dominum nostrum tanquam iudicem omnium, cuius potestas se extendit ad fines terrae, et coram eo mare ignis apertum, et sedentem super altam sedem et ad tribunal terribile, et angelos ministrantes coram eo, et creaturas trementes, et (audivit) voces dicentes corporaliter: Hic est Iesus, rex Iudaeorum, qui coram Pilato iudicatur. Alii: Vidit somnia terribilia et horrenda et plena terroris; sed quae fuerint non explicaverunt. * Somnia autem fiunt ex cogitationibus diurnis, et ex quattuor humoribus seu fluidis, sicut dicunt medici. Cum nimia est bilis atra, homo videt loca obscura et tenebrosa et se in tenebris inclusum; et cum nimia est bilis rubra, videt ignem et lucernas et lampades et vinum et hilaritatem et cantus; et cum nimius est sanguis, videt caedes et effusionem sanguinis; et cum praevalet phlegma, videt pluvias et flumina et aquas et se in eis natantem. Somnia autem sunt a Satana, v. gr. hallucinatio, amplexus turpes et oscula; somnia vero sunt a Deo, v. gr. illud uxoris Pilati, et Iosephi, et Pharaonis, et Nabuchodonosor, et Abimelec, et Danielis, et Iosephi viri Virginis.

* p. 108.

v. 20) *Principes autem sacerdotum persuaserunt turbis ut peterent Barabbam*; et hoc solum quia mortem eius ardenter cupiebant. Videte, duces demiserunt se ad turbas ut peterent a Pilato.

v. 21) *Quem vultis ut dimittam vobis?* h. e. dominos optionis fecit eos. Sperabat enim fore ut eos pudeat aperte dicendi: Crucifigatur Christus. Illos vero non puduit ob verba iudicis,

neque propter festum erubuerunt, neque se abstinuerunt quominus innocentem crucifigerent. — Et idcirco iudex *Christus* nomini Iesu adiecit, ut distingueret eum a Barabba qui et Iesus vocabatur. Rursus, ut placaret furorem eorum fecit eos dominos (optionis) ut forsan eos puderet et dimitterent illum. — *Ipsi vero dicunt: Barabbam;* quamvis mala voluntate Barabbam petierint, tamen actio divina operata est in eis invitis. Barabbas typum Adam gerebat. Quemadmodum enim Barabbas deliquit et inclusus est, ita et Adam, quia deliquit * inclusus est in inferis; et quemadmodum Christus crucifixus est et Barabbas dimissus est, ita et Adam solutus est e vinculis inferorum cum Christus crucifixus est pro eo.

* p. 109.

v. 22) *Dicunt omnes: Crucifigatur.* Nedum accusent eum quod hoc et illud fecerit, iudices facti sunt: quod turpe est. *Quid faciam ei?* Vices eius arripuerunt, quia facti sunt iudices; et hoc aut quia caecus erat nec intellegebat, aut quia timebat. — *Crucifige eum;* h. e. in crucem tolle eum. Non enim dixerunt: Occide eum aut interfice eum, sed: *Crucifige eum,* ut confirmarent eum esse seductorem et blasphematorem et dignum qui crucifigatur. Et quia crucifixio mors ignominiosa est, petierunt ut crucifigatur. Rursus, ut adducerent super eum maledictionem legis[1]: *Maledictus,* ait, *omnis qui pendet in ligno.* Etsi illi malitia mentis id fecerunt, tamen oeconomia divina misit in os eorum, ipsis invitis, quod ipse praedixerat: se morte crucis moriturum esse. Rursus, crucifixerunt eum sicut causam maximorum malorum; et quod iteraverint vocem: *Crucifige, crucifige,* magnum eorum furorem indicat.

v. 24) *Accepit aquam, et lavit manus suas*; cum enim premeretur tumultu Iudaeorum in se et verbis uxoris suae (dicentis): Christus innocens est; ideo petiit aquam et lavit (manus suas) ut ablutione manuum manifestaret immunitatem cogitationis suae ab hoc iudicio, quod erat praeter legem iustitiae. Culpatur autem Pilatus quia visus est infirmus et timidus et morem gessit adulationemque Iudaeis. Oportebat enim ut liberaret eum ab eis, si vellet, sicut centurio liberavit Paulum[2]; hic enim noverat turbationem et tumultum fieri, sed non ideo

[1] *Deut.*, XXI, 23. — [2] *Act.*, XXIII, 30.

permisit Iudaeis interficere illum. Nonnulli autem dicunt: Timebat Pilatus dimittere eum, quia dicebant eum se fecisse
* p. 110. * regem. Verumtamen oportuisset eum explorare num videret in illo signum rebellionis, num colligeret facultates, num eligeret milites; postquam vero non vidit, abreptus est acceptione personarum; ideo Christus eum culpae expertem non habuit. Iam vero evidens est segnitiem fuisse eius rationem agendi. Alii: Quia vidit uxorem suam mittentem ad ipsum et Iudaeos tumultuari in ipsum, nescivit in quam partem inclinaret et excogitavit arte et pudore uti ut liberaret Iesum per consuetudinem quae vigebat apud eos, h. e. dimittebant unum vinctum in festo. Pilatus typus erat gentium quae non factae sunt reae necis Christi, quia ipse etiam ex gentibus erat. Debuissent Iudaei resipiscere ex eo quod Iudas dixit: *Peccavi,* et strangulavit seipsum, et ex somnio uxoris Pilati, et ex lotione manuum Pilati, et ex silentio Iesu cum calumniis impeteretur, et ex oratione eius pro ipsis: *Pater, dimitte illis,* et ex miraculis quae in crucifixione facta sunt.

v. 25) *Sanguis eius super nos*; h. e. poenas sententiae eius dabimus si iniuste eum tibi tradiderimus. Rursus, nonnulli dicunt hanc maledictionem etiam sensibiliter manere apud eos, quia odor sanguinis continuo ex eis emanat et symbolice significat odium perpetuum quod erga Christum habent. Rursus, o Iudaee, si ille deliquit, tu cur trahis in te sanguinem eius, quoniam propter delictum suum condemnatus est; si autem non deliquit, ergo tu teipsum condemnasti; et ostendisti eum innocentem esse eo quod sanguinem eius super te adduxisti. Rursus, traxerunt in se et in filios suos sanguinem, et spoponderunt pro infidelitate filiorum suorum et contumacia quae eis inhaesura erat. Salvator autem noster sententiam eorum in ipsos non confirmavit, sed suscepit eos qui ex illis resipuerunt
* p. 111. sicut Paulum * et Pharisaeos et myriades eorum qui in Iudaea crediderunt.

v. 26) *Et verberavit flagellis Iesum*; h. e. Pilatus hic seipsum iterum condemnavit quia, etsi non potuit liberare eum, non debuisset verberare eum; verumtamen verberavit eum ut placeret Iudaeis et conferret eis gratiam. Illud: *Verberavit eum*; h. e. iussit eum ad columnam ligari et flagellis caedi. Rursus,

haec lex erat Romanorum ut crucifigendum prius flagellis caederent; quod et apud Dominum nostrum fecit, quia verberavit eum et deinde tradidit eum.

v. 27) *Tunc milites praesidis*; h. e. satellites qui ministrant
5 ei. *In praetorium*; h. e. locum ubi sedet rex et iudex ut diiudicet lites et negotia publica; in hoc atrio regio erat imago Caesaris, et in eo exercitus congregabatur. *Universam cohortem;* h. e. agmen militum Romanorum.

v. 28) *Et exuerunt eum*; h. e. secundum illud[1]: *Quasi ovis*
10 *coram tonsore*, et tonsores ovem lana eius exuunt. Et exutione vestimentorum suorum spoliavit principatus et potestates[2]. Quemadmodum enim Adam primus exutus est in horto, sic Adam secundus exutus est in tribunali. — *Et induerunt eum chlamyde coccinea.* Eo tempore, cum rex Romanorum creabatur,
15 haec quinque apud eum agebantur: induebat purpurea, et imponebat capiti suo diadema margaritarum, et sumebat sceptrum aureum in manu sua, et milites genu flectebant et adorabant coram eo et salutabant eum dicentes: Ave, rex noster. Et quia dixerunt causam mortis eius esse rebellionem contra Cae-
20 sarem, ideo secundum hanc similitudinem ad irrisionem induerunt eum chlamyde purpurea, et imposuerunt ei coronam spinarum, et instruxerunt eum arundine, et adoraverunt eum dicentes: Ave, rex Iudaeorum; nam ecce nunc factus * es rex sicut * p. 112. fieri voluisti et sicut Pilatus te appellavit. Chlamys: tunica est,
25 quae lacinias non habet, quam unus ex regibus consecravit et dedit Deo et templo in Ierusalem, et intincta erat sanguine conchylii. Et omne vestimentum hoc sanguine intinctum duos colores praebet in duobus locis: in sole quidem videtur purpureum, in umbra autem coccineum seu rubrum, non vero sicut dicunt:
30 textura eius est coccinea et figurae eius purpureae. Iohannes autem pro « chlamyde » dicit « purpurea ». Haec posita fuerant in Sancto Sanctorum eaque reges Aegyptii et Graeci dederant regibus Machabaeis ad honorem. Haec sacerdotes e templo tulerunt et adduxerunt ad Pilatum, dicentes: Ecce pur-
35 purea quae paravit sibi, cum regnum sollicite quaereret ut contra Caesarem rebellaret. Alii: Haec chlamys a Graecis Io-

[1] Is., LIII, 7. — [2] *Col.*, II, 15.

nathan Machabaeo data fuerat. Alii: Hoc vestimentum, quo milites eum induerunt, sacerdotes e templo eduxerunt; et id fecerunt quia timebant ne necem evaderet, et ideo hoc vestimentum e templo eduxerunt et induerunt eum ita ut, si a nece servaretur, dicerent: Non potest salvari, quia accessit ad vestimenta sancta dum non est sacerdos, et ideo lex mortem in eum statuit. Alii: Per dispensationem factum est quia, cum vidisset altare Patris sui spoliari, misit ei vestimentum quod indueret. Rursus, induerunt eum chlamyde coccinea propter colorem purpureum quem regi soli licet induere. Alii: Duo vestimenta erant: illud coccineum seu rubrum, quo primum induerunt eum, et deinde hoc purpureum; sed quisque ex evangelistis de uno loquutus est. Matthaeus vocat illud ex textura, ceteri ex figuris eius. Alii: Unum erat et praebebat indicia * p. 113. * duorum colorum. Rursus, quia induerunt eum purpureis, nobis reddidit gloriam, quam transgressione mandati exueramus, quae in mundo futuro perficietur. Purpura denotat regnum eius, passionem eius, divinitatem eius; coccum autem humanitatem eius, sanguinem eius, peccatum cruentum quod affixit cruci suae. Rursus Iohannes scripsit[1]: *Milites contexuerunt ei coronam spinarum et circumdederunt eum vestimentis purpureis.* Matthaeus dixit: *Milites praesidis induerunt eum chlamyde coccinea et illuserunt ei.* Et Marcus dixit[2]: *Milites adduxerunt eum in praetorium, et advocaverunt universam cohortem, et induerunt eum purpureis, et imposuerunt ei coronam spinarum.* Lucas ait[3]: *Herodes despexit eum, ipse et milites eius*; et Herodes et milites, illudentes ei, voluerunt facere ei quae regis sunt. Et unus attulit spinas et fecit ei coronam; alter dedit in manum eius arundinem ad instar sceptri, et unus ex principibus sacerdotum cucurrit et attulit chlamydem et dedit militibus ut illuderent ei. Iacobus sarugensis dixit: Purpurea erant unius ex regibus, quae oblata fuerant templo, sicut supra diximus; hoc in evangelio non scriptum est, sed quod milites Herodis illam ei imposuerunt.

v. 29) *Et contexuerunt coronam spinarum;* h. e. in corona, quam imposuerunt ei, duo erant: erat circularis seu rotunda,

[1] Ioh., xix, 2. — [2] Marc., xv, 16-17. — [3] Luc., xxiii, 11.

et erant in ea spinae rhamnorum (quae) magnae et albae sunt, et inveniuntur in silvis et terris rigatis. Corona spinarum pro diademate. Corona coronaverunt eum sicut athletam cinctum victoria et sicut regem. Corona spinarum, ad eradicandam ma-
5 ledictionem erga Adam: *Maledicta terra propter te*[1]. Rursus, quemadmodum Adam primus plantavit maledictionem et spinas, ita et Adam * secundus eradicavit maledictionem et spi- * p. 114.
nas per coronam spinarum. Rursum, accepit peccatum commune orbis mundi, quia corona eius erat circularis, et erant in
10 ea spinae pungentes, symbolum peccati quod animam pungit. — *Et arundinem in dextera eius*; arundo pro baculo seu sceptro et virga aurea quam reges solent manibus suis tenere. Verumtamen inviti figurant veritatem rerum futurarum; etenim per arundinem in dextera sua depinxit nobis exemplum potes-
15 tatis suae quae non transit; symbolum delendi in arundine chirographi quod adversus nos scriptum erat ab Adamo; annuntiatio caedis et verberationis serpentis qui incantavit Hevam; arundo enim naturaliter terribilis est serpenti, et ea solemus torquere et occidere serpentes. — *Et flectebant genua;*
20 genuflexio et adoratio significant conversionem gentium ad Salvatorem nostrum et liberationem ab idololatria; et fecit nos adoratores eius in veritate[2].

v. 30) *Et conspuerunt in faciem eius;* ut adimpleretur illud Isaiae[3]: *Faciem meam non averti ab ignominia sputi*; et
25 dedit nobis rebellibus et servis fiduciam filiorum in domo Patris caelestis. *Et acceperunt arundinem*; h. e. sumebant arundinem quam tenebat manu sua; *et percusserunt ea caput eius,* ut extolleret caput nostrum humile, quod propter opera nostra inclinatum erat. Ad haec omnia ludibria sacerdotes non ade-
30 rant, nec seniores nec populus Iudaeorum, sed procul stabant et imperabant, nam quia nondum comederant Pascha, servabant seipsos a societate gentium ne polluerentur. Quoniam autem a vespera illud comedere debebant, illud omiserunt donec Christum occiderunt ut tunc Pascha sine timore comederent.
35 — Iohannes[4]: *Non esset tibi in me potestas ulla nisi datum esset tibi desuper*; h. e. Pater permisit et reliquit libertati tuae

[1] *Gen.*, III, 17. — [2] Cf. IOH., IV, 23. — [3] Is., L, 6. — [4] IOH., XIX, 11, 13.

* p. 115. ut haec faceres; et patet * eum reum esse ex eo quod subiungit: *Quapropter eius, qui tradidit me tibi, maius est peccatum quam tuum.* Illo ostendit Pilatum reum esse peccati, etsi peccatum Iudaeorum maius est peccato eius, et inclusit eum sub condemnatione, potius quam consideravit eum ut innocentem et immunem a culpa. — *In locum qui vocātur pavimentum* [1]; h. e. locus est lapidibus stratus et complanatus et dispositus. — *Dicit Pilatus: Regem vestrum crucifigam?* h. e. per hoc pudorem eis iniecit, sed eos non puduit, et illusit eis iterum. — *Dicunt: Non est nobis rex nisi Caesar*; per hoc voluerunt timorem Pilato iniicere. Et quia in eo negaverunt, etiam in eo festo magno venit super eos magnum excidium a Tito. — Matthaeus:

v. 32) *Invenerunt virum Cyrenaeum cuius nomen erat Simon.* Dominus primum portavit crucem suam et egressus est e praetorio, et postea imposuerunt illam Simoni, patri Alexandri et Rufi. Lignum crucis appellabatur s ā b a q, h. e. remissio, et illud e porticu Salomonis sumpserunt; et erat unus de vectibus arcae; et erat cedrinum. Alii: ficulneum. Mar Iohannes: Illud lignum in signum positum erat apud eos, nec poterant ad illud accedere. Alii: Arborem, quae genuit arietem in locum Isaaci, Abraham excidit et adduxit in testimonium, et deducta est usque ad Christum, et viderunt eam in porticu positam et sumpserunt eam. Primum iudicium factum in porticu est iudicium duarum meretricum quas iudicavit Salomon [2]; alterum est iudicium Domini nostri; deinde diruta est nec amplius stetit in ea iudex. — *Hunc angariaverunt ut tolleret crucem eius*; vide, Christum culpaverunt quod permisisset paralytico ut portaret lectum suum, et ipsi in festo cuius honor duplex est angariaverunt Simonem. Ille qui collegit ligna in sabbato

* p. 116. lapidatus est [3], et ipsi ligna imposuerunt viro * iudaeo in die festi, et, quod etiam peius est, in die festi crucifixerunt Christum et latrones. Alii: Simon Iudaeus erat, sed ex gentibus. Per modum opprobrii dederunt Simoni ut portaret crucem eius. Quemadmodum alii arma militaria regis portant, ita et Simoni lignum eius imposuerunt; et notum est ex eo quod non scrip-

[1] Ioh., xix, 13. — [2] Cf. III *Reg.*, iii, 16. — [3] *Num.*, xv, 32-36.

tum est latrones portasse cruces suas, sed duos malefactores cum eo venisse. Et quemadmodum Simon portavit crucem nec crucifixus est, ita et Dominus noster crucifixus est non pro seipso sed pro aliis. Rursus, cum vidisset Satanas, quae bona
5 ex cruce manarent, Iudaeis suggessit ut crucem eius alii darent ut hoc bonum in morte futurum per alios sit, non per Iesum, et ut omnis mundus respiceret in eum qui portavit crucem, non in Iesum. Verumtamen voluntas Satanae non impleta est quia, etsi alius portavit crucem, tamen Iesus cruce portatus est et
10 bona per eum evenerunt. Rursus, Simon sicut iusti antiqui et prophetae egit, qui vaticinati sunt sed non passi sunt; ipse portavit crucem et alius crucifixus est. Rursus, ut nos doceret: quod quicumque vult discipulus eius fieri, tollat crucem suam, et ut adimpleret prophetiam[1]: *Principatus eius super humerum eius,*
15 h. e. crux eius qua potitus est caelestibus et terrestribus. Quemadmodum enim Isaac ligna sacrificii sui super humerum suum portavit, ita et ipse crucem suam super humerum suum portavit. — Et cum multae sint species mortis, quare mortem crucis passus est? Ut, cum exaltatus fuisset super crucem, omnes
20 homines traheret ad seipsum de terra. Etiam ut sanctificaret aerem aspersione sanguinis sui, et ut exuendo carnem suam spoliaret potestates, quia exercitus diaboli in aere plerumque degunt. Rursus, quia mors per lignum intravit, salus per lignum facta est cum suspensus est * in eo; etiam ut liberaret * p. 117.
25 nos a maledicto illo[2]: *Maledicta terra propter te,* ideo mortem maledictam tulit; *Maledictus,* ait[3], *omnis qui pendet in ligno.* Et ut benediceret nos omnibus benedictionibus spiritalibus.

Lucas[4]: *Et sequebatur eum multitudo populi, et mulieres quae plangebant.* Mos est ut, quando aliquid lamentabile fit,
30 conveniant populus et mulieres lugentes et flentes. De illo quod dicitur in Iohannes[5]: *Quaeretis me et non invenietis me,* Mar Iohannes dixit[6]: «Illic quaesierunt eum quando (mulieres) plangebant et flebant super eo». Cyrillus dicit[7]: «Flebant et plangebant quia genus mulierum amator est lacrimarum, nam men-
35 tem habent infirmam». Fletus autem et lamentatio mulierum

[1] Is., IX, 6. — [2] *Gen.*, III, 17. — [3] *Gal.*, III, 13. — [4] Luc., XXIII, 27. — [5] Ioh., VII, 34. — [6] *Hom. in Iohann.*, (*Patr. G.*, t. LIX, col. 281)., — [7] *Comm. in Lucam, sermo* CLII (syriace); *Patr. Gr.*, t. LXXII, col. 936.

desolationem civitatis eorum figurabant. — *Sed super vos ipsas flete et super filios vestros*[1]; h. e. quando veniet super vos vastatio amara. *Beatae steriles,* h. e. benedicetis eis quae non pepererunt, cum videbitis vastationem duram a Romanis. *Quia si in ligno viridi*[2]: (lignum) viride vocat seipsum, quia florens est et portat fructus, h. e. miracula quae faciebat, et doctrinam et exhortationem. Hoc est, si post haec genus Romanorum et Graecorum irriserunt et spreverunt me, *in arido quid fiet,* h. e. quid facient in vos qui estis lignum aridum et infructuosum? Quia non invenerunt in vobis ulla merita, non miserebuntur vestri. Lignum viride, Christus; aridum, Iudaei; ignis, Romani. — Matthaeus:

v. 33) *Et venerunt in locum qui vocatur Golgotha, quod vertitur Cranium;* h. e. Syri testam et os capitis cranium vocant, Hebraei autem Golgotha. Interpretes dicunt: Cum Noe in arcam ingrederetur, tulit secum ossa Adami, et cum ex ea egressus esset divisit illa tribus filiis suis. Semo, ut primo genito filio, dedit caput, Chamo autem et Iapheto reliqua ossa. * Similiter his tribus etiam terram divisit; Iapheto obtigit regio septentrionalis, Chamo autem meridionalis, et Semo media quae sita est inter septentrionem et meridiem; Ierusalem autem est de parte media, quae Semo obtigit. Et dicunt cranium Adami sepultum fuisse in illo loco et terra mystica, in qua futurum erat ut Christus crucifigeretur, priusquam aedificaretur Ierusalem. Et cum crucifixissent Dominum nostrum, crucem super cranium seu os Adami fixerunt ut in loco ubi incepit mors et ruina, inciperet vita et resurrectio. Rursus, in hoc loco crucifixus est, quia in eo effecta sunt mysteria quae crucifixionem figurabant. Etenim per generationes et annos hic locus ad hanc rem servabatur; in eo Melchisedech sacerdotio functus est et obtulit victimas et sacrificia; et in eo David aedificavit altare et obtulit victimas et cohibuit pestilentiam[3]; et haec est area Aran Iebusitae.

* p. 118.

v. 34) *Et dederunt ei bibere acetum quod mixtum erat cum felle.* Marcus[4]: *Et dederunt ei bibere vinum in quo mixta erat*

[1] Luc., xxiii, 28. — [2] Luc., xxiii, 31. — [3] II *Reg.*, xxiv, 21. — [4] Marc., xv, 23.

myrrha; ipse vero non accepit. Lex erat eis vinum dandi crucifixo, ut oblivisceretur et passio eius allevaretur; illi autem dederunt ei vinum in quo fel mixtum erat; et non bibit, quia nondum venerat hora eius, et etiam quia prophetae non vaticinati erant eum bibiturum esse vinum cum myrrha mixtum. Pluribus etiam vicibus dederunt ei bibere acetum, sic illudentes ei, antequam crucifigeretur et postquam crucifixus est, tanquam ad derisionem. Et notum est ex eo quod non dederunt latronibus qui cum eo crucifixi fuerant; non autem bibit acetum, sicut dixit Matthaeus, quia non venerat tempus eius.

v. 35) *Diviserunt vestimenta eius sorte,* ut adimpleretur prophetia David [1]; verumtamen illi ad derisionem fecerunt. Iohannes [2]: *Et fecerunt quattuor partes;* h. e. quia quattuor principes militum erant, et habebat tunicam et pallium * et zonam et sandalia. Et quia zona minima erat voluerunt scindere tunicam ut (fragmentum) adderent zonae; quoniam autem non sciderunt eam, miserunt sortem et obvenit uni ex eis. In quattuor partes partiti sunt vestimenta eius in signum quod pro peccato quattuor regionum induerat ea. — Marcus [3]: *Quis quid acciperet*; h. e. quis ex militibus quid ex vestimentis acciperet, et quodnam vestimentum acciperet, tunicam an pallium? — Iohannes [4]: *Tunica eius erat inconsutilis desuper, contexta tota.* Mos erat in regione Palaestinensi ut contexerent duos pannos et assuerent eos supra humeros et compaginarent unum cum altero, et ita facerent eos in tunicam; et vocant eam « consutam desuper » i. e. consutam supra humeros. Rursus, solebant contexere pannum completum, aptum ad tunicam, et consuebant et induebant; hunc autem vocabant « inconsutilem desuper », h. e. quia in eo non erat sutura super humeros, sed erat unus pannus, contextus totus complete. Quod inconsutilis erat significavit vilitatem vestimenti Christi. Rursus, tunicam eius vocat corpus eius; et illud « inconsutilis desuper », h. e. non de caelo deduxit sibi corpus, sed ex Maria sibi univit. Et illo: *Contexta tota,* indicavit Verbum univisse sibi corpus completum, anima et mente praeditum. Et illud : *Non sciderunt eam,* h. e. ostendit Dominum nostrum post unionem non dividi nec

* p. 119.

[1] Cf. *Ps.* XXI, 19. — [2] IOH., XIX, 23. — [3] MARC., XV, 24. [4] IOH., XIX, 23.

scindi in duas naturas. Rursus, tunica eius significat fidem unam esse et indivisibilem, et Dominum esse unum et non divisibilem in duo, et inscrutabilem. Tunica eius militibus ex gentibus, non hebraeis, evenit, quia gentes hereditaverunt fidem in Christum. — Matthaeus: 5

v. 36) *Sedebant et servabant eum*, h. e. ne raperetur a cognatis suis; speciatim in Dominum id fecerunt iussu * Pilati; aut quia observabant eum quandonam moreretur. *p. 120.

v. 37) *Et posuerunt supra caput eius causam mortis eius.* Lucas[1] et Iohannes[2] dicunt tribus linguis scriptum fuisse: 10 hebraice, romane, graece. Sanctus Iohannes[3]: « Pilatus, ut ulcisceretur Iudaeos, id fecit, et etiam ut excusaret (Christum[4]), quia tanquam iniquum accusaverunt eum ». Rursus, oeconomia haec ordinavit; futurum enim erat ut cruces effoderentur, et post tempus ex titulo quem in ea posuit iudex, crux Christi 15 dignosceretur. Alii: Timuit ne, cum mors eius exploraretur et inveniretur non reus, ipse accusaretur; ideo scripsit super crucem eius causam eius mortis. Tribus linguis scripsit, ut tres linguae testarentur Iudaeos crucifixisse regem suum. Iterum, tres testes testati sunt quomodo unum de Trinitate cru- 20 cifixissent. Scriptum autem non placuit eis, quia putaverunt se etiam existimari rebelles si is, qui crucifixus est, rex eorum est. Dicunt[5]: Scribe: Ipse dixit se regem, non quod nos accepimus eum aut agnovimus eum regem. Scriptum autem non mutavit, quia mos est iudicibus ut non mutent scripta 25 quae scribunt; et etiam ut illuderet Iudaeis.

v. 38) *Et crucifixi sunt cum eo duo latrones*; h. e. qui a dextera Titus; qui autem a sinistra Dumachus. Id quoque voluntate audaci fecerunt ut, eo quod crucifigunt eum cum latronibus et homicidis, putetur esse sicut unum ex illis, et paritate 30 actionum operiatur maiestas eius; et inviti confirmaverunt prophetiam[6]: *Cum iniquis crucifixus est.*

v. 40) *Destruens templum et aedificans illud tribus diebus.* Marcus[7]: *Ohe*; Harclensis: *Vah, solvens templum.* Hae voces * derisionis sunt et blasphemiae; qui enim dixit: In tribus 35 *p. 121.

[1] Luc., xxiii, 38. — [2] Ioh., xix, 20. — [3] *Hom.* lxxxv *in Ioh.* (*Patr. Gr.*, t. LIX, col. 469). — [4] Sic in graeco. — [5] Cf. Ioh., xix, 21. — [6] Cf. Is., liii, 12. — [7] Marc., xv, 29.

diebus aedificabo templum, ne seipsum quidem servare potuit. — *Si Filius es Dei, descende de cruce;* non autem descendit de cruce quia Filius Dei est. Qui enim novit se, cum mortuus fuerit, non surrecturum, fugit a morte; qui autem confidit se post tres dies surrecturum, et per mortem inferos destrui et mortem spoliari, non debet descendere, donec id quod congruit adimpletum fuerit per mortem eius.

v. 41) *Similiter etiam principes sacerdotum illudebant ei;* h. e. *scribas* vocat doctores librorum, et *seniores* senes qui ibi congregati erant ut urgerent ne res impediretur.

v. 42) *Alios salvos fecit.* Eo quod testati sunt eum alios salvos fecisse, seipsos condemnaverunt, nam si alios salvos fecit, potuisset non mori; et si morietur resurget. *Descendat nunc de cruce et credemus in eum.* Per illud: *Si rex Israel est,* voluerunt auferre regnum eius. Quod si descendisset de cruce, non credidissent in eum; et patet ex eo quod magna miracula fecit ante crucifixionem et in crucifixione et post crucifixionem et non crediderunt. Itaque neque si descendisset de cruce credidissent. Non autem descendit de cruce, quia non adversus eos erat certamen eius in hora illa, sed adversus mortem quam destrueret.

v. 43) *Confidit in Deo.* Ergo prophetae non sunt prophetae, nec iusti sunt iusti quia Deus non liberavit eos a periculis et passionibus? Sed notum est eos esse prophetas et iustos; ita et Dominus noster Filius Dei est.

v. 44) *Etiam latrones, qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.* Nonnulli dicunt: Unus latro tantum exprobrabat, et (evangelista) exprobrationem unius accepit et divisit duobus iuxta morem Scripturae, (sicut illud)[1]: *super vestimentum meum miserunt sortem,* dum notum est eos * non super totum vestimentum eius, sed super tunicam tantum, misisse sortem; et sicut illud[2]: *quidam ex eis dubitaverunt,* etsi Thomas tantum dubitavit. Matthaeus et Marcus[3] dicunt duos exprobrasse ei; et tres (evangelistae) vera dicunt. Cum Dominus crucifixus fuisset, duo exprobrabant ei; postquam autem ille, qui a dextera erat, vidit signa et miracula quae fiebant in cruce et cogno-

* p. 122.

[1] *Ps.* XXI, 19. — [2] MATTH., XXVIII, 17. — [3] MARC., XV, 32.

vit ea facta esse non propter ipsum nec propter socium suum, et etiam audivit Iudaeos recitantes magnalia eius et vocantes eum Filium Dei et regem Israel, et vidit scripta Pilati quae tribus linguis praedicabant eum esse regem, agnovit maiestatem eius et cessavit blasphemiam, et incepit confessionem, dum et socium suum increpabat et vituperabat. Rursus, latro, qui a sinistra erat, unum proprium culpabile habebat: quod blasphemaret sicut Iudaei: *Si est Deus*; in latrone autem, qui a dextera erat, quinque laudabilia visa sunt: quod increpavit socium suum; quod confessus est malitiam operum suorum propter quae crucifixus est; quod iustificavit Christum; quod confessus est eum esse regem; quod petiit ab eo[1]: *Memento mei, Domine mi.* — Unde cognovit latro Christum esse regem? Et dicimus: Aut per revelationem divinam, aut per testimonium Pilati qui dixit: *Regem vestrum crucifigam?*, et Iudaeorum: *Si rex est, descendat.* Laudatur enim fides latronis ex eo quod, cum videret eum in opprobrio et in cruce, credidit in eum, non autem cum vidisset eum in regno et in maiestate. Ita et magna est fides Christianorum, et futurum est ut dentur eis mercedes ineffabiles, quia crediderunt hominem crucifixum esse Deum super omnia. Rursus, latro malefactor, qui uno momento rapuit regnum, ostendit Christum esse propitiatorem peccatoribus et dominum regni. Verumtamen non quatenus Deus est crucifixus est, sed quatenus factus homo, secundum illud[2]: *Verbum* * *caro factum est et habitavit in nobis;* et secundum illud[3]: *Misit Deus Filium suum et factus est ex muliere.*

* p. 123.

Lucas[4]: *Amen, amen.* Nonnulli quaerunt: An in die parasceves introduxit latronem in paradisum? Quidam dicunt: Non intravit, quia si intrasset in paradisum, tunc ex hoc tempore felicitatem sanctis promissam accepisset; nullum autem ex sanctis hanc felicitatem adhuc accepisse affirmat Paulus, dicens[5]: *Hi omnes, qui testimonium perhibuerunt per fidem, non acceperunt repromissionem; quoniam Deus propter nos aliquid melius prospexit, ne sine nobis consummarentur.* Ad illos dicimus: Felicitas sanctis promissa non servatur in illo para-

[1] Luc., xxiii, 42. — [2] Ioh., i, 14. — [3] *Gal.*, iv, 4. — [4] Luc., xxiii, 43. — [5] *Hebr.*, xi, 39, iuxta Harclensem recensionem.

diso ex quo Adam exivit, sed in regno caelorum quod Adam nondum ingressus est. Paradisum, in quo Adam erat, Adami oculus vidit, et auris eius audivit, similiter et Heva; hunc autem, qui est in regno, nemo adhuc vidit, sed post resurrectionem universalem omnes sancti in eo laetabuntur et Adam cum eis. Alii: Illud: *Hodie* quod dixit, non de die parasceves dixit fore ut in eo ingrediatur paradisum latro, sed de consummatione dixit. Et dicunt: *Amen, amen, hodie;* et ponunt comma, et postea: *Mecum eris in paradiso*; h. e. in consummatione mundi. Quod simile est illi[1]: *In die quo comederis de fructibus morieris,* dum notum est eum non eodem die mortuum esse, sed post annos nongentos triginta. Nos vero dicimus: In die parasceves anima latronis in paradisum intravit, quia valde dignus erat introitu eo quod confessus est eum, cum eum videret non in divinis et sublimibus sed in humanis et humilibus. Cum Christus in cruce mortuus est, anima eius tantum separata est a corpore eius: nam divinitas nec ab anima nec a corpore separata est, quia * ineffabiliter et invisibiliter semel unita fuit animae et corpori. Et cum anima separata est a corpore, corpus positum est in sepulcro et anima direxit se ad inferos ad inferiora terrae, ubi omnes animae ab Adam usque ad hoc tempus inclusae erant, et ipse praedicavit omnibus animabus illic inclusis, sicut dixit Petrus[2]; et omnes animas, quae crediderunt in ipsum, duxit et adscendere fecit ab inferis et eodem die introduxit cum anima latronis in paradisum unde Adam exierat. Ita promissionem suam implevit, et eo die (latro) fuit cum eo in paradiso. — De animabus autem, quae non crediderunt animae eius, sunt ex doctoribus qui dicant: Illic in inferis reliquit eas. Alii vero: Adscendere fecit eas et reliquit in aere, et dispersae sunt a daemoniis ad fines remotos orbis terrarum, ubi manebunt usque ad resurrectionem universalem; et ex hac die parasceves et deinceps omnis anima, a corpore separata, si iusta est, in paradisum cum angelis venit; si impia est, daemonia ducunt eam ad fines remotos orbis terrarum. Rursus, iis qui erant tempore adventus eius secundum carnem praedicavit per seipsum; iis qui fuerunt ante adventum eius, h. e.


* p. 124.

[1] *Gen.*, II, 17. — [2] Cf. I PETR., III, 19.

ab Adam usquedum mortuus est secundum carnem, praedicavit per animam suam cum descendit ad inferos; iis autem, qui sunt post adventum eius, praedicat per apostolos et praecones Evangelii sui. Inferi autem sunt carcer quidam arctus et tenebrosus, qui in inferioribus partibus terrae est; et omnes animae in eo inclusae erant. Et quia animae, quae ibi erant, non poterant nudam videre divinitatem, anima facta est vestimentum divinitati Verbi, quod illuc venit et illic fulgere fecit lucem suam, et praedicavit animabus, et solvit et eduxit omnes animas quas in praescientia sua, quae omnia novit, cognoverat dignas esse misericordia. Eduxit animas eorum qui parati erant * credere in ipsum si revelatus fuisset tempore eorum, et adduxit eas cum anima latronis in paradisum. Et cum animabus praedicaret, erat eis intellectus et conscientia et memoria et cogitatio et libertas, et cum istis etiam paenitentia. Nisi enim haec habuissent vana fuisset praedicatio eius. Et illic donum novum datum est eis: sine corpore condemnari et iustificari; cui non fuit nec erit simile. Et cum corpus eius inter mortuos fuisset, etiam corpora perceperunt virtutem eius sicut Iohannes in utero percepit; et eos, qui crediderunt in eum, illic iustificavit. Ergo, sicut diximus, vivis praedicavit per seipsum, et nascituris per apostolos, et defunctis per animam suam, quam quasi vestimentum fecit divinitati suae. Et quemadmodum in terris, quia homines non poterant videre eum, corpore indutus est et loquutus est cum eis, ita et in inferis: quia animae non poterant eum videre, anima facta est ei vestimentum, et praedicavit eis. Et quemadmodum in terris fecit miracula et virtutes, et sunt qui crediderint in eum, et sunt qui non, ita et in inferis fulgere fecit eis lucem magnam, et quaedam ex eis crediderunt in eum, et quaedam non, quod Petrus confirmat[1]. Etiam mortuis praedicavit ut iudicarentur et ipsi sicut vivi in carne. Et anima eius, a tempore quo discessit a corpore eius donec in corpus rediit, in inferis erat, dum ipsa divinitas unita erat animae et corpori, sicut diximus. Miracula autem, quae fecit in inferis, haec sunt: Ligavit diabolum, solvit animas ibi ligatas ibique fulgere fecit lucem suam. Rursus, dicimus: Diabolus, ante crucifixionem, po-

* p. 125.

[1] Cf. I PETR., III, 19.



tuit resipiscere; sed quia non resipuit, scriptum est eum cruciari[1]. Similiter multae animae pertinaces fuerunt in inferis et non resipuerunt, ideoque ibi manserunt. — Rursus, latro regnum petiit, * quod patet ex illo[2]: *Memento mei, Domine mi, in regno tuo*; verumtamen Christus paradisum dedit ei, quia nullus ex sanctis eius regnum adhuc obtinuit. Rursus, regnum et gehenna in retributionem bonorum et malorum servantur; et in illo die parasceves et hodie nondum contigit retributio sed tempus est laborandi. * p. 126.

Marcus[3]: *Erat hora tertia cum crucifixerunt eum.* Primum sciamus oportet Dominum nostrum crucifixum fuisse hora tertia, aut sexta sicut dixerunt alii Evangelistae. Quia Pilatus hora sexta sedit pro tribunali in loco qui dicitur pavimentum, et dixit Iudaeis: *Ecce rex vester*[4], nonnulli dicunt: Hora sexta crucifixus est; Marcus autem tempore crucifixionis non aderat, sed quod audierat a Petro, magistro suo, scripsit. Alii, quibus assentimur, dicunt: Hora tertia crucifixus est, sicut dixit Marcus, et patet ex eo quod Matthaeus[5] et Lucas[6] dixerunt factas esse tenebras hora sexta usque ad nonam. Etenim partiti sunt vestimenta eius, et scripta est causa mortis eius, et milites porrexerunt ei acetum, et probris affecerunt eum, et verba latronum; haec omnia ab hora tertia usque ad sextam facta sunt; et a sexta usque ad nonam dominatae sunt tenebrae, nec locus erat ut illa peragerentur; ergo Marcus verum dicit. Mane iudicatus est Dominus noster, et hora tertia crucifixus est, et a sexta usque ad nonam factae sunt tenebrae. Rursus, Iohannes de tempore crucifixionis non voluit accurate dicere, sed postquam narravit quae socii sui dixerunt et ea compendiose scripsit, dixit absolute et simpliciter[7] quod cum haec facta essent, *erat quasi hora sexta,* h. e. miracula tenebrarum et quae facta sunt, non autem tempus, indicavit. Rursus, dicimus: Christus pro Adamo crucifixus est, et Adamus secundus res Adami primi emendavit. Igitur notum est * Adamum mane creatum fuisse, et per voluntatem Dei coepisse vocare nomina animalibus et pecoribus et avibus a mane usque ad horam tertiam, dum transeunt coram * p. 127.

[1] Cf. MATTH., VIII, 29. — [2] LUC., XXIII, 42. — [3] MARC., XV, 25. — [4] IOH., XIX, 14. — [5] MATTH., XXVII, 45. — [6] LUC., XXIII, 44. — [7] IOH., XIX, 14.

eo. Deinde immisit somnium in eum, et formavit Hevam de costa eius, et in hoc tempore horae tertiae ambo positi sunt in paradiso et acceperunt mandatum; et in hoc tempore horae tertiae Dominus noster crucifixus est. Et tempore horae sextae transgressi sunt mandatum, et nudati sunt, et induerunt passionem; et hora sexta, cum Dominus noster nudatus esset in ligno, tenebrae dominatae sunt et creaturae passionem induerunt. Alii dicunt: Quod dixit Marcus, *hora tertia*, h. e. lata est in eum sententia, et intravit in praetorium, et interrogatus est usque ad horam sextam, et tunc crucifixus est. — Alii: Quod dixit Iohannes, *hora sexta,* ex errore primi scribae factum est, propter characteres graecos pro « tres » et « sex », qui affines sunt similitudine scripturae, h. e. gamma et episemum[1]. Illud quidem « tres » denotat, et episemum scribendo signum « tres » retrorsum factum est « sex », ductu superiore infra curvato. Ergo Iohannes scripsit « tres », scriba autem erravit et scripsit « sex ». Rursus hunc diem sextum, qui vocatus est « vesper »[2], nullibi invenimus vocari « vesper » ante tempus Christi, sed dies sextus vocabatur. Vocatus est autem « vesper » quia in eo occidit sol, et quia in eo occidit lex et ministerium eius. Rursus, quasi haec dies parasceves clamet ad Christum: Veni, sponde tu bona futura. Rursus, occiderunt seu finem acceperunt mala, et venerunt bona; occiderunt antiqua et venerunt nova; occidit providentia de populo et orta est super

* p. 128. * gentes; occidit Cherub et cuspis gladii ab ostio paradisi. In eo enim occidit sol populi interficientis Dominum suum. Et dies sextus innuit sextum millenarium in quo (Christus) venit. — Quare Dominus noster in illo die crucifixus est? Quia in illo Adam creatus est, et in illo transgressus est mandatum, et in illo accepit sententiam, et in illo exivit e paradiso. Et hora qua Cherub cuspidem accepit ut arborem custodiret, Christus percussus est lancea et solvit hastam Cherub; et hora qua Adam e paradiso exivit, Dominus noster animam latronis in paradisum introduxit, et Adam novus res Adami veteris emendavit.

[1] Cf. MONTFAUCON, *Palaeographia graeca*, p. 128. — [2] Hic sunt lusus verborum in vocibus syriacis ‘r u b t a, « vespera sabbati », et ‘r u b « spopondit », e verbo ‘r e b, « occidit (sol) »; qui vix latine exprimi possunt.

Iohannes[1]: *Stabant iuxta crucem Iesu.* Nonnulli dicunt: Quinque sunt Mariae, Maria Deigenitrix, et Maria uxor Ioseph, mater Iacobi et Iose, et Maria soror Lazari, et Maria Cleophae, et Maria Magdalena. Alii: Quattuor sunt; et matrem Iacobi et
5 Iose vocat Deigenitricem, quia mater eorum mortua erat. Iacobus edessenus dicit: « Maria, uxor Ioseph, mater eorum, non mortua erat; illam vocant sororem matris eius, sicut mos est nonnullis ut fratrias appellent sorores. » Cyrillus et Severus et Philoxenus dicunt: Maria Deigenitrix, et Maria uxor Cleophae,
10 sorores erant, et hanc vocat sororem matris eius. Sanctus Philoxenus: « Ioseph et Cleophas fratres erant; et Maria mater Christi et Maria Cleophae sorores; et illi duo fratres duxerunt has duas sorores. » In Harclensi sic scriptum est: *Mater eius, et soror matris eius Maria illa Cleophae;* et quoniam non po-
15 suit litteram v a w (*et*) ante *Maria illa Cleophae* ostendit eam esse sororem matris eius. — Alii dicunt: *Mariam alteram*[2] vocat uxorem Iosephi e qua genuit Iacobum. Alio modo: Primum, * Maria Virgo, et Maria altera, uxor Iosephi, et Maria, uxor Cleophae, et Maria, mater Marci, quam nonnulli dicunt esse
20 uxorem Petri, et Maria Magdalena, filia Simonis leprosi, soror Lazari, quae cognominata est Magdalena quia in turri[3] viae degebat aut in turri Siloe, aut quia crines eius plexi erant[4]. — Alii : Maria, soror Lazari meretrix fuit et vocata est Magdalena ; sed verum non dicunt. Nos autem dicimus :
25 Maria, soror Lazari, casta erat, non meretrix. Mulier meretrix, quae in evangelio (memoratur), alia est, et non revelatum est nomen eius. *Non erit tibi scortator nec meretrix*[5]. Quomodo soror Lazari, qui erat amicus Christi, fuisset meretrix? Itaque Maria Magdalena alia est, et vocata est Magdalena ex turri
30 quam sibi aedificaverat ex quaestu meretricio, ad hanc rem abominandam. Vocaverunt autem septem daemonia eius plenitudinem passionum turpium. Haec per conversionem suam gentium conversionem figurat. — Alii: A septem daemoniis turpibus tentata est, non autem passionibus turpibus fornicatio-
35 nis. Septem vero vocata sunt, aut quia ita erant numero, aut propter vim tentationis. Cum Dominus noster illam sanavisset,

* p. 129.

[1] Ioh., xix, 25. — [2] Cf. Matth., xxviii, 1. — [3] Syriace m a g d e l a. — [4] m e g a d d e l a. — [5] *Deut.*, xxiii, 17.

adeo profecit in moribus virtutis ut vocata sit Magdalena ex turri iustitiae quam aedificavit sibi quae ipsam ad caelum adscendere fecit. Eusebius dicit[1]: « Duae sunt Magdalenae: una e qua septem daemonia eiecit, quae est illa quae audivit: *Noli me tangere*; altera autem, illa quam dixit Matthaeus, quae erat e Magdela. » — *Maria illa Iacobi:* distinguit hunc a Iacobo Alphaei[2] quem magnum vocat quia numeratus est inter duodecim; ille autem vocatus est minor quia ex septuaginta duobus erat.

*p. 130. * *Dixit discipulo: Ecce mater tua,* et mulieri: *Ecce filius tuus*[3]; h. e. per hoc nos docuit usque ad finem vitae nostrae curam et dilectionem erga parentes nostros habere, praesertim si nos ad Deum adducant; sin autem nos avertant, ne agnoscamus eos, secundum illud[4]: *Omnis qui non relinquet parentes.* Mariam autem vocat matrem Iohannis, et Iohannem (vocat) filium eius, ut his nominibus coniungat eos mutuo amore, sicut matrem et filium suum. Quo tempore Christus matrem suam Iohanni commisit? Nonnulli dicunt: Tempore quo pendebat in cruce. Alii: Tempore quo ducebant eum, et egressus est ut crucifigeretur; dum mulieres flebant, cum vidisset matrem suam et illas commisit eam illi, etsi id non scriptum sit suo loco.

Illi autem impleverunt spongiam aceto, et imposuerunt hyssopo et admoverunt ori eius[5]. Matthaeus: *Et imposuit eam arundini.* Spongia est s p o n g a r ex mari. Haec in aceto intincta multum (ex eo) accepit, et admoverunt eam ut sugeret et biberet. Hyssopus autem est planta quae in Palaestina gignitur et surgit in altitudinem unius cubiti; in capite eius gignuntur parvi ramuli sicut digiti quidam qui circumdant illud undique; et apta est cui aliquid imponatur. Hanc attulerunt crucifixores et ligaverunt ad extremitatem arundinis, et impleverunt spongiam aceto, et imposuerunt huic hyssopo, et admoverunt ori eius, et dederunt ei bibere. Alii: Hyssopum vocant vasculum quoddam quod positum et ligatum erat ad extremitatem arundinis, et posuerunt in illo seu super illud spongiam

[1] *Quaest. II ad Marinum.* (*Patr.* [illegible] XXII, col. 947). — [2] Matth., x, 3. — [3] Ioh., xix, 26, 27. — [4] Cf. Matth., x, 37. — [5] Luc., xix, 29.

et porrexerunt. Alii: Hyssopus est quasi cucurbita quaedam imposita extremitati arundinis, et auferunt cum ea aquam de loco in locum. Imposuerunt autem spongiam plenam aceto et felle hyssopo et extulerunt cum arundine et posuerunt super os eius. Est radix quae vocatur hyssopus, et similis est * amaraco, et habet in foliis suis succum. Alii: Hyssopus est aliquid amarum, et comminuerunt illud et sparserunt super spongiam aceto plenam, et ita dederunt ei bibere. Ideo in spongia dederunt ei acetum quia manus eius ligatae erant et clavis confixae; is enim qui sic crucifixus est, non potest urnam manu sua sumere. — Matthaeus:

* p. 131.

v. 45) *A sexta hora factae sunt tenebrae super universam terram usque ad horam nonam*[1]; h. e. ut Iudaei intellegerent eum esse qui fecisset tenebras in Aegypto. Illic quidem tenebrae factae sunt cum in proximo esset ut Pascha legale immolaretur; hic autem tenebrae factae sunt cum Christus immolatus est in cruce. Et ut significaretur eum, qui crucifixus est, esse creatorem mundi, ideo creaturae retraxerunt lumen suum; et ut adimpleretur prophetia Zachariae[2]: *Occidet sol in meridie.*

De occultatione solis, quo tempore fit. A vigesimo [nono][3] lunae et usque ad trigesimum sol obscuratur; quod verum est. Etenim in trigesimo lunae sol obscuratur die quo ambo sunt in eodem signo Zodiaci. Etsi decretum sit solem et lunam bis quotannis obscurari, sol tamen raro obscuratur; nec ipse obscuratur sed nobis videtur obscurari dum ipse non privatur luce sua; neque ubique videtur obscurari, sed certis locis, et id semel in multis annis. Cum enim sol pervenit ad unum ex nodis qui vocantur termini obscuri (i. e. loca eclipsium) et luna etiam subest soli, et stant aequaliter (i. e. fit concursio solis et lunae) nodus qui a quibusdam vocatur eclipsis et luna sub sole, (sol) dicitur occultari. Cum autem luna obscuratur causa est quod ipsa adest nodo seu * termino obscuro, et umbra scilicet altitudo terrae non sinit lucem solis affulgere loco nodi ubi luna hoc tempore movetur, et statim (luna) occultatur, et postquam hunc locum praetergressa est lumen a sole recipit.

* p. 132.

[1] In margine: « De eclipsi seu occultatione solis. Quo tempore fit? » — [2] Sic. AMOS., VIII, 9. — [3] Vox omissa.

In crucifixione autem Domini nostri contrarium rei factum est. Etenim non solum luna non erat cum sole (i. e. non erat concursio) sed distabat ab eo mensura dimidii spherae quod est mensura cursus solis per centum octoginta dies, et luna mensuras suas percurrit (intra mensem) et dimidium cursus eius est quindecim gradus seu dies. Id autem erat significativum maiestatis eius qui crucifixus est; et eum Dominum luminarium esse qui appensus est in cruce; ideo (luminaria) se retraxerunt. Et haec occultatio, quae in crucifixione facta est, tres proprietates habebat a supputatione alienas: primum, in plenilunio facta est; secundum, tres horas mansit; tertium, universam terram occupavit. Et omnes sapientes Graecorum et Chaldaei Babyloniae et Aegyptii scripserunt: « Unus de Trinitate hodie passus est. » Et hoc est quod David dixit[1]: *Surrexerunt reges terrae,* h. e. e thronis suis, et obstupuerunt super signo quod factum est. Similes enim erant hae tenebrae illis quae fuerunt in principio creationis. Universa creatio induit luctum super Domino suo cum sol induit colorem olei cedrini et luna rubuit et facta est sanguinea, et cum non esset tempus nativitatis eius subito apparuit in oriente et cucurrit ad occidentem et adiunxit se soli, et ambo sederunt in luctu sicut servi boni qui dolent in passione domini sui. Rursus, notum est occultationem, quae facta est in crucifixione, non esse eclipsim, quod patet ex his argumentis: Eclipsis enim non manet tres horas: haec autem tres horas mansit; rursus, eclipsis non fit in universa terra: haec vero occultatio super universam terram fuit; eclipsis solis fit in trigesimo die lunae: * haec autem occultatio facta est in quinto decimo lunae, cum sol distans erat a luna, mensura cursus solis, CLXXX dies, et stabat in dimidio spherae firmamenti. De occultatione solis et lunae, et de causa naturali effectionis earum fuse tractavimus in libro Epistulae nostrae, in libro de fide et de naturis intellegibilibus et sensibilibus qui vocatur Compendium, quem scripsimus.

* p. 133.

v. 46) *Et circa horam nonam clamavit Iesus: Deus meus, Deus meus, quare...,* quod in linguam syriacam vertitur: ʻē l, ʻē l, l e m ā n ā, sicut dixit Marcus[2]. Ariani dicunt: Filius Ver-

[1] *Ps.* II, 2. — [2] MARC., XV, 34.

bum nomine suo hoc verbum ad Patrem dixit. Nestoriani autem et Chalcedonenses dicunt: Homo, qui crucifixus est, hoc verbum dixit ad Deum in ipso habitantem, aut ad naturam divinam quae tempore passionis ab eo discessit. Nos vero dicimus: Iesus, Filius Dei, est qui hoc verbum clamavit, ille de quo Marcus scripsit in principio Evangelii[1]: *Initium Evangelii Iesu Christi, Filii Dei,* et [ad quem] daemonia clamaverunt[2]: *Quid nobis et tibi, Iesu, Fili Dei?* Et quemadmodum non propter seipsum natus est, sed propter nos, nec propter seipsum baptizatus est et tentatus est et esurivit, sed pro nobis et propter nos, ita et illud quod clamavit ad Patrem: *Deus meus, Deus meus,* propter nos dixit et in nomine nostro. Si enim personam Adami sumpsit, et venit ut debitum eius solveret, tanquam in nomine eius debuit clamare et loqui. Et notum est eum in nomine Adami et nostro clamasse, eo quod dixit postea in Psalmo[3]: *Longe fecisti a me salutem meam in verbis insipientiarum mearum*; insipientia enim non erat ei; dixit enim[4]: *Ego vici mundum,* et[5]: *Quis arguet me de peccato?*, et Isaias dixit[6]: *Iniquitatem non fecit, neque dolus...* Ergo propter nos clamavit, quia vidit ad quam ruinam genus nostrum venerat. Rursus, * Filius ideo Patrem rogavit: *Deus meus, Deus meus, ad quid dereliquisti me?* ut audiret id quod in eodem psalmo scriptum est tanquam ex persona Patris dicentis: Propter hoc dereliqui te ut patiaris et crucifigaris *ut reminiscantur et convertantur ad Dominum omnes fines terrae*[7]. Et propheta dixit[8]: *Vulneribus eius sanati sumus.* Rursus, (clamavit) quia in omnibus assimilatus est nobis praeter peccatum, h. e. esurivit, et sitivit, et fatigatus est, et dormivit, et interrogavit: Quot panes? et: Ubi posuistis Lazarum?, tanquam ignorans dum omnia novit ante effectionem eorum. Rursus, clamavit ad Patrem ut ostenderet Filium solum passum esse, absque Patre et Spiritu sancto. Non enim quia Filius natus est ex Virgine tota Trinitas nata est aut passa est. Itaque, quatenus est Filius, in hypostasi sua haec tulit, non quatenus est aequalis Patri et Spiritui. Non enim quae tulit Filius in hypostasi sua Pater et Spiritus tulerunt, quia accepit ea secundum distinctionem ab eis, non se-

* p. 134.

[1] MARC., I, 1. — [2] MATTH., VIII, 29. — [3] *Ps.* XXI, 2. — [4] IOH., XVI, 33. — [5] IOH., VIII, 46. — [6] IS., LIII, 9. — [7] *Ps.* XXI, 28. — [8] IS., LIII, 5.

cundum aequalitatem cum eis, sed quatenus factus est homo, non quatenus est Deus.

Verumtamen quidam obiiciunt: Quomodo Filius derelictus est a Patre cum ipse dixisset[1]: *Ego sum in Patre meo et Pater meus in me?* Et dicimus: Quatenus est in Patre etiam similiter est in nobis, sicut dixit[2]: *Ego in eis et tu in me, ut sint perfecti in unum.* Est enim in Patre propter aequalitatem naturae, et est in nobis propter incorporationem suam ex nobis. Itaque Pater in uno non dereliquit eum, in altero autem dereliquit eum; h. e. in eo quidem quod est naturae non dereliquit eum, quia Filius mansit impassibilis et immortalis in natura sua, sicut Pater; in eo autem quod est hypostasis dereliquit eum ut pateretur et moreretur, ut in hoc esset nobiscum. Passus est autem et mortuus est quatenus factus est homo dum mansit impassibilis et immortalis quatenus est * Deus. Rursus, clamavit: *Deus meus,* ut manifestaretur malitia crucifixorum et incitaretur Satanas et mors ad necem eius. Rursus, *Deus meus, Deus meus,* quod dixit Filius, ad stuporem et admirationem dixit, non ad investigationes et disputationes et interpretationes. Rursus, adversus Nestorianos qui dicunt: Homo, qui crucifixus est, hoc: *Deus, Deus,* loquutus est ad Deum in ipso habitantem. Ad eos dicimus: O vos! Homo, qui crucifixus est, voluntate sua crucifixus est an vi ductus est a Verbo? Si voluntate sua, cur culpatur Verbum quod dereliquit eum et discessit? Sin autem vi ductus est a Verbo, vere causa erat ei cur quereretur et diceret ad eum a quo derelictus est: Cur ad passionem duxisti me et nunc dereliquisti me? In miraculis adfui tibi ut minister tuorum, et non factus es mihi particeps meorum. Et Deus Verbum videtur infirmus et ingratus; infirmus quidem quia non sustinuit adspectum crucis, sed dereliquit eum et fugit; ingratus autem quia, cum ille esset ei minister in miraculis, non adiuvit eum tempore quo passus est passiones naturae suae. Homo vero videtur potentior Verbo quia fortem se praebuit in passionibus et (Verbum) dereliquit eum et discessit; fraudatus autem videtur quia (Verbum) adimplevit per eum oeconomiam, apud passiones vero et mortem non adiutus est sed derelictus

* p. 135.

[1] Ioh., x, 38. — [2] Ioh., xvii, 11.

est. Si homo est qui crucifixus est et dixit: *Deus, Deus,* non debuisset confiteri divinitatem eius qui dereliquit eum. Si dicant: Quia impassibilis est in natura sua, ideo dereliquit eum, sciant quod eo ipso visus esset impasibilis, si mansisset in passione; 5 sicut lapis adamantinus eo magis videtur non pati nec frangi ferro cum eum feriunt nec laedunt eum. Similiter tegula cognoscitur non pati ab aquis cum in aquis immergitur * nec *p. 136. dissolvunt eam, et salamandra per hoc cognoscitur non laedi igne cum ingreditur ignem eumque exstinguit. Rursus, non lo- 10 cus nec sepes Deum ab iniuriis servat, sed eius natura; quia naturaliter sublimior est et altior passionibus et morte; ille autem, quem locus aut sepes a passionibus servat, sub timore semper ponitur et passionibus subiicitur. Et si in fame et siti et defatigatione passus est cum eo, in cruce quare non passus 15 est cum eo? Si dicant: His temporibus dereliquit eum ut passionibus illis tentaretur, sciant non scriptum esse quod derelictus est nisi hic tantum, cum dixit: *Deus, Deus.* Rursus, si dereliquit illum ne pateretur cum illo, ostendit se passibilem, quia nemo nisi passibilis passionem fugit. Angelus enim non 20 timet a morte, quia spiritus est; quanto magis Dominus angelorum! Et Deus infinitus est, nec discedit de loco ad locum quatenus Deus est, nec voluntate sua discessit a Patre, nec in operatione discessit ab hoc homine. Et patet ex eo quod obscuravit solem, et scidit petras, et suscitavit mortuos; et haec ope- 25 ratio est Dei. Rursus, si nesciverit quare derelictus est, secundum verbum vestrum, ergo prophetae excellentiores sunt eo, qui olim vaticinati sunt de passione eius et cognoverunt eum crucifixum iri et moriturum; et ipse qui praestat prophetis, sicut ipsi dicitis, non cognovit! Ergo falsum est quod de eo 30 scriptum est [1]: *Est sapientia Patris.* Si ipse non cognoscit, ergo neque Pater cognoscit; dixit enim [2]: *Sicut cognoscit me Pater meus, etiam ego cognosco Patrem.* Si dicatis: Timor mortis turbavit eum ne cognosceret mortem suam, sciatis non scriptum esse de prophetis et martyribus, qui tulerunt passiones, 35 quod adeo turbati fuerint * ut mortem suam non cognoscerent. *p. 137.

Nunc redarguamus Arianos qui dicunt: Filius est qui dere-

[1] I *Cor.*, I, 24. — [2] IOH., X, 15.

lictus est a Patre suo. Adversus eos dicimus: Quomodo dereliquisset eum cum ipse Filius dixerit[1]: *Ego in Patre meo et Pater meus in me?* Et quo discessisset ille qui est in omni loco infinite? Et quomodo Pater virtutem suam et sapientiam suam voluntarie dereliquisset? Ecce enim Paulus dixit[2]: *Christus, virtus et sapientia Dei Patris.* Quemadmodum enim illud[3]: *Sitio,* propter duo dixit: unum, ut adimpleret prophetiam, sicut dixerunt evangelistae; alterum, ut potum nobis sitientibus daret; et quemadmodum petiit aquam a Samaritana — non propter seipsum petiit, sed eam docebat petere ab ipso aquam vivam, et notum est ex eo quod, cum agnovisset eum, incepit petere ab eo aquam vivam, et ecce non scriptum est ipsum bibisse de aqua quam petiit ab ea; itaque non pro se petiit, sed voluit dare ei potum vitae, — ita et, cum dixit ad Iudaeos: *Sitio,* quaesivit dare nobis aquam vivam. Iterum illud: *Sitio,* propter humanam naturam dixit, quae scientiam Spiritus sancti sitiebat. Sicut enim interrogavit de haemorrhoissa[4]: *Quis tetigit me?,* cum turbae comprimerent eum ut, quaestione explorata, revelaretur fides eius quae tetigit eum, ita et hic interrogavit: *Ad quid dereliquisti me?,* non quod nesciret, sed ut, cum audientes id audirent, scrutarentur et scirent non ipsum, sed naturam humanam derelictam fuisse. Rursus, Patrem vocavit « Deum suum », quia factus est homo. Sicut enim non culpatur nec reprehenditur cum utitur divinis quia Deus est, ita non spernitur nec despicitur cum loquitur humana, quia factus est homo.

* p. 138. v. 47) *Hic Eliam vocat.* Simile enim est nomen « ēl » nomini * Eliae in lingua hebraica, nam « ēl » vertitur Deus, Elias autem divinus.

v. 48) *Et cucurrit unus ex eis, accepit spongiam et implevit eam aceto.* Iudaeus quidem fuit qui obtulit ei fel et acetum; et patet ex eo quod Iudaei dixerunt: *Ecce Eliam vocat.* Pluribus vicibus dederunt ei acetum ad derisionem, et bibit; hic autem non (bibit).

v. 50) *Ipse autem Iesus voce magna clamavit et emisit spiritum suum*; ostendit eum voluntarie et sua sponte emisisse

[1] Ioh., xiv, 10. — [2] I *Cor.*, i, 24. — [3] Ioh., xix, 28. — [4] Marc., v, 31.

spiritum, non coactione. Ipse enim emisit eum, non ablatus est illi, sicut noster qui necessitate aufertur. Dictum est de nobis creaturis[1]: *Aufers spiritum eorum et moriuntur*; ipse autem est creator, et voluntate sua ac sponte sua emisit eum. Quaerunt nonnulli: Quanam morte mortuus est Dominus noster, nostra an sua? Et dicimus: Mors nostra est separatio animae a corpore; mors autem Dei (esset) separatio divinitatis eius ab humanitate eius, et hanc non tulit. Et dicimus: Morte nostra mortuus est, quia anima eius separata est a corpore eius, cum mortuus est in cruce, donec surrexit e sepulcro; sed divinitas eius nullo modo separata est ab anima eius nec a corpore eius. Unione enim inseparabili, eius divinitas unita est animae eius et corpori eius, scilicet, divinitas eius eius humanitati. Divinitas eius cum corpore habitabat, et ivit cum anima eius in inferos, et praedicavit animabus ibi detentis, quae non crediderant praedicationi Noe, sicut dixit Petrus in Actibus[2]. Divinitas enim infinita est; ideoque est cum corpore et anima eius, et in hoc universo, et extra hunc universum, et intra hunc universum.

Rursus, de Christo dicimus: « Est », et « factus est ». Dicitur enim Deus Verbum qui est Deus, et idem qui est homo * est Deus. Iohannes dixit: *Et Deus erat Verbum.* Quod autem factus est homo, idem Iohannes dixit[3]: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*; et Paulus[4]: *Misit Deus Filium suum, et factus est ex muliere.* Ergo Verbum Patris est Deus et factum est homo; quatenus est Deus, non continetur regione, nec loco, nec verbo, nec cogitatione; quatenus autem factum est homo, fuit cum corpore in sepulcro et cum anima in inferis. — Rursus, Iesus bis clamavit voce magna; prima vice: *Deus, Deus, ad quid...?* quod Matthaeus scripsit; secunda vice: *Pater mi, in manibus tuis pono animam meam,* quod dixit Lucas[5]. Prima vice tanquam ex persona Adami: *Deus meus, Deus meus;* et secunda vice ex persona propria: *Pater mi, in manibus tuis.* — « Pater mi » vocavit illum ut ostenderet se esse Deum et aequalem Patri secundum essentiam; Deum autem (vocavit) illum, ut ostenderet se factum esse hominem. Et quia dixit:

* p. 139.

[1] *Ps.* CIII, 29. — [2] Sic. Cf. I PETR., II, 20. — [3] IOH., I, 14. — [4] *Gal.*, IV, 4. — [5] LUC., XXIII, 46.

Pono spiritum meum, ostendit se voluntarie et propria potestate ponere eum et non alium vi abstulisse eum ab ipso sicut apud nos. Stephanus ex eo quod Christus dixit: *In manibus tuis pono spiritum meum,* sumpsit rationem dicendi: *Domine Iesu Christe, accipe spiritum meum*[1]. Ex Adamo usque ad hoc tempus spiritus iustorum et iniquorum ad inferos mittebantur, sicut diximus superius; et ex tempore quo Christus dixit: *Pater mi, in manibus tuis pono spiritum meum,* usque ad consummationem, *animae iustorum in manibus Dei sunt,* sicut dixit Salomon[2]: h. e. in praesentia eius sunt et in paradiso habitant.

Iohannes[3]: *Inclinavit caput suum et tradidit spiritum suum;* noster quidem spiritus primum egreditur et deinde caput nostrum inclinatur; apud Christum non ita, sed primum inclinavit caput suum, et continuo tradidit spiritum suum, h. e. potes-

* p. 140. tate sua et voluntate sua, * non coactione, tradidit illum. Rursus, illo quod dixit: *Pono spiritum meum,* ostendit se paululum post resumpturum esse illum, sicut dixit[4]: *Pono animam meam ut iterum sumam eam. Potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Spiritum autem vocat animam, quia tribus nominibus appellatur: anima, mens, spiritus; et ita scripsimus in Compendio, ubi de naturis intellegibilibus et sensibilibus[5].

Oportet nunc exploremus quomodo die parasceves et eodem tempore fuit Dominus noster in his regionibus: in corde terrae, sicut ipse dixit[6]: *Erit Filius hominis in corde terrae*; et in paradiso, sicut dixit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso;* et in manibus Patris secundum illud: *In manibus tuis pono spiritum meum.* Si haec accipiuntur quatenus Deus est, tunc vere est in hoc universo et extra hunc universum infinite. Sin autem accipiuntur quatenus factus est homo, sic intellege: Paradisus et cor terrae sunt in manibus Dei Patris, et ipse Dominus eodem tempore fuit per corpus suum in corde terrae, h. e. in sepulcro, et fuit per animam suam in paradiso, cum introduxit illuc animam latronis et eas quas de inferis eduxit; et (hoc factum est) ut notum sit mortem eius diversam esse a morte omnium et rem novam atque insolitam. — Matthaeus:

[1] *Act.*, VII, 59. — [2] *Sap.*, III, 1; V, 16. — [3] IOH., XIX, 30. — [4] IOH., X, 18. — [5] Cf. supra, p. 106. — [6] MATTH., XII, 40.

v. 51) *Continuo velum templi scissum est.* Velum templi vocat operimentum pendens ante portam templi seu cortinam quam vocant w ī l ā (velum). — Quare scissum est velum? Quia ab eo exivit Spiritus sanctus qui habitabat super mysteria legis. Et quo modo scissum est velum? Quidam dicunt: Stamen panni in una parte inventum est et subtemen eius in altera, * quod plane mirabile est. *Scissum est* autem, h. e. divisum est velum, quia non sustinuit passionem archetypi sui, et ad indicandum gratiam Spiritus sancti ex illo (templo) exiisse, et sacrificia legalia ab eo defecisse illudque ad excidium destinatum esse. Et post horam nonam dissipatae sunt tenebrae ad ostendendum afflictiones, quae olim per peccatum intraverant, finem accepisse. — *Terra mota est,* sicut paropsis lignea in aquis; primum, ut minans excidium audacibus; [alterum, ut significaret quod][1] ipse est qui constituit eam super fundamenta eius ne moveatur; [et notandum est] terraemotum non in universa terra nec in uno ictu oculi fieri. Hic autem motus in universa terra factus est, et totum corpus terrae commotum est sicut paropsis lignea in aquis. Similiter et occultatio illa in omni terra fuit, non in parte sicut fieri solet. — *Et petrae scissae sunt,* ut cognosceretur eum, qui crucifixus est, esse creatorem; et notum est ex eo quod creaturae illi compassae sunt. Rursus, saxa scissa sunt dum pro tam horrendo opere corda audacia increpant. Rursus, quia rationales prae prudentia siluerunt, petrae laudes clamaverunt, et hoc est[2]: *Si hi tacuerint, petrae clamabunt.* Rursus, quia homines per irrationalia et inanimata saepe corripit ut convertantur, sicut corripuit Balaam per asinam[3] et Ieroboam per altare et cinerem[4], et Pharaonem et Aegyptios per elementa; ita commovit terram et scidit petras ad correptionem Iudaeorum, quia volebat eos revertere a sua impietate, et non reversi sunt.

* p. 141.

v. 52) *Et monumenta aperta sunt et corpora multa*; h. e. hora nona parasceves surrexerunt, et erant plus quam quingenti, nec erant de mortuis antiquis, sed tribus annis plus minus ante passionem Domini nostri obierant; et sancti erant

[1] Locus perturbatus. Sic interpretamur ex Išōdad (ed. GIBSON, p. 190). — [2] LUC., XIX, 40. — [3] *Num.*, XXII. — [4] III *Reg.*, XIII.

quia crediderunt in Dominum nostrum ante mortem suam. Et de Ierusalem erant et ex monumentis * circa civitatem surrexerunt et ingressi sunt Ierusalem; et agnoverunt alius patrem suum, alius fratrem suum, alius matrem suam, et accusabant eos: Quid est hoc opus malum quod fecistis quia Viventem et Vivificatorem crucifixistis? Et tribus diebus manserunt, nihil comedentes, sed servati fuerunt operatione divina, sicut Moyses et Elias in ieiuniis suis. Et corpora eorum animabus eorum vere unita fuerunt, et ideo Matthaeus dixit: *Corpora multa sanctorum surrexerunt.* Et tribus diebus manserunt in Ierusalem et praedicaverunt in ea; et postea in sepulcra sua redierunt et dormierunt, non autem in paradisum ierunt, nec ad fines remotos terrae dispersi sunt, nec omnibus hominibus apparuerunt, quod notum est ex eo quod dixit Matthaeus: *Apparuerunt multis;* multi vero non sunt « omnes ». Similiter et Dominus noster, post resurrectionem suam, non omni tempore apparebat, sed interdum, nec omnibus sicut antea, sed discipulis suis et iis qui digni erant. Alii: Prophetae erant, qui eruditi in Scripturis Sacris crediderunt in eum ante mortem suam, sicut dixit Ignatius [1], et praedicaverunt resurrectionem Christi et resurrectionem suam. Mortui revixerunt ad ostendendum eum esse vivificatorem mortuorum. Ioannes darensis: Mortui, qui revixerunt, non ingressi sunt civitatem ad praedicandum donec ipse surrexit. Alii: Apud sepulcra sua manserunt, stantes et laudantes. Alii: In monte Olivarum congregati sunt. Alii: In Paradisum ierunt. — *Et ingressi sunt civitatem sanctam,* Ierusalem. Quidam dicunt: Non hanc civitatem terrestrem, quae polluta est, vocat Ierusalem, sed illam caelestem. Et cum clamaret Christus in cruce, revixerunt et vivi manserunt in sepulcris suis sicut Ionas in pisce. Et post resurrectionem eius etiam ipsi spiritaliter surrexerunt, et cum adscendit secreto ad Patrem suum, in caelum * etiam ipsi cum eo secreto adscenderunt in civitatem sanctam caelestem. Alii: Vicus supremus Ierusalem sanctus erat, et in eo fideles multi habitabant; et vicus infimus pollutus erat, propter dolum ibi initum. Et civitatem sanctam vocat vicum superiorem quem mortui, qui

[1] *Epist. ad Magnesios, Patr. Gr.*, t. V, col. 669.

surrexerunt, ingressi sunt ut praedicarent fidelibus qui afflicti erant propter mortem eius. Alii: Universam civitatem terrenam vocat quam ingressi sunt ut praedicarent. Et plures quam quingentae animae ad corpora sua redierunt; et ingressi sunt
5 *et apparuerunt multis,* et visi sunt ad exacerbationem eorum qui non cognoverunt se Dominum suum crucifixisse, et ideo loquuti sunt ad eos qui moerore afflicti erant. Alii: In Galilaea pluribusque locis primum apparuerunt, et post resurrectionem ingressi sunt Ierusalem, et visi sunt multis qui scirent resur-
10 rectionem non esse phantasma.

Quinque miracula facta sunt in crucifixione: partim in caelo, in aere, in terra, infra terram. In caelo quidem: sol et luna obscurati sunt; in aere: velum templi scissum est; in terra: petrae scissae sunt; infra terram: mortui surrexerunt. Quaedam mi-
15 racula universalia erant sicut solis obscuratio et terrae motus; et quaedam specialia sicut petrarum et saxorum et veli templi scissio, et mortuorum resurrectio.

Quisnam est ille qui pependit in ligno? Deus an homo? Si Deus est, clavi non possunt figi in manus eius nec lancea in la-
20 tus eius; natura enim eius superior est rebus huiusmodi. Si autem est homo simplex, quis fecit miracula, obscuravit solem, scidit petras, suscitavit mortuos? Haec omnia homo simplex facere nequit. Ergo Deus, qui incarnatus est, est qui pependit in ligno et haec fecit.

25 v. 54) * *Centurio autem et qui cum eo erant, qui servabant* * p. 144.
Iesum. Antequam centurio et qui cum eo erant vidissent, timuerunt; et cum timor eos premeret, confessi sunt eum esse Filium Dei. Lucas[1]: *Vere hic homo iustus est.* Et utrumque factum est; primum Matthaeus scripsit, alterum Lucas. Et unde
30 centurio et qui cum eo erant cognoverunt filium esse Deo? Aut audierat ab eo cum doceret, aut a Iudaeis cum accusarent eum quod faceret se filium Dei. Et illo quod subiunxit: *Vere,* affirmavit eum esse essentia sua Filium Dei naturaliter, non communiter. Lucas[2]: *Reversi sunt percutientes pectus suum,*
35 h. e. ut liberent se a nequitia crucifixorum clamantes: Absit a nobis ut sociemur in sanguine innoxio, et ut ostendant impu-

[1] Luc., XXIII, 47. — [2] Luc., XXIII, 48.

dentiam Iudaeorum. Hae erant turbae quae ex omnibus regionibus convenerant in festo Paschatis. — Matthaeus:

v. 55) *Erant illic mulieres multae.* Vide quomodo genus mulierum debile fortius visum sit quam viri; etenim secutae erant eum usque ad pericula et passiones, ideoque omnia viderant. 5 — Iohannes[1]: *Ne pernoctarent corpora haec in crucibus suis.* Lex prohibebat quominus corpora in crucibus manerent; et ideo Iudaei ostenderunt sollicitudinem ut honor sabbati ea servaretur et non pollueretur, ut etiam custodiretur lex eorum. Quapropter petierunt a Pilato ut confringerent crura eorum 10 et deponerent eos de crucibus ante initium sabbati. Et milites petierunt a Pilato, et confregerunt crura prioris et alterius, quia nondum mortui erant. *Cum autem venissent ad Iesum, et vidissent eum iam mortuum esse, non confregerunt crura eius,* ut adimpleretur Scriptura[2]: *Os non confringetur in eo.* Illic Chris- 15 tus terminum naturae humanae non exspectavit, etsi * etiam (* p. 145.) quod mortuus sit cito et celeriter res mirabilis est, adeo ut Pilatus miratus sit si iam mortuus esset, ut ait Marcus[3]. *Sed unus ex militibus percussit eum in latere eius*[4]. Lancea qua percussit latus eius minor est quam hasta. Nonnulli dicunt: Percussit 20 eum ut cognosceret utrum mortuus esset an non. Nos autem dicimus: Ut placeret Iudaeis percussit eum, sicut in aliis, et ut adimpleretur verbum Zachariae[5]: *Aspicient in quem transfixerunt.* Rursus, percussit eum ut exirent ex eo sanguis et aqua quae sunt mysterium salutis nostrae et signum confirmativum 25 fidei nostrae, nam exinde Ecclesia didicit facere vinum et aquam mysterium sanguinis eius, non autem sicut Armeni qui vinum tantum faciunt mysterium, ut gentiles. Rursus, sanguis et aqua defluxerunt in os Adami, quia in calvario eius fixa est crux Adami secundi. Iohannes[6]: *Et is qui vidit testimonium per-* 30 *hibuit*; h. e. ego oculis meis vidi quando percussus est lancea et fluxerunt sanguis et aqua, non ab alio audivi; hic est Iohannes evangelista. — Matthaeus:

v. 57) *Cum esset vespera*; vesperam vocat initium sabbati. *Venit homo dives*; Matthaeus hunc Ioseph vocat *divitem*; Lu- 35

[1] Ioh., xix, 31. — [2] *Ex.*, xii, 46. — [3] Marc., xv, 44. — [4] Ioh., xix, 34. — [5] Zach., xii, 10. — [6] Ioh., xix, 35.

cas[1] autem «bonum et iustum»; Iohannes[2] «discipulum Iesu», unum e septuaginta duobus; Marcus[3] βουλευτής seu consiliarium, unum ex eis qui consiliantur principibus; βουλή interpretatur consilium. *A Ramatha*; h. e. illa in qua interfecti sunt pueri
5 ab Herode. A Ramatha erat Ioseph, et ex alto[4] aucta est vita Adamo. Iohannes[5]: *Venit etiam Nicodemus,* id est, sociatus est cum Ioseph in sepultura Iesu Nicodemus ille *qui venerat ad eum nocte * primum; et adduxit mixturam myrrhae et aloes;* * p. 146.
h. e. aloe est ṣabra; myrrha autem est gummi, et affinis est ni-
10 gritudini, et similis est thuri. — *Linteum,* h. e. sindon. — *Centum librae,* h. e. copia mixturae aromaticae, ad reprehensionem Iudaeorum qui dixerint discipulos eius eum furatos esse. Quomodo enim potuissent vestes et lintea, quae tam adhaerebant, removere? Rursus, (quomodo potuissent) lintea in alio loco
15 seorsim facile ponere incorrupta? Solet enim condimentum corrumpere vestes quae sunt super corpus conditi aromatibus, nec celeriter nec facile separatur.

v. 59) *Et posuit illud in monumento suo novo.* Sanctus Iacobus sarugensis: Hoc sepulcrum erat Iosue, filii Nun, et mys-
20 tice servatum fuerat, et traditum de alio ad alium usque ad Ioseph. — Alii: Iosephi erat et ipse exciderat illud. *Quod effossum erat in petra;* h. e. in sepulcro lapideo positum fuit, non in terreno, figurans Ecclesiam quae fluctibus diaboli non concutitur. Solum positum est, ut ostenderet ei soli esse corpus
25 propitiatorium quod super altare Ecclesiae ponitur et vitam praestat recipientibus se. — Iohannes[6]: *Erat in loco, ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum in quo nemo positus fuerat.* Illud quidem: *In horto,* non communiter factum est, sed etiam ut mortem, quae fuit in paradiso seu horto, destrueret,
30 et quo ingressum erat peccatum illuc ingrederetur iustitia. Et illud: *In sepulcro novo,* similiter dispensative factum est: primum, ne forte, cum resurrectio fieret, alius putaretur qui ibi sepultus fuerat; iterum, quemadmodum ex utero virgineo ortus est, nec solvit sigilla et signa virginea genitricis suae, ita et e
35 sepulcro singulari et virgineo ortus est * servatis signis et sigil- * p. 147.

[1] Luc., xxiii, 50. — [2] Ioh., xix, 38. — [3] Marc., xv, 43. — [4] Lusus verborum in vocibus r a ma t h a (alta) et r a u m a (altitudo). — [5] Ioh., xix, 39. — [6] Ioh., xix, 41.

lis et petra simul. Petram quae erat supra sepulcrum, quidam dicunt eam esse de qua fluxerunt flumina[1]; si verum sit, accipiatur (opinio); sin minus venti auferant eam. — Matthaeus:

v. 61) [*Maria Magdalena*] *et Maria altera, quae sedebant contra sepulcrum*; h. e. quia ardebant amore eius, ideo contra illud sedebant; et Mariam alteram vocat Deigenitricem. Lucas[2]: *Et sabbato siluerunt sicut praeceptum est*; h. e. reversae sunt, paraverunt aromata; verumtamen in sabbato non venerunt propter legem quae vetabat ne ullum opus in sabbato facerent; et ideo paraverunt aromata, sicut mos erat, ut die tertio condirent corpus, propter amorem suum in illum.

v. 62) *Die autem postero*; h. e. dies sabbati est, qui est post parasceven; *congregati sunt principes sacerdotum*; h. e. ut peterent a Pilato ut faceret voluntatem ipsorum.

v. 63) *Domine noster, recordati sumus quia ille seductor;* « Dominum » vocaverunt Pilatum, et Christum negaverunt. Et illo *recordati sumus* ostenderunt se cognoscere omnia quae ab eo dicta fuerant. Vide autem humilitatem Matthaei qui omnia verba probrosa scripsit nec erubuit, v. gr. seductorem et alia.

v. 64) *Iube ergo custodiri sepulcrum*; postulaverunt custodes quia turbati fuerant verbo eius: *Post tres dies resurgam;* et iterum, quia custodes fuerunt praedicatores nuntii resurrectionis ad ignominiam Iudaeorum.

v. 65) *Dicit illis Pilatus: Sunt vobis quaestionarii, ite, custodite*; h. e. non ipse Pilatus misit a se custodes, neque signavit illud, ne locus sit illis dicendi: Munus accepit et sivit discipulos eius furari eum. — *Et signaverunt lapidem, cum quaestionariis*. Nonnulli dicunt: Hos quaestionarios ad lapidem adduxerunt eosque ad illum ligaverunt, * et signaverunt sive cervices eorum, sive brachia eorum, sive lumbos eorum, sive pedes eorum. Alii: Fecerunt eos sedere ab utraque parte lapidis alium contra alium; et expanderunt super lapidem manus eorum quae iungebant digitos desuper, et signaverunt eas. Alii: Annulis horum omnium lapidem ad sepulcrum signaverunt, secundum illud[3]: *Signavit foveam annulo suo et annulo optimatum suorum*. Nisi signavissent illum et constituissent custodes,

* p. 148.

[1] Cf. *Exod.*, XVII, 6; *Ps.* LXXVII, 20 etc. — [2] Luc., XXIII, 56. — [3] Dan., VI, 17.

locus fuisset illis dicendi: Raptus est; sed id magis confudit illos quod custodes facti sunt praecones et testes resurrectionis, et signa et sigilla testata sunt custodes non mentiri. Quaestionarios vocat custodes qui deputabantur ad servandos vinctos, aut eos qui constituebantur ad necandum. Et quindecim quaestionarii erant, alii hebraei, alii romani. Tres erant duces, et duodecim sub ducibus. Et in volumine Pauli hoc scriptum est [1] et in historiis hebraicis.

Sermo adversus hereticos et gentiles qui offenduntur in humilibus Christi eaque naturae humanae tribuunt; dum contra humilia nos sublimia disponimus.

Dixit quidem Iohannes [2]: *Cum exaltaveritis Filium hominis;* h. e. exaltationem super crucem innuit et dicit: Cum non sedabo mare, sed terram commovebo et agitabo; cum non curvatos erigam, sed velum templi et petras scindam; cum non reddam spiritus corporibus, sed Spiritum sanctum a templo educam; cum non clamabo: Ego sum lux mundi, sed solem et lunam et universam creationem obscurabo; cum non solvam ora * ligata, sed sepulcra occlusa aperiam et sepultos suscitabo; cum non sanabo morbos et aegritudines, sed universae creationi, visibilibus et invisibilibus, renovationem faciam. *Tunc cognoscetis quia ego sum*; h. e. illic oportebit vos cognoscere quis sim, et credere. Haec significant eum, qui crucifixus est in corpore quod sumpsit, esse Deum, non hominem simplicem, aut in duo post unionem divisum.

* p. 149.

Divina et sublimia Salvatoris nostri: — Verbum natum est ex Patre ab aeterno. Est in omnibus infinite. Est natura sua Deus Verbum. Est dives ut Deus; erat simplex ut Deus. Erat perfectus essentia sua. Dedit legem ut Deus. Exauditus est a Deo Patre suo. Baptizavit in Spiritu sancto. Est supra passiones et necessitates. Est immortalis natura sua. Obviam ei Iohannes in utero exultavit. Satiavit milia paucis panibus. Mundavit leprosos verbo ut Deus. Increpavit ventos et mare ut Deus, et siluerunt. Creavit oculos caecis ut Deus; remisit delicta peccatricis ut Deus. Cognoscit abscondita cordis omnium ut Deus. Constrinxit daemones rebelles in mare ut Deus.

[1] Alludit ad quaedam Acta apocrypha. — [2] Ioh., viii, 28.

Sedavit turbationem maris ut Deus. Exaudivit orationem Chananaeae ut Deus. Dixit discipulis suis: Ne timeatis a morte. Vocavit Lazarum et suscitavit eum ut Deus. Vocavit puellam eamque suscitavit ut Deus. Vocatur Sanctus a Seraphim ut Deus. Introduxit animam latronis in paradisum ut Deus. Commovit terram et scidit petras ut Deus. Obscuravit solem in firmamento ut Deus. Mutavit aquam in vinum ut Deus. Eduxit
* p. 150. Spiritum de templo Iudaeorum * ut Deus. Aperuit sepulcra, et suscitavit mortuos ut Deus.

Humana et humilia Salvatoris nostri: — Natus est de Virgine in tempore et initio. Habitavit in utero Virginis et apparuit finitus in carne et infinitus in divinis. Factus est homo bonitate sua nec mutatus est. Fuit pauper, quia factus est homo, cum esset dives natura sua. Venit in compositionem secundum animam et corpus. Profecit statura corporali. Observavit legem in seipso ut homo. Subditus fuit Ioseph et matri suae ut homo. Baptizatus est a Iohanne secundum corpus ut homo. Tentatus est ab hominibus et necessitatibus ut homo. Gustavit mortem nostram humano modo ut homo. Ieiunavit et esurivit in deserto ut homo. Indutus est vestimentis derisionis ut homo. Dormivit et oppressus est somno ut homo. Lacrimas effudit ab oculis suis ut homo. Discubuit cum publicanis et peccatoribus; et interrogavit de rebus manifestis Samaritanae ut homo. Vinctus est a daemoniis rebellibus ut homo. Dixit: Anima mea turbata est, ut homo. Oravit in passione propter nos ut homo. Ostendit se timere mortem nostram ut homo. Interrogavit: Ubi posuistis eum, tanquam nesciens. Dixit: In manibus tuis pono animam meam, ut homo. Clamaverunt Iudaei: Crucifige eum, crucifige eum, quasi in hominem. Crucifixus est inter latrones, ut homo. Suspensus est in cruce et confixus est clavis ut homo. Accepit alapam a servo audaci ut homo. Caput eius percussum est arundine quatenus est homo. Bibit acetum in cruce ut homo. Latus eius perfossum est lancea quatenus est homo. Positus
* p. 151. est in sepulcro novo ut * homo. Et multa eiusmodi.

Sed nos non obstupemus super rebus magnificis Christi; id non nostrum est, sed exterorum. Nos autem domestici super humilibus et villbus obstupemus. Illa priora naturae eius sunt, nec potest scientia humana ea (comprehendere); haec autem

posteriora sunt dispensationis, et sunt miracula et signa. Illa nos credimus, et in his, in quibus heretici existimant eum hominem, agnoscimus eum Deum, et in iis, quibus offendunt et cadunt, nos omnes stetimus. Verumtamen confitebuntur inviti
5 quando veniet cum gloria et adducet secum crucem, quae est unum de humilibus, et eam reputant opprobrium, sicut ipse dixit: *Tunc apparebit signum Filii hominis. Tunc, cum exaltatus fuero,* non laudem suam [1] vocat, sed adscensum suum in crucem, h. e. illic agnoscar esse Deus propter miracula. — Mat-
10 thaeus:

[CAPUT XXVIII.]

v. 1) *Vespera autem, illucescente prima die hebdomadis;* h. e. de dubitatione nonnullorum super temporibus, quae scripsit unusquisque ex evangelistis dicemus, non de tempore quo
15 surrexit Dominus noster; hoc notum non est, neque angelis, neque hominibus, sed ipse id novit et Pater eius et Spiritus eius sanctus. Matthaeus dixit: Venerunt (mulieres) vespera; Iohannes [2]: mane; Lucas [3]: ad auroram; Marcus [4]: *cum ortus esset sol.* — Vespera autem, illucescente prima die hebdoma-
20 dis, venit Maria Magdalena, et Maria, Mater Dei, ut viderent sepulcrum, et nuntium acceperunt ab angelo Dominum nostrum surrexisse, et viderunt Dominum nostrum et amplexae sunt pedes eius, * et misit eas ut nuntiarent discipulis eius. * p. 152.
Custodes autem ingressi sunt civitatem, et certiores fecerunt
25 sacerdotes; et acceperunt munus et dixerunt eum raptum fuisse. Maria autem Magdalena, cum audisset eum raptum fuisse, passa est aliquid humanum, sicut Thomas; et rediit ad sepulcrum secunda vice mane dum adhuc tenebrae essent, sicut dicit Iohannes. Et vidit lapidem revolutum et angelum
30 sedentem, quem ad vesperam viderat sedentem super lapidem. Tunc magis dubitavit et venit ad Simonem et Iohannem dixitque [5]: *Sustulerunt Dominum meum et nescio ubi posuerunt eum.* Et discipuli, cum venissent et vidissent sepulcrum et lintea, facti sunt certiores et reversi sunt credentes. Magda-

[1] In alio cod.: « adscensionem suam » (minus bene). — [2] Ioh., xx, 1. — [3] Luc., xxiv, 1. — [4] Marc., xvi, 2. — [5] Ioh., xx, 2.

lena autem adhuc stabat prope sepulcrum in dubitatione qua venerat; et cum prospexisset in sepulcrum, vidit duos angelos qui a Simone et Iohanne non visi fuerant; et cum conversa esset retrorsum vidit Dominum nostrum; et misit eam ad discipulos suos, et ipsa rediit ad eos et nuntiavit eis se vidisse Dominum nostrum; et invenit ibi mulieres, quae venerant cum ea a Galilaea, parantes se ut irent ad sepulcrum cum aromatibus, et reversa est cum illis ipsa et Deigenitrix, quam Lucas vocat matrem Iacobi; et erat aurora sicut dixit Lucas. Et viderunt ibi duos angelos in forma duorum virorum, et fulgebat vestimentum eorum et splendebant facies eorum. Tunc venit Maria Magdalena et Deigenitrix cum muliere peregrina Salome quae non fuerat cum aliis mulieribus. Et viderunt angelum sicut virum adolescentem, amictum stola candida, et admiratae sunt; et hoc factum est cum sol ortus esset sicut dixit Marcus. Haec sunt quattuor tempora quibus mulieres venerunt ad sepulcrum sicut scripserunt Evangelistae. Et etiam sanctus Severus ita tradidit de temporibus quibus mulieres ad sepulcrum venerunt. Magdalena * autem quinque vicibus ad sepulcrum venit: prima, ad vesperam, sicut dixit Matthaeus; secunda, ipsa sola mane cum adhuc tenebrae essent, sicut dixit Iohannes, et ivit ad Simonem et Iohannem; tertia, quando venit cum Simone et Iohanne; quarta, venit cum Iohanne et matre Iacobi ad auroram, sicut dixit Lucas; quinta, cum ortus esset sol, cum Salome et matre Iacobi, sicut dixit Marcus. Deigenitrix autem tribus vicibus venit; prima vice, ubi dixit [Matthaeus]: Maria altera; secunda vice, ubi dixit Lucas: Maria, mater Iacobi; tertia vice, ubi dixit Marcus: Mater Iacobi et Iose. Iacob edessenus: Mariam alteram vocat primam uxorem Ioseph quae peperit Iacobum et Iose. Severus patriarcha: Mariam alteram vocat Dei genitricem, et Mariam matrem Iacobi et Iose similiter Virginem vocat, iuxta usum loquendi. Simon autem bis ivit ad sepulcrum; unum et primo, venit cum Iohanne, sicut dixit ipse Iohannes; secundo, ipse solus, sicut dixit Lucas. Et ivit admirans apud semetipsum, et hac vice vidit Christum sicut dixerunt undecim et Cleophas et socius eius[1]: *Vere surrexit Dominus nos-*

* p. 153.

[1] Luc., XXIV, 34.

ter et apparuit Simoni, quod et Paulus[1] cum Luca testatur. Rursus, Dominus noster eodem tempore quo surrexit de sepulcro faciet resurrectionem universalem, sicut dixit Severus, nam hora huiusmodi optime sumitur figura et imago horae terribilis finis.

Vespera autem sabbati, lucescente prima die hebdomadis; h. e. oportet exploremus haec quattuor tempora et unum ab alio distinguamus: diem, noctem, vesperam, mane. Haec enim quattuor tempora sol apud nos facit. Dies quidem est tempus quo * sol supra terram stat; nox autem est tempus quo sol infra terram stat seu absconditur pone montes septentrionales secundum nonnullorum opinionem. Vespera est finis diei seu tempus quo sol occidit a nobis; mane vero est initium diei quo sol oritur et nox desinit. Vesperam autem esse diei praecendentis testatur Iohannes qui dixit[2]: *Cum esset vespera diei illius primi hebdomadis et portae essent clausae,* dum vesperam primi diei hebdomadis, quam dixit, non dixit vesperam qua incipit primus dies hebdomadis, sed vesperam qua exit, quia vespera diei est exitus et finis lucis et diei. Ita etiam Moyses dixit. Postquam enim creata est lux et completus est dies et horae eius, dixit[3]: *Fuit vespera et fuit mane,* dum vesperam vocat finem diei illius primi qui creatus est, et mane finem noctis. *Vespera autem sabbati* non tempus occasus solis diei sabbati vocat, alioquin dixisset: In vespera sabbati; et tacuisset. Quia vero subiunxit : *lucescente primo die hebdomadis* seu resplendente, ostendit se noctem primi diei hebdomadis hic vocare vesperam sabbati sub auroram; elapsa enim erat maior pars noctis, ita ut esset tempus cantus galli; h. e. etiam propterea eo tempore ieiunium cibo et potu solvimus, et gaudium incipimus, non autem vespera sabbati. — Iohannes darensis: « In vespera autem sabbatorum; h. e. etiam scriptum est Pascha in quarto decimo die ad vesperam mactari; etiamsi enim nox reputetur diei venturi propter cursum lunae, tamen vespera reputatur diei, non noctis. » — Alii autem dicunt: Matthaeus illud *vespera,* pro tota nocte primi diei hebdomadis dixit, secundum * morem Scripturae quae a parte totum vocat, v. gr. *Fuit vespera et*

* p. 154.
* p. 155.

[1] I *Cor.*, XV, 5. — [2] IOH., XX, 19. — [3] *Gen.*, I, 5.

fuit mane, dies unus, et [1]: *Benedicat omnis caro nomini Domini,* et [2]: *Mortua est anima Israel in via.* — Alii: In vespera autem sabbati cum lucesceret primus dies hebdomadis, aut ita: In vespera autem post sabbatum, cum lucesceret primus dies hebdomadis. Eusebius [3]: « Matthaeus, quasi interpretans seipsum, subiungit post Vesperam sabbatorum, etiam illud: Cum lucesceret primus dies hebdomadis, ostendens horam et tempus noctis post sabbatum, quae est cum diliculo primi diei hebdomadis. Namque Matthaeus hebraice scripsit; ille autem, qui vertit librum in linguam graecam, pro « diliculum diei » vesperam sabbatorum tradidit. Et Matthaeus illud: *vespera,* pro spatio et vespera noctis dixit. Quemadmodum Iohannes properationem et celeritatem noctis vocat mane et ideo subiunxit: *Cum adhuc tenebrae essent,* ne quis putet eum de mane loqui, ita et Matthaeus, cum dixisset: Vespera sabbatorum, ne quis existimaret eam esse horam vespertinam, addidit illud: Cum lucesceret primus dies hebdomadis. »

Dominus noster pluribus vicibus apparuit die quo surrexit, sed sex vices (tantum) notae sunt: prima, Magdalenae et Mariae alteri, sicut dixit Matthaeus; secunda, mulieribus multis, ut dixerunt Marcus et Lucas; tertia, Magdalenae, sicut dixit Iohannes; quarta, Cephae, ut ait Paulus [4]: *Surrexit et apparuit Cephae*; quinta, illis duobus qui ibant Emmaum, sicut dixit Lucas; sexta undecim in caenaculo congregatis; et post haec multoties per dies quadraginta. Magdalena et Deigenitrix non dixerunt Salome et Iohanni quidquam, ut irent et visu sepulcri et angelorum certiores fierent, non verbis ipsarum. Illud autem [5]: *Quis revolvet nobis lapidem?* ex * parte Iohannis et Salome dictum est; Magdalena quidem et Deigenitrix prius viderunt eum revolutum. — [*Maria Magdalena*] *et Maria altera ut viderent sepulcrum*; h. e. ut proiicerent aromata quae paraverant, sicut mos erat, die tertio. Et super quid proiecissent aromata? Nonnulli dicunt: Super sepulcrum. Nos autem dicimus: Super corpus; quod patet ex eo quod dixit Marcus:

* p. 156.

[1] *Ps.* CXLIV, 21. — [2] Sic: lectio certa, cf. Išōdad (ed. GIBSON), p. 91; locus tamen corruptus videtur, fortasse e narratione mortis Rachelis (*Gen.*, XXXV, 18, 19; XLVIII, 7). — [3] Cf. *Quaest. II ad Marinum.* (*Patr. Gr.*, t. XXII, col. 941). — [4] I *Cor.*, XV, 4-5. — [5] MARC., XVI, 3.

Emerunt aromata ut venirent et ungerent eum, non autem sepulcrum eius. Rursus: *Quis revolvet nobis lapidem?* Eo quod lapis revolvendus esset, eas voluisse super corpus eius proiicere aromata (patet).

v. 2) *Et ecce terraemotus magnus factus est*; hic non sicut factum est apud sepulcrum [1]. Ille enim terraemotus universalis fuit, hic autem particularis. Et custodes et mulieres tantum illum perceperunt; illo custodes conturbati sunt, mulieres autem confortatae sunt. Et quid sit terraemotus explicatur. *Angelus enim Domini de caelo descendit et accessit et revolvit lapidem.* Gabriel est angelus ille, qui toti oeconomiae ministravit, et alter, qui cum eo visus est, Michael. *De caelo* ait descendisse et apparuisse custodibus, quia caelum reputatur locus angelorum, etsi quidam ex eis in terra nobiscum sunt, et ii qui mittuntur. Iacob sarugensis dicit: Visus est custodibus splendor, et clamor angelorum auditus est in aere; et viderunt Christum facie ad faciem egredientem de sepulcro incorruptum. Et cum angelo descenderunt alii angeli, et lumen fulsit; et scala ignea posita erat a terra usque ad caelum, et Christus stabat, non ad summum eius ut descenderet, sed ad imum eius ut adscenderet, et angeli etiam adscendebant et descendebant et laudabant. — Rursum, dicimus: Quo tempore surrexit Dominus noster ignotum est creaturis; sed Evangelistae de temporibus, quibus mulieres ad sepulcrum venerunt, scripserunt, sicut supra diximus. Matthaeus dixit in vespera * venisse Mariam et vidisse Dominum nostrum. Et quia custodes ingressi sunt (civitatem) nocte et nuntiarunt eum surrexisse, sacerdotes vulgaverunt discipulos eius eum rapuisse. Et cum audivisset eum raptum fuisse, Magdalena passa est aliquid humanum, et cucurrit ad sepulcrum, sicut scripsit Iohannes; et postea reversa est cum mulieribus portantibus aromata, sicut dixit Lucas; et cum ortus esset sol (venit) cum Iohanne, sicut scripsit Marcus. Sex angelos (mulieres) viderunt prope sepulcrum. Matthaeus dixit eas vidisse unum; Lucas dixit duos angelos; Iohannes duos; Marcus, unum. Custodes Dominum suscitatum primi viderunt et sigilla intacta, et concussi sunt. Et hoc tempore, antequam mulieres venissent,

* p. 157.

[1] Sic mss. Lege « apud crucem ».

angelus descendit et revolvit lapidem, et prae timore eius concussi sunt ii qui illud custodiebant et facti sunt sicut mortui; et mulieres venerunt et viderunt illos factos sicut mortuos, et viderunt etiam angelum sedentem super lapidem et similem fulguri. Et ne timerent loquutus est ad eas leniter: *Vos ne timeatis,* scilicet, sicut custodes. Et postquam confortavit eas, nuntiavit eis resurrectionem; et cum mulieres abiissent custodes experrecti sunt, et celeriter ingressi sunt civitatem et renuntiaverunt principibus sacerdotum id quod factum erat. — *Et accessit, revolvit lapidem*; non ut Christus egrederetur revolvit lapidem, surrexerat enim antequam angelus descenderet, sed propter mulieres qui viderant eum in sepulcro depositum, ut crederent cum viderent sepulcrum vacuum et eum non esse in illo. Egressus est enim signato lapide et sigillis manentibus. Et quomodo corpus per portam clausam exire potest? Et dicimus: Omnia prompta et facilia factu sunt Domino nostro. Quemadmodum enim exivit ex utero servatis signis virgineis, et obscuravit solem et vivificavit mortuos, et quemadmodum angelus venit ad Danielem signata fovea, et quemadmodum apostoli exierunt e carcere et Simon ambulavit super fluctus, et aquae Aegyptiorum factae sunt sanguis, * Hebraeorum autem aquae manserunt integrae in eodem flumine, nam hauriebant omnes ex eodem flumine; et virga Moysis facta est serpens; quemadmodum haec omnia per miraculum fecit, ita exivit e sepulcro signato.

* p. 158.

v. 3) *Et erat adspectus eius sicut fulgur.* Mos est angelis ut secundum opera quae perficiunt ostendant speciem; Iosue, filio Nun, et David visi sunt ut milites armis induti; Zachariae autem in coloribus rubris et variis; mulieribus autem in specie decora et laetitiae plena.

v. 4) *Et prae timore eorum concussi sunt illi qui custodiebant.* Secundum voluntatem suam visus est angelus; mulieribus quidem pacificus et splendens; custodibus autem durus et terribilis. Et adeo timuerunt ut facti sint velut mortui. Cur resurrectio primum a custodibus visa est? Quia Iudaei magis eis quam discipulis et mulieribus credituri erant. Solet enim Deus fastidiosos per illud cui assentiunt trahere, sicut Magos per stellam traxit.

v. 5) *Respondit angelus et dixit mulieribus;* non solum adspectu suo iucundo confortavit illas, sed etiam sermone. *Vos ne timeatis;* illud: *Vos,* ex comparatione cum crucifixoribus dixit, scilicet: Timor ad eos pertinet, vos dignae estis honore. Lucas[1]: *Mementote verborum eius,* h. e. quod dixerit: Resurgam, et surrexit sicut dixit. — Matthaeus: *Scio quod Iesum qui crucifixus est [quaeritis];* non ut illudatis ei sicut crucifixores, sed ut honoretis eum. Quod si angelus non erubuit dicere: *Qui crucifixus est,* quare Chalcedonenses et Nestoriani erubescunt dicere: « Qui crucifixus es pro nobis », cum crux sit caput seu initium omnium bonorum?

v. 6) *Venite et videte locum;* h. e. propter hoc revolvi lapidem ut videatis et firmemini de resurrectione; ergo Simon * et Iohannes certiores facti sunt de resurrectione visu angelorum et verbis eorum et visu Salvatoris nostri.

* p. 159.

v. 7) *Et ite celeriter, dicite;* h. e. quia persuasionem de resurrectione habetis ex visu et verbis meis, ite, nuntiate discipulis. — *Et ecce praecedit vos in Galilaeam.* Ubi dixit discipulis suis se praecessurum eos in Galilaeam? Et dicimus: Utique cum laudes diceret et exiret ad montem Olivarum post caenam; dixit enim[2]: *Postquam surrexero, praecedam vos in Galilaeam.* Similiter loquutus est apostolis post resurrectionem suam, sicut scriptum est hic et in Marco. Galilaea autem interpretatur «volutabilis», et verba, quae loquutus est eis, tanquam de monte devolverunt et exierunt in universum mundum, et ipsi multos ad fidem converterunt.

Quaeritur: Cur Dominus noster mulieres monuit dicere discipulis ut abirent in Galilaeam, cum ipse, eodem die quo surrexit, sex vicibus apparuit, ut supra diximus? h. e. quia remota erat a Ierusalem et a timore crucifixorum. Rursus, illud: *Galilaeam,* de spatio temporis quo fuit cum eis, et de multitudine verborum et factorum quibus firmavit eos de resurrectione sua dixit, non autem quod non apparebit eis antequam in Galilaeam (irent). Bis enim apparuit, et deinde convocavit eos in Galilaeam, et inde convocavit eos in montem Olivarum. Alii, qui accurati sunt, dicunt: Quia erat in Galilaea multitudo fi-

[1] Luc., xxiv, 6. — [2] Matth., xxvi, 32.

delium iustorum, qui crediderant in eum, aequum erat ut eis appareret, et confortaret eos, et daret eis scientiam de sua resurrectione. De his fidelibus Galilaeis, quos discipuli ad montem convocaverunt, et quibus Dominus noster apparuit, Paulus dixit[1]: *Deinde visus est quingentis fratribus, ex quibus multi manent, quidam autem dormierunt*; non autem dixit de eis qui surrexerunt tempore passionis eius; * hi enim mundanis nullo modo usi sunt. — *Ibi eum videbitis*; angelus dixit hanc visionem post intervallum dierum futuram esse.

* p. 160.

v. 8) *Et abierunt a sepulcro cum timore,* et fide, *et gaudio;* cum timore quidem, propter terraemotum et miraculum quod viderant; cum gaudio autem, quia nuntium acceperant de resurrectione.

v. 9) *Dixit eis: Pax vobis;* ut auferret ab eis timorem. Usque adhuc verbis: Pax vobis, non usus est, ut cum pace inciperet in resurrectione. Maledictio enim per mulierem ingressa est, ita et pax per mulieres. Pudeat superbos cum vident Dominum pacem primum dedisse servis, non autem viris, immo generi mulierum. — *Illae autem accesserunt, apprehenderunt pedes eius*; eo quod apprehenderunt pedes eius et tetigerunt, certiores factae sunt de resurrectione eius; et eo quod *adoraverunt eum*, confessae sunt eum esse Deum cui prae omnibus adoratio debetur eumque praedicasse pacem et reconciliationem inter caelestia et terrena.

v. 10) *Sed ite, dicite fratribus meis*; h. e. quia mulieres tristitiam in creationem adduxerant, ideo resurrectionem primae viderunt, et iussit eas annuntiare gaudium mundo, et genus, quod despectum erat, honoravit. Dominus noster discipulos suos vocavit fratres suos, et angelus vocavit eos discipulos eius. Ante resurrectionem non vocavit eos fratres suos, sed discipulos suos, et per hoc ultimum indicavit familiaritatem quam dedit eis secum, et pace sua honoravit eos. Si enim fratres eius per Verbum facti sunt, patet quod etiam filii Patris eius iam facti sunt. Rursus, quia natus est de sepulcro ad vitam immortalem vocavit eos fratres suos, quia tanquam virtute resurrectionis iam natus erat eis.

[1] *I Cor.*, xv, 6.

v. 11) * *Venerunt quidam ex quaestionariis illis in civitatem et renuntiaverunt principibus sacerdotum quidquid factum fuerat*: terraemotum qui factus est, et angelos et splendorem quos viderant. Et revelaverunt se vidisse Salvatorem nostrum egredientem et lapidem signatum. Nonnulli dicunt: Exierunt principes sacerdotum et viderunt sigilla sua integra. Alii autem: Prae timore non exierunt cum eis, sed acceperunt verba eorum. *p. 161.

v. 12) *Et dederunt pecuniam non modicam*; plus quam Iudae.

v. 13) *Discipuli eius venerunt, furati sunt eum*: verbum quod non habet persuasionem sed contradicit sibi. Si enim dormiebant, unde cognoverunt discipulos eius aut alienos furatos esse eum? Si vigiles erant, quare non apprehenderunt fures? Illud quod dixerunt: Discipuli eius furati sunt eum; id condemnavit illos. Qui enim dormit nescit quis sit fur. Quod si discipuli furari eum voluissent, furati essent eum nocte sabbati cum nec custodes nec milites prope sepulcrum essent. Rursus, si post resurrectionem discipuli vix crediderunt eum surrexisse, quomodo, cum mortuus esset, venissent et eum furati essent nec timuissent? Et Simon, si furatus est mortuum, quomodo pro mortuo crucifixus est inverso capite, et socii eius in aliis tormentis pro illo mortui sunt?

v. 14) *Et si auditum fuerit hoc;* h. e. quod nos docuimus vos dicere: Discipuli eius furati sunt eum dum custodes dormiebant. Verumtamen illi Iudaei, qui crediderunt in Dominum nostrum, hoc verbum non acceperunt, sed inimici tantum. Rursus, notum est Dominum nostrum vere surrexisse ex eo quod septuaginta duo populi et linguae profitentur Dominum nostrum surrexisse. In die autem primo hebdomadis Dominus noster surrexit, quia in eo creavit mundum, et decebat ut in eo surgeret et renovaret illum. In mense nisan facta est resurrectio, quia ipse est mensis primus. Quare * mansit in sepulcro tribus diebus? In prima die, Adam et universum genus virorum iustificavit a peccato primo; in die autem secunda, totum genus mulierum sanavit a peccato; in die vero tertia, Satanam, qui sanationem a peccato non accepit, interfecit, potestatem eius dissolvit et thesauros eius diripuit. *p. 162.

Oportet exploremus quomodo numerentur tres dies et tres noctes quibus Dominus noster in corde terrae fuit. Nonnulli dicunt: Nox parasceves[1], una (nox); sex horae[2] parasceves, dies; tres horae[3] tenebrarum, nox; tres horae lucis[4], dies; nox sabbati et dies sabbati. Haec explicatio vituperatur quia tenebras tanquam noctem computat, et quia nihil de primo die hebdomadis computavit, nec noctem nec diem, dum universa Ecclesia clamat Dominum nostrum in primo die hebdomadis surrexisse. — Alii dicunt: Marcus scripsit Dominum nostrum tertia hora parasceves crucifixum esse; et ad hunc modum computant: Tres horae matutinae parasceves usque ad sextam, dies; tres horae tenebrarum, nox; tres horae a nona ad occasum solis, dies; nox sabbati et dies sabbati, et nox primae diei hebdomadis. Neque haec explicatio vera est, quia computat tres horas tenebrarum tanquam noctem, cum hae essent tenebrae, non nox; quod testatur Zacharias qui vaticinatus est[5]: *In illo die non erit lux, et dies ille non cognoscetur Domino, non dies neque nox.* Rursus, vituperatur quia horas diurnas primi diei hebdomadis non coniungit nocti eius. — Alii: Nox quidem, tres horae tenebrarum; dies autem, tres horae lucis[6]; nox quidem sabbati, dies autem sabbati; nox quidem, a tempore quo occidit sol primi diei hebdomadis usque ad maiorem partem eius (noctis); dies autem, tres horae lucis cum descenderunt angeli. Reversus est scilicet dies, * et solvit nocti tres illas horas quas mutuatus erat ab ea in parasceve. Vituperatur autem etiam haec explicatio, quia tenebras tanquam noctem computat et quia lucem, quae facta est in nocte resurrectionis, tanquam diem computat. — Alii, qui tenent lucem diei priorem esse nocte eius, dicunt: Nox, tres horae tenebrarum; dies, tres horae lucis; nox, vespera sabbati quam vocant noctem parasceves; dies sabbati; nox quae antecedit primum diem hebdomadis, quam vocant noctem sabbati et in summo mane quod est initium lucis primi diei hebdomadis surrexit. Et hi etiam reprehenduntur, Graeci scilicet et Armeni, quia tenebras tan-

* p. 163.

[1] Id est, nox ante parasceven. — [2] Ab ortu solis usque ad meridiem seu horam sextam. — [3] Ab hora sexta ad nonam. — [4] Ab hora nona ad occasum solis. — [5] ZACH., XIV, 6, 7. — [6] Ab hora nona usque ad occasum solis.

quam noctem computant, et quia computant lucem diei ante noctem eius; quod falsum est et contrarium Ecclesiae, nam a primis vesperis primi diei hebdomadis incipit Ecclesia resurrectionem celebrare. Iterum reprehenduntur quia dicunt resur-
5 rectionem summo mane factam esse. Hoc autem (tempus) aut ad diem sabbati, aut ad primum diem hebdomadis pertinet. Si ad sabbatum pertinet, ergo in sabbato surrexit Dominus noster, non in primo die hebdomadis; si autem in primo die hebdomadis computatur, falsi sunt qui dicunt lucem diei priorem esse
10 nocte eius. Etenim si summum mane quo surrexit est primi diei hebdomadis, tunc nox primi diei hebdomadis prior est luce eius, sicut nos tenemus. — Nos autem dicimus: Secundum legem Scripturarum et secundum consuetudinem, lux et nox unum diem constituunt, et nox prior est luce; quod testatur
15 Moyses cum praecipit de festo Paschatis et azymorum. Dixit enim ut hoc festum inchoent in quarto decimo die [1]: *A vespera quidem quarti decimi diei azymum comedetis.* Ergo nox prior est luce; et unusquisque dies viginti quattuor horis constat. Rursus, requiem sabbati similiter tradidit ut nocte elapsa et
20 luce sequenti * requiescerent. Et nos similiter in primo die hebdomadis noctem elapsam honoramus velut accedentem et coniunctam diei venerabili, non autem noctem quae sequitur lucem. Exemplum naturale hac de re adducimus. Si quis venit a via aut facit rem quamcumque primo die hebdomadis aut
25 secundo, hora prima aut decima aut undecima, dicimus quod primo die hebdomadis venit et fecit hoc et illud, cum a parte et hora diei novissima in totum diem transferimus id quod factum est. Ergo numerantur Domino tres dies et tres noctes, etiam ad hunc modum: Crucifixus est in parasceve; eo quod anima
30 eius separata est a corpore eius, et anima eius directe ivit ad inferos, ipse Dominus per animam suam ivit; et quoniam Dominus noster his tribus horis parasceves in corde terrae fuit, illis totum diem parasceves damus, dum ex parte diei totum diem ponimus, et computamus noctem, et noctem sabbati et diem
35 eius. Et nocte primi diei hebdomadis surrexit, dum ex horis quibus mansit in corde terrae noctem ac diem computamus, ex

* p. 164.

[1] *Ex.*, XII, 18; *Lev.*, XXIII, 5.

parte ad totum transeuntes. Ergo tres dies et tres noctes clare agnoscuntur: nox et dies parasceves, quia hora nona mortuus est; nox et dies sabbati; et nox et dies primi diei hebdomadis, dum ex prima eius parte ad totum transimus. Rursus, dicimus: Ionas haec figuravit quia horis quibus deglutitus fuit a pisce 5 eisdem Dominus mortuus est, et quibus exivit e pisce, eisdem Dominus surrexit. Etsi Ionas non fuit in pisce omnibus horis integris trium dierum et trium noctium, tamen ex parte ad

* p. 165. totum transitur. — Alii computant a vespera caenae cum * fregit corpus suum; neque hi verum dicunt; nam ipse Domi- 10 nus redarguit eos, qui dixit discipulis suis[1]: *Ecce adscendimus Ierusalem, et Filius hominis tradetur, et flagellabunt eum, et condemnabunt eum morte, et die tertia resurget.* Ecce igitur Dominus noster non a caena hos tres dies numerat, sed post flagellationem et crucifixionem; et ad hunc modum numeran- 15 tur: hora nona mortuus est; et cum esset vespera parasceves, Ioseph venit et tulit corpus eius et sepelivit illud; ergo ecce dies primus cum mortuus est et sepultus est. Rursus, Evangelista dixit[2]: *Die crastino, qui est post parasceven, congregati sunt*: ecce dies secundus. Et iterum dixit: *In vespera sabbati* 20 *quae lucescit in primo die hebdomadis*; ecce dies tertius, qui est primus dies hebdomadis, quo surrexit. Rursus, angelus dixit mulieribus[3]: *Mementote quod loquutus est vobiscum, cum esset in Galilaea, quod debebat Filius hominis tradi.* Rursus, Cleophas et socius eius dixerunt[4]: *Ecce tres dies sunt ex quo haec* 25 *facta sunt.* Praeterea Paulus dixit[5]: *Surrexit tertia die;* et cccxviii Patres in symbolo fidei dixerunt: « surrexit tertia die sicut scriptum est ». Ergo demonstratum est ex his omnibus, ex Domino nostro, ex angelis, apostolis, mulieribus, verbis et exemplis naturalibus, ab hora nona parasceves, cum mortuus 30 est, usque ad noctem primi diei hebdomadis, cum surrexit, tres dies et tres noctes esse.

Sic erit Filius hominis [*in corde terrae*][6]; h. e. cor terrae vocat partem eius interiorem, secundum illud[7]: *Aperuit os suum et suscepit sanguinem Abel.* Etsi terra cor et os non habet, 35

[1] Matth., xx, 18. — [2] Matth., xxvii, 62. — [3] Luc. xxiv, 6. — [4] Luc., xxiv, 21. — [5] I *Cor.*, xv, 4. — [6] Matth., xii, 40. — [7] *Gen.*, iv, 11.

tamen cor appellat partem eius interiorem, h. e. scilicet sepulcrum in quo positus fuit per corpus suum, dum per animam suam erat in inferis, qui est carcer angustus animarum situs in inferioribus partibus terrae. Ergo cor vocat interiorem eius partem, sicut cor hominis in interiore positum est. Alio modo: Cor hic * vocat diabolum, quemadmodum scriptum est in alio loco[1]: *Visitabo super mentem magnam,* ubi propheta « mentem » vocat diabolum; sunt enim qui dicant cor esse sedem mentis. In his tribus diebus quibus fuit Dominus (in corde terrae)[2] praevaluit in occisione diaboli. Nos autem haec ad hunc modum exponimus: Cor quidem terrae vocat diabolum; quemadmodum cor est horreum cogitationum, sic et Satanas est horreum cogitationum malarum quas seminat in corde hominum, et ideo vocatur cor terrae, quia habitat in hominibus qui in rebus terrestribus sunt implicati et in locum cordis habitat in eis. Et per hos tres dies et tres noctes Dominus noster Christus, a tempore quo coepit dividere mysteria discipulis suis et dare eis mandata et monita, et docere eos novum testamentum, incepit abscindere cor et artificia diaboli a genere humano, et die tertio omnia artificia eius abolevit. — Matthaeus:

* p. 166.

v. 16) *Profecti sunt in Galilaeam in montem ubi constituerat eis*; per hoc non indicavit quod non amplius visuri essent eum; sed has vices quibus visus est in Ierusalem, et a Cleopha et socio eius, et ad vesperam in caenaculo, ad confirmandam resurrectionem fecit; hic autem in Galilaea docuit eos illa quae debebant facere et docere alios ut facerent.

v. 17) *Et cum viderent eum, adoraverunt eum; quidam autem dubitaverunt;* h. e. Thomas, qui dubitaverat, certior factus est per visum et tactum. Et non dixit qui sint qui dubitaverint, sed: *quidam* voce generali, dum unus erat, Thomas, sicut diximus. Apparebat autem Dominus noster in specie, et ideo (discipuli) terrebantur. Ergo non visus est, nec palpatus est, nec comedit naturaliter, sed per miraculum supra naturam. — Iohannes[3]: *Vidit lintea posita,* h. e. dereliquit vestimenta sua; primum, ut ostenderet se potestate propria * fecisse resurrectionem nec territum fuisse morte; secundo, ut mors timeret

* p. 167.

[1] Is., x, 12. iuxta Hexapl. — [2] Hic aliquid excidisse videtur. — [3] Ioh., xx, 5.

et commoveretur cum videret vestimenta eius, qui suscitatus est, in loco eius posita; tertio, ut significaret nobis pondus passionum et infirmitatem humanam in sepulcro derelicta fuisse; quarto, ut ostenderet carnem suam non amplius indigere operimento vestimenti nec cibo; quinto, ut indicaret filios resurrectionis non indigere vestimentis corporeis; sexto, ut significaret nos post resurrectionem induturos esse, non haec vestimenta, sed vestes gloriae. — Dubium: Utrum Christus post resurrectionem suam discipulis suis apparebat sine vestimentis an cum vestimentis? Et dicimus: Cum vestimentis. Evidens est enim quod discipuli videbant eum vestitum secundum ordinem priorem. Et unde erant haec vestimenta? Quidam dicunt: Vestimenta, quae milites tulerant; sublata sunt eis inter stuporem, et cum eis Salvator noster apparuit. Alii: Ipse corpus suum vestimento induebat secundum modum quo volebat a discipulis videri. Iohannes Hazzaya dixit: Vestimentum eius erat virtus operationis eius, non vestimentum humanae texturae; et quemadmodum angeli visi sunt in vestibus albis, dum notum est eos non vere amictos fuisse vestimento, sic et Dominus noster post resurrectionem suam vestimentum operationis virtutis suae ostendit, non vestimentum texturae. Corpus autem post resurrectionem non indiget vestimenti. Ad quid cum vestimento ostendit seipsum? Quia discipuli eius, eum non sicuti erat videbant; sed prout poterant eum videre ostendit seipsum eis; et ideo cum vestimentis apparebat eis. — Matthaeus:

v. 18) *Data est mihi omnis potestas*; h. e. *in terra*: Quam potestatem dedit apostolis ut subiicerent homines dominationi eius; *et in caelo*: ut ostendat se in loca retributionis potestatem habere et se mercedem repensurum iis qui credunt in eum. Heretici * autem dicunt: Illud *data est*, defectum facit ei. Nos vero adversus illos dicimus: Ecce Paulus dixit[1]: *Cum tradiderit regnum Deo Patri;* et notum est quod maior minori se tradit et dat regnum. Sed dicimus unum sensum habere haec: *data est mihi*, et: *tradiderit*. Quemadmodum illic non maior tradit regnum minori, ita neque hic ei quasi minori potestas

* p. 168.

[1] I *Cor.*, XV, 24.

a maiore datur. Etenim non quasi hucusque non habuerit potestatem dicit: *data est mihi;* olim enim dixerat[1]: *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo;* et[2]: *Sicut misit me Pater meus, mitto vos.* Per hoc ostendit non suam aequalitatem cum illis, ipse enim ut Filius missus est, illi autem ut servi, sed quod hic dixit significat: quemadmodum vidistis me nihil minui, neque vos minuemini ob ea quae praecipio vobis.

v. 19) *Ite, docete omnes gentes*; h. e. non ad unum populum mitto vos, sicut prophetas ad Hebraeos tantum, sed ad omnes gentes; et non post longum tempus sed post dies decem, quia adscendam ad Patrem meum et mittam vobis Spiritum sanctum. — *Baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*; hic de baptismo et fide praecipit. In duos modos dividitur religio, in fidem et in opera, et Dominus noster de utroque hic praecepit. Et primum de fide, per ea quae hic sunt; quia adscensurus erat in caelum, voluit docere eos quod, etsi unus Deus est, tres tamen sunt hypostases: is quidem Pater, is autem Filius, is vero Spiritus sanctus; Genitor et Genitus et Procedens; unus quidem causa, duo autem effectus, sicut intellectus et verbum * ex anima, et splendor et calor e sole. Et quemadmodum de verbo et de splendore generatio ex anima et sole naturalis et continua dicitur, de intellectu autem et calore processio ex anima et sole absque separatione et sine tempore dicitur, ita et multo perfectius Filius ex Patre nascitur et Spiritus ex eo procedit. Non enim iussit eos baptizare in nomine Dei aut Domini, quia haec nomina sunt composita et ex creatione sumuntur: Deus quidem sumitur ex eo quod iudicat, et videt, et comburit, et currit. Dominus autem ex dominatione, quia dominus est omnium, et ideo haec nomina sunt temporanea. Nomina exacta duo sunt: unum in veteri (testamento), h. e. *Ego sum qui sum*[3], Ens qui est; alterum autem in novo (testamento), Pater et Filius et Spiritus sanctus. Nomina « Pater et Filius » sublimiora sunt nominibus « genitore et genito », quia rationalibus assignantur; et per coniunctionem « et » ante unamquamque hypostasim nobis significavit unam essentiam et aequalitatem earum secundum naturam, et distinctionem secundum personas et hypostases.

* p. 169.

[1] Matth., xi, 27. — [2] Ioh., xx, 21. — [3] *Ex.*, iii, 14.

v. 20) *Et docete eos servare omnia quae praecepi vobis.* Hic post fidem de operatione praecepit, et post theoriam monuit de operibus seu mandatis supernis v. gr.: *Ne irascaris fratri tuo*[1], et[2]: *Qui petit a te da ei*; et[3]: *Qui respexerit mulierem ut desideret eam*; et[4]: *Nolite iurare omnino*; et[5]: *Diligite inimicos vestros.* — *Et ecce ego sum vobiscum omnibus diebus;* quia hac hora volebat discedere ab eis et adscendere in caelum, ideo dixit: Vobiscum sum; nolite esse tristes; et ostendit eos ab eo momentanee privari secundum carnem, sed * ipsum virtute divinitatis suae esse cum eis. Rursus, hoc etiam prophetis dixit: Moysi quidem propter balbutiem eius[6], Ieremiae autem propter iuventutem eius[7], Ezechiel quia taedio afficiebatur[8]. « Vobiscum sum » dixit, et prophetae ire recusaverunt; apostoli autem nihil tale murmuraverunt. Eos vero etiam memores facit consummationis, quia futurum est ut pro his (laboribus) gaudeant bonis indeficientibus et aeternis. Rursus, per illud: *Ego vobiscum sum,* potestatem suam propriam indicavit cum polliceretur non cum apostolis tantum, se futurum esse, sed etiam cum omnibus qui credituri sunt in eum. Et evidens est eo quod apostoli paulo post mortui sunt; ipse autem promisit se usque ad consummationem saeculorum futurum esse, h. e. cum omnibus fidelibus qui in variis generationibus praedicaturi sunt fidem et opera pulchra perfecturi. Ergo tanquam membris unius corporis, cuius ipse est caput, haec eis promisit. Et dicendo: *Amen,* quod interpretatur verum, signavit et confirmavit quod dixerat.

* p. 170.

Oportet exploremus quot vicibus Dominus noster, post resurrectionem suam a sepulcro, apparuerit. Et dicimus: Decem. Primo apparuit Magdalenae et Mariae alteri[9]; secundo, apparuit undecim in Galilaea, sicut dixit Matthaeus[10]; tertio, apparuit undecim cum congregati essent, sicut dixit Marcus[11]; quarto, apparuit Simoni[12]; quinto, Cleophae et socio eius[13]; sexto, undecim cum congregati essent, sicut scripsit Lucas[14]; septimo, apparuit Magdalenae; octavo, apparuit discipulis in caenaculo

[1] Cf. Matth., v, 22. — [2] Matth., v, 42. — [3] Matth., v, 28. — [4] Matth., v, 34. — [5] Matth., v, 44. — [6] *Ex.,* [illegible] Ier., i, 6. — [8] Cf. Ez., ii, 8. — [9] Cf. Matth., xxvii, 61. — [10] [illegible]., xxviii, 17. — [11] Marc., xvi, 14. — [12] Luc., xxiv, 34. — [13] Luc., xxiv, 15. — [14] Luc., xxiv, 36.

primo die hebdomadis ad vesperam; nono, post dies octo in caenaculo; decimo, ad mare Tiberiadis. Has quattuor (ultimas apparitiones) Iohannes scripsit [1]. Ad mare Tiberiadis apparuit septem: Simoni, Thomae, Nathanael, filiis Zebedaei, et duobus aliis discipulis. Hanc (apparitionem) quam dixit Iohannes [2]: *Ecce tertia * vice apparuit discipulis suis,* hoc est: aut ter apparuit eis congregatis simul, aut ter comedit cum eis; nam multoties apparuit. Et quod comedit cum eis bis, prima vice, ad mare Tiberiadis, et altera, cum dederunt ei partem piscis, id accidit die primo hebdomadis ad vesperam; tertiam autem vicem ignoramus. Alii: Duabus tantum vicibus comedit: prima, quam dicit Lucas [3]; altera, quam dixit Iohannes [4] *tertia vice.*

* p. 171.

Auxilio Dei omnipotentis scripta est interpretatio Evangelii Matthaei valde laudabiliter et perfecte. Deus misereatur cuiuscumque qui (laboris) particeps fuit. Amen.

[1] Ioh., xx, 14, 19, 26; xxi, 1. — [2] Ioh., xxi, 14. — [3] Luc., xxiv, 43. — [4] Cf. Ioh., xxi, 13.

Rursus: In spe et fiducia Dei qui roborat et adiuvat, venimus ad significationes quae sunt in Marco Evangelista.

Caput primum. Postquam autem narrationem Matthaei apostoli fuse absolvimus et permultas sententias evangelistarum sociorum eius in libro congessimus, venimus aggressuri expli- 5 cationem Marci. Explicationes autem, quas in eo non inveneris, ecce scriptae sunt apud Matthaeum sicut diximus. Veniamus ad rationem libri, confidentes in Deo qui bonus est, cuius misericordiae sunt in aeternum, et qui potest nobis virtutem et verba dare ut etiam hunc (librum) perficiamus. 10

Caput secundum: Ratio libri. Beatus Marcus ille est de quo scriptum est in Actibus[1]: *Iohannes, qui cognominatus est Marcus,* qui aliquando comitatus est Paulum et Barnabam cum *p. 172. praedicarent gentibus. * Et est e coetu septuaginta duorum, discipulus Petri. Scripsit autem Evangelium lingua romana, 15 Romae, illudque breviter scripsit, non quod plura non sciret, sed propter duo: primum quidem, quia vidit Romanos quaerentes a Petro Evangelium recipere; alterum autem, ut imitaretur magistrum suum Petrum qui etiam breviter et verbis sapientibus atque paucis epistulas suas scripsit. Romani enim 20 a Petro quaesierunt ut evangelium, quod verbis de eis quae fecit Dominus noster praedicaverat, libro consignaret eis. Ille autem iussit Marcum, discipulum suum, scribere. Causa autem scribendi haec fuit. Quoniam enim Simeon (Petrus) Simonem magum Samariae patefecerat, iste Roman fugit diebus Claudii 25 Caesaris, et per magiam et signa phantastica, quae ostendebat, gloriam apud Romanos consecutus erat. Et statuerunt ei imaginem tanquam deo, prope flumen quod vocatur Tiber quia Tiberius imperator in eo submersus est, et alteram imaginem meretrici, quae erat cum eo, nomine Selenae[2], quae olim Tyri 30 corpore quaestum fecerat. Petrus autem, cum de errore illo

[1] *Act.*, xii, 25. — [2] Sic.

audisset, Romam venit ut Simonem patefaceret. Quadam die Simon magiis suis ostendit se in apparentia suscitasse mortuum; Petrus autem eum vere vivificavit in nomine Christi. Romani vero, cum vidissent ea quae facta fuerant, surrexerunt ad lapidandum Simonem. Iste autem iratus dixit: Quia non recepistis me, vadam ad patrem meum qui est in caelo; et magiis suis ostendit currum igneum qui rapuit illum. Sed postquam adscendit supra omnia alta aedificia Romae, Petrus infremuit et increpavit daemones qui portabant eum, et fecit adversus eos * signum crucis, et statim deseruerunt eum ac fugerunt; et cecidit in terram et mortuus est. Romani autem cum vidissent, Deum laudaverunt, et statim acervos lapidum super Simonem collegerunt. Petrus autem docuit eos, et aedificavit ecclesiam quam per longum tempus gubernavit. Et Romani, cum cognovissent eum velle transire ad alias regiones ad praedicandum, rogaverunt eum ut scriberet ipsis evangelium. Ille vero non scripsit: primum, quia otium non erat ei, siquidem erat caput praedicatorum et volebat docere populum et gentes; alterum, ne fideles alia tria evangelia relinquerent et evangelio eius occuparentur, quia erat caput et primus omnium. Iterum, quia duxit se indignum qui evangelium scriberet ratione suae negationis; ideo suasit Marco ut scriberet, et omnia quae ore dixerat, discipulus eius scripsit. Et quia Matthaeus loquutus erat de serie generationum Christi et de nativitate eius secundum carnem, ille incepit ab eius baptismo. — Alii alteram causam dicunt. Tatianus, discipulus Iustini[1], philosophi ac martyris, (sententias) e quattuor evangeliis selegit easque consarcinavit et confecit evangelium quod vocavit Diatessaron, h. e. (Evangelium) Mixtorum. Hunc librum interpretatus est Mar Ephraem; exordium autem eius fuit: In principio erat Verbum. Clemens autem Romanus[2] in Epistula magna scripsit adversus eos qui matrimonium reiiciunt, enumerans apostolos qui matrimonio coniuncti sunt, et postquam facti sunt discipuli servaverunt castitatem, sicut etiam Moyses et alii, qui, postquam revelationibus divinis facti sunt digni, usu matrimonii se abs-

* p. 173.

[1] Ms.: Iustiniani. — [2] Sic; et « Epistula magna » videtur esse quam memorat Eusebius (*Hist. eccl.*, III, 16), sed ad rem non pertinet.

tinuerunt. Dicit Clemens[1]: « An etiam apostolos contemnant? Petrus enim et Philippus etiam filios procrearunt; Paulus autem non veritus est coniugem suam in epistula salutare[2], quam
* p. 174. vero non circumducebat secum propter decus * ministerii. » Quidam dicunt: Illud quod scriptum est in Actibus quod Petrus, postquam liberatus est de carcere per angelum, *venit domum Mariae, matris Iohannis qui cognominatus est Marcus*[3], hoc est: Haec Maria uxor Simeonis erat, et Marcus filius eius, et puella Rhode, quae aperuit ei, filia eius. Hoc memorat Petrus in prima sua epistula quam misit de urbe Roma, quam allegorice describit et vocat Babylonem, propter magnitudinem et opulentiam eius[4]: *Salutat vos ecclesia electa, quae est Babylone, et Marcus filius meus.* Petrus autem, postquam e carcere liberatus est, ivit Antiochiam, ibique eodem anno ecclesiam aedificavit; et iussit (fideles) versus orientem adorare, et docuit Dominum nostrum primo die hebdomadis in Virgine habitavisse, et eodem die resurrectionem futuram esse. Et post biennium audivit de errore Simonis, et Antiochiae Evodium onstituit episcopum sibi successorem; hic episcopus annis viginti quinque (ecclesiam) rexit. Petrus autem adscendit Romam propter Simonem. Is Simon genere samaritanus erat de pago Getnin et vocabatur Simeon: sed Petrus mutavit nomen eius et vocavit eum Simonem. Et Petrus, cum Romam ingressus esset, invenit canem ad ianuam domus Simonis dixitque ei: « Ingredere, renuntia Simoni: Ecce Simeon ad ianuam ». Rursus, Simon loquutus est in aure bovis, et crepuit; Petrus autem postea vivificavit illum. Rursus, sectatores sui eum rogaverunt ut aliquod signum coram Simeone faceret. Et casu erat mortuus quidam, filius Cypriani, unius ex optimatibus civitatis. Simon ad feretrum eius accessit, et multa dicebat alta voce et secreto, sed mortuus non surrexit; et statim accessit Petrus, et clamavit alta voce, dicens: « In nomine Iesu Christi qui crucifixus est,
* p. 175. surge a feretro », * et simul ac loquutus est revixit mortuus. Et surrexerunt Romani ad lapidandum Simonem; et dum ostenderet se adscendentem in caelum, Petrus increpavit daemones,

[1] Clemens Alexandrinus, *Stromata*, lib. III, 6. (*Patr. Gr.*, t. VIII, col. 1156.) — [2] Cf. I *Cor.*, IX, 5, quem locum recitat Clemens. — [3] *Act.*, XII, 12. — [4] I Petr., V, 13.

et deseruerunt eum, et cecidit et mortuus est sicut in primo capitulo diximus. Et cum Petrus ecclesiam Romae annos viginti quinque rexisset et Nero iussisset eum crucifigi inverso capite, in locum eius constituerunt episcopum Elianum [1], quem memorat Apostolus in sua epistula ad Timotheum secunda [2], et post eum Clementem annos novem. Et tempore quo prope erat Petrus ut crucifigeretur, Romani eum multum rogaverunt ut scriberet eis evangelium; ille vero petitioni eorum annuit. Sed quia evangelium Matthaei scriptum erat, ne quis putaret, eo quod evangelium Matthaei Petro non placeret, eum aliud scripsisse, suasit Marco ut scriberet eis mores et verba et actiones Domini nostri. Is, multis in medio praetermissis, ea tantum cum magna investigatione curavit scribenda quae pertinent ad negationem Petri; et verisimile est (Petrum) ad hoc illum incitasse. Et quia Simon ibi praedicaverat Dominum nostrum non sumpsisse corpus, ideo curavit ut de humanitate eius scriberet. Marcus autem, postquam evangelium Romae scripsit, continuo in Aegyptum profectus est ibique praedicavit, et aedificavit ecclesiam Alexandriae. Marcus vero interpretatur sedes. — Rursus oportet sciamus nonnullos dicere duodecim evangelia fuisse et septuaginta duo (evangelia), secundum numerum scilicet apostolorum et praeconum. Sed postquam apostoli de vita migrarunt, discipuli eorum diligentiam adhibuerunt et scrutati sunt illa, et ex illis selegerunt quattuor evangelia quae Ecclesia recipit, quia viderunt illa esse accurata et vera. Iterum, voluerunt cohibere homines a multitudine librorum, * quia uni sententiae assentiebantur; et ordinaverunt apostolos in initio et in fine tanquam sublimiores et fundamentum, praecones vero in medio statuerunt ut honorarent eos. Et ideo sumpserunt duo evangelia e duodecim et duo e septuaginta duobus. Alii dicunt: Haec inquisitio in diebus apostolorum facta est, et ipsi selegerunt duo evangelia de suis et duo de septuaginta duobus illaque statuerunt in Ecclesia legenda.

* p. 176.

Caput tertium. — Propter quam causam Marcus actiones Christi aliam post aliam, sicut Lucas, non scripsit? Et dicimus: Sanctus Marcus non scripsit prima primo, nec unamquamque

[1] Nomen Linum corruptum. — [2] II *Tim.*, iv, 21.

rem post sociam eius, sed fecit sicut Matthaeus, servato ordine quo sive verba sive actiones videbantur inter se congruere, ut, quantum fieri poterat, connexio et consensus unius cum altero inveniretur, ita ut essent non (merae) historiae rerum, sed doctrina religioni utilis. Non autem scripsit de serie generationum quia vidit Matthaeum id affatim fecisse.

Caput quartum. — Sunt apud Marcum similitudines et parabolae sex; miracula viginti duo; testimonia, quae adduxit ad confirmanda verba sua, sexdecim.

[CAPUT I.]

v. 1) *Principium Evangelii Iesu Christi.* Principium Evangelii est baptismus Domini nostri. Etenim etiam Basilius et Philoxenus ita dicunt: Marcus primus illum vocavit Evangelium, et ipse est principium Evangelii. Alii: Principium Evangelii seu praedicationis baptismus Christi est, sicut dixit * beatus Marcus; et dicendo: *Principium Evangelii,* ostendit se primum vocavisse librum *Evangelium.* Rursus, inde quod Evangelium explicatur « praedicatio », et Christus ante baptismum suum non evangelizavit nec praedicavit; postquam autem baptizatus est et tentatus est, continuo evangelizavit: *Paenitentiam agite, appropinquavit regnum*; sicut scripserunt Matthaeus[1] et Marcus[2]. Rursus, a nativitate sua usque ad baptismum suum legaliter se gessit, sed a baptismo suo nove, sicut decet novum testamentum. Rursus, ante baptismum suum nullum miraculum fecit, nec proposuit doctrinam praeter quaestiones et responsiones in templo cum esset duodecim annos natus, sicut dixit Lucas[3]. Rursus, ea quae facta sunt a nativitate eius usque ad baptismum eius non reputantur ad Evangelium pertinere, etsi sunt coniuncta et unita Evangelio ut discamus quo modo conceptio eius et nativitas eius factae fuerint. Fieri enim non poterat ut praedicationem doctrinae evangelicae acciperemus nisi prius didicerimus unde natus est et quo modo. Et cum per annos a nativitate sua usque ad annum trigesimum debitum legis naturalis et legis scriptae sol-

* p. 177.

[1] Matth., iv, 17. — [2] Cf. Marc., i, 15. — [3] Luc., ii, 42-50.

visset, tunc aggressus est depingere nobis typum mundi novi per baptismum suum, et proclamare nuntium regni Dei. Et propterea etiam Marcus, qui noverat baptismum esse initium praedicationis, et Dominum nostrum ab eo in nova conversatione incepisse, initio libri sui scripsit tale esse *principium Evangelii*. — Si quis retorqueat: Quare ceteri evangelistae altius quam baptismum eius adscenderunt? sciat Matthaeum (id fecisse) ut ostenderet Hebraeis, ad quos scripsit, Christum, sicut prophetae olim vaticinati sunt eum ex familia David nasciturum ita ortum esse; * Lucam autem, ut argueret eos qui simpliciter accedunt ad scribendas historias rerum; Iohannem, ideo ut scriberet de divinitate eius ne celaretur, quia tres alii eam praetermiserant, neve Christus existimaretur homo simplex. Propter has causas altius adscenderunt, non autem quod eius conceptio, nativitas, circumcisio et reliqua ad Evangelium pertineant. — *Filii Dei.* Vocavit Iesum Christum filium Dei, non filium adoptivum, sicut dicunt Nestoriani; nos enim sumus filii adoptivi. Quod Marcus eo loco Iesum Christum vocat non filium adoptivum, sed Filium naturalem Dei Patris, evidens est ex eo quod Apostolus Philippensibus in epistula dixit[1]: *Hoc sentite in vobismetipsis quod et Iesus Christus qui, cum esset forma Dei, non rapinam arbitratus est se esse aequalem Dei, sed semetipsum exinanivit, et formam servi sumpsit, et factus est in formam hominum, et habitu inventus est ut homo, et humiliavit semetipsum, et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus valde exaltavit illum, et dedit ei nomen quod est excellentius omnibus nominibus, ut in nomine Iesu omne genu flectatur,* etc. Interrogentur Chalcedonenses et Nestoriani: Quis est qui exinanivit semetipsum et formam servi sumpsit? Homo an Verbum Deus? Natura divina an natura humana? Atqui homo et natura humana iam sunt exinaniti et servi; ergo patet ipsum Verbum Deum exinanivisse semetipsum; et vides quod ipsum Verbum Deum, qui exinanivit semetipsum et formam servi sumpsit, vocavit Iesum Christum eique tribuit humiliationem, et obedientiam, et mortem crucis, et exaltationem, et

* p. 178.

[1] *Philipp.*, II, 5-10.

acceptionem nominis Dei quod est excellentius omnibus nominibus. * Iterum, quod Apostolus de Verbo Deo dixit: *Exinanivit semetipsum,* has significationes indicat: primum quidem, cum esset Deus natura sua, incarnatus est et factus est homo voluntate sua, quin mutatus sit ab eo quod Deus est; secundum, cum esset consubstantialis Spiritui sancto et dator eius et haberet sanctitatem naturaliter, in se suscepit ut ungeretur et sanctificaretur per Spiritum sanctum quatenus factus est homo, nam cum factus est homo passus est passiones naturales et voluntarias et irreprehensibiles, famem, sitim, somnum, et gustavit pro nobis mortem eamque destruxit; tertium, cum vocatur nominibus altis et sublimibus, h. e. Dominus et Deus et Omnipotens et similia, quae habet naturaliter cum Patre et Spiritu sancto, in quantum habet vitam in natura sua, et habet potestatem super omnia, et debetur ei laudatio ab omnibus, dicitur haec ei data esse a Patre et ipsum accepisse a Patre, et id quatemus exinanivit se et factus est homo. Et indicium exinanitionis est quod in se susceperit ut appellaretur nominibus humilibus et inferioribus, v. gr.: vir, homo, lapis. — Rursus, evidens est ipsum Verbum Deum, qui est Filius naturalis Dei Patris, non autem hominem ex Maria, vocari Christum. Etenim David dixit[1]. *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculorum; virga extensa virga regni tui; dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Intellege igitur: eum quem vocavit Deum et de quo dixit, *Sedes tua, Deus, in saecula*, hunc unxisse dicitur Deus Pater, non autem hominem ex Maria. Iterum, quod dicitur: Prae consortibus eius unxisse eum, h. e. prae omnibus qui uncti sunt a Spiritu sancto. Etenim hi indigebant unctionis et uncti sunt a Spiritu sancto; ipse autem Verbum Deus unctus est * et sanctificatus est a Spiritu sancto cum non indigeret huius rei, quia consubstantialis est Spiritui, et habet sanctitatem naturaliter, et (ea) plenus est sicut dixit Iohannes[2]: *Ex plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed quatenus factus est homo, accepit Spiritum et unctionem eius et sanctitatem, ut mediatione sua nobis daret Spiritum qui nos ungeret et sanctificaret.

[1] *Ps.* XLIV, 7-8. — [2] IOH., I, 16.

* p. 179.
* p. 180.

Verbum enim unctum fuisse et sanctificatum per Spiritum, quia missum est in mundum et factum est homo, patet ex eo quod ipsum de se dixit [1]: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixi vobis: Filius Dei* 5 *sum.* Evidens est eum, qui missus est a Deo Patre in mundum, esse Verbum Deum, et eum, qui missus est, sanctificatum esse a Spiritu. Ipsum Deum Verbum vocari Christum, quatenus factus est homo, Paulus dicit [2]: *Nobis autem unus est Deus Pater ex quo omnia, et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia,* 10 *et unus Spiritus sanctus in quo omnia.* Rursus [3]: *In Christo omnia creata sunt, per quem...* Per quem igitur dixit Paulus omnia creata fuisse? Per hominem ex Maria an per Verbum Deum, sicut dixit Iohannes [4]: *Omnia per ipsum facta sunt?* Verbum, per quod omnia creata sunt, ipsum Paulus vocavit 15 Iesum Christum. Ergo ex his manifestum est quod Marcus Iesum Christum vocavit naturalem Dei Patris Filium qui incarnatus est et factus est homo, non autem, sicut dicunt heretici, hominem ex Maria, qui sit filius adoptivus.

v. 2) *Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto* 20 *angelum meum;* h. e. hoc testimonium adduxit ut confirmaret * baptismum Christi esse principium Evangelii. Illud autem: *Ecce ego mitto angelum meum,* in Malachia [5] scriptum est, non in Isaia. Alii vero dicunt: Etiam in Isaia scriptum erat, sed periit. Alii dicunt: Evangelium (Marci) e lingua romana in 25 graecam et e graeca in syriacam versum fuit; et interpretes erraverunt et pro Malachia Isaiam posuerunt. Alii: In libro Diatessari, qui Alexandriae compositus est, quem scripsit Tatianus episcopus, et etiam in evangelio graeco et in Harclensi scriptum est: In prophetis; sed non exponunt cuius prophe- 30 tae. Alii: Propter illud: *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini et adaequate semitas eius,* tribuit illam sententiam, quia hoc ab Isaia dictum est, non autem propter illud: *Ecce ego mitto angelum meum;* quia ei non fuit curae de accuratione historiae secundum morem Scripturae quae sententiam 35 simpliciter ponit, sicut illud [6]: *Cunctus populus videbat vo-*

* p. 181.

[1] Ioh., x, 36. — [2] Cf. I *Cor.*, viii, 6. — [3] *Col.*, i, 16. — [4] Ioh., i, 3. — [5] Mal., iii, 1. — [6] *Ex.*, xx, 18.

ces et lampades, dum notum est voces non videri; et sicut illud[1]: *Bos et agnus, cuius auris amputata est et cauda resecta,* dum bos non habet caudam[2]; et sicut illud[3]: *Osculata est manus mea os meum,* dum os, non manus, osculatur. Ita et Marcus posuit illud: *In Isaia,* et postea illud: *Ego mitto angelum meum,* et deinde: *Vox clamantis,* et non distinxit de quanam ex his sententiis dictum sit *In Isaia.* — *Vox clamantis in deserto.* Quare Iohannes cognominatus est vox? Quia Christus vocatus est Verbum, et verbum sine voce aut scriptis non cognoscitur, congruenter ergo Iohannes cognominatus est vox, ut voce sua praedicaret de Verbo unigenito. — *Parate viam Domini:* viam et semitam vocat adventum Christi; parate, scilicet, mentes vestras et cogitationes vestras coram adventu Christi.

v. 4) *Fuit Iohannes in deserto*; h. e. migratio eius in deser- *p. 182. tum est migratio nostra * de terra in caelum. — *Baptizans et praedicans*; destructionem mortalitatis quae dissolvenda est innuit.

Per[4] tunicam pili innuit paenitentiam; per cinctionem lumborum fortitudinem et strenuitatem in bellis spiritalibus et sensibilibus significat, et castitatem fugientem a desiderio libidinoso quae operibus praestantibus perficitur. Per volatum locustarum volatum iustorum obviam Domino nostro innuit; per dulcedinem mellis, dulcedinem bonorum Domini nostri quae superiora sunt omnibus afflictionibus. Rursus, mel, quia ipse deterget mundum a corruptione peccati; mel enim detergens est natura sua.

v. 5) *Universa regio Iudaeae;* h. e. locus, pagi.

v. 6) *Vestimento e pilo camelorum:* indicabat vestimentum vile et paupertatem eius; non enim lana sed pilo aspero camelorum coopertus erat.

v. 15) *Impletum est tempus et appropinquavit regnum*; h. e. impletum est tempus umbrarum legis et venit perfector symbolorum et typorum. Regnum hic vocat Evangelium et gratiam.

[1] *Lev.*, XXII, 23. — [2] Intellegit caudam pinguem quam LXX vocant ὀσφύν. De genuino sensu textus hebraici, vide commentatores. — [3] *Iob.*, XXXI, 27. — [4] Haec ad v. 6 pertinent.

v. 23) *Vir quidam in quo erat spiritus immundus*; immundum vocat daemonem ex rebus abominandis quas solet facere in eum in quo habitat.

v. 24) *Venisti ad perdendum nos*: duo innuit; primum, timo-
5 rem Domini, qui venit super eos a tempore cladis eorum in deserto; alterum, malitiam eorum erga Filium hominis, quia interitus eorum reputabatur liberatio eius ab eis. — *Novi te quis sis, Sanctus Dei*; h. e. tanquam ad hominem sanctum id dixit, non quod sciret eum esse Deum.

10 v. 37) *Et cum invenissent eum, dicunt ei: Omnes homines quaerunt te*; hoc: *omnes*, est sicut illud [1]: *Vastavit Iosue omnem terram*, et [2]: *Omnes gentes obsederunt me; in nomine [Domini]...*, et [3]: *Omnes, qui venerunt, fures sunt * et latrones.* * p. 183.

v. 44) *Vide ne cuiquam dicas*; h. e. increpavit eos qui sanan-
15 tur, scilicet « ne reveletis »; ne Iudaei calumniarentur eum ut superbum; noverat enim signa, quae faciebat, non esse abscondita. Cum enim inter turbas faceret signa, non praecipiebat eis ut non revelarent, v. gr. Canae, et cum multiplicavit panem, et apud Lazarum; sed apud personas privatas monebat ne re-
20 velarent quemadmodum apud hunc leprosum, et paralyticum, et caecos. Et dicimus: Inter turbas signa aperte faciebat ut traheret eas ad fidem in ipsum, et non prius fidem in se ab eis exigebat, sicut apud privatos viros faciebat; cum enim mutavit aquam (in vinum), etc., non prius exegit consensum tur-
25 barum ut confiterentur utrum posset hoc facere an non, sicut fecit apud leprosum et paralyticum et caecos, quos non sanavit donec confessi fuerunt eum esse Deum. — *Sicut praecepit Moyses, in testimonium illis*; h. e. praecepit leproso ut offerret donum, ut ostenderet harmoniam amborum testamentorum;
30 iterum, ut indicaret unum esse datorem eorum, etsi illud prius erat doctrina puerorum, hoc autem nostrum doctrina perfectionis; tertio, ut ostenderet se non esse adversarium Dei et legis, quemadmodum non praetermiserunt calumniari eum.

[1] Cf. Ios., x, 40. — [2] *Ps.* CXVII, 10. — [3] IOH., x, 8.

[CAPUT II.]

v. 4) *Abstulerunt tectum*; arte potuerunt auferre tectum domus et facile demittere lectum, quin ceciderint super eos ligna et terra, sicut etiam hodie multi studiose curant id faciendum. 5

* p. 184. v. 21) *Panniculus * novus*; h. e. doctrina nova Evangelii. — *Vestimentum vetus,* doctrina antiqua legis.

v. 22) *Vinum novum,* veritas praedicationis. *Vestimentum novum et utres novi,* ii qui recipiunt praedicationem. Vinum vetus, doctrina legis et traditiones eorum; vestimenta vetera et 10 utres veteres, Scribae et Pharisaei. Per haec docet et ostendit quod non decet praecones praedicationis novae ministrare legalibus.

v. 23) *Discipuli eius ibant et vellebant spicas;* h. e. fricabant spicas et comedebant. Propter duo Pharisaei Dominum nostrum 15 reprehenderunt: primum, quia erat dies sabbati; alterum, quia lex non permittit comedere priusquam (primitiae) ad altare offerantur.[1]

v. 25) *Quid fecerit David cum egeret... ipse et qui cum eo erant? Quomodo ingressus est domum Dei?* h. e. quia magnum 20 testimonium erat de David quod iustus erat, ideo per eum Dominus noster redarguit illos, ostendens David non culpatum fuisse, nec discipulos suos esse reprenhensione dignos quod vellant spicas cum fame opprimerentur. Ille, qui sumpsit panem, iustus erat, et ille qui dedit, sacerdos. (David) non cul- 25 patus est, quamvis non liceret ei comedere hunc panem, sed sacerdotibus tantum. Ergo ab antiquo notum est praecepta legis secundum naturam mensuranda esse et cum misericordia prosequendam propitiationem eorum. — Matthaeus[2]: *Sacerdotes in templo profanant ipsum sabbatum,* h. e. sacrificiis 30 et libationibus et incenso et luminibus; haec omnia laborem requirunt. Iterum, quia quotidie unus agnus mane et alter ad vesperam offerebantur, et die sabbati duo mane et duo ad vesperam[3], et panis propositionis die sabbati coquebatur et ponebatur super mensam panis propositionis[4]. — Marcus: 35

[1] Cf. *Lev.*, XXIII, 14. — [2] MATTH., XII, 5. — [3] *Num.*, XXVIII, 3-4, 9. — [4] Cf. *Ex.*, XXV, 30.

v. 26) *Cum Abiathar, princeps sacerdotum.* In Samuele scriptum est[1] * Achimelec Davidi dedisse panem, et Marcus dicit Abiathar, filium eius, dedisse. Quidam dicunt: Achimelec, princeps sacerdotum, non ingressus est nec eduxit (panem), sed, quatenus senex iussit, et Abiathar dedit (panem) in manibus eius; probro enim fuisset principi sacerdotum id facere, sed iussit filium suum ingredi et educere (panem); iste, post patrem suum, electus est ut sacerdotio fungeretur, et ideo Marcus eum memoravit. Alii: Duo erant principes sacerdotum, Achimelec et Abiathar qui vicissim ministrabant, sicut Nadab et Abihu, Eleazar et Ithamar, Hophni et Phinees. Alii: Sicut Abia et Zacharias, qui erant fratres, ita Achimelec et Abiathar, filius eius.

* p. 185.

[CAPUT III.]

v. 17) *Imposuit eis nomen B e n a i r e g e š.* R e g š a hebraice interpretatur tonitrus. *Benai Regeš,* h. e. « dantes sensationem[2]» scientiae divinae hominibus per praedicationem suam, sicut tonitrus qui manifesto ab omnibus auditur; aut *B e n a i R e g e š,* idem est ac « filii praedicationis ». Etiam Dominus noster revelationem suam ultimam fulguri assimilavit, et fulgur et tonitrus affinia sunt alterum alteri. Quemadmodum propter fracturam et contractionem nubium, aqua plenarum, ex ventis qui in eis constringuntur, audiuntur sonitus tonitruum et fragorum, et ex eis fulget ignis sicut e silice qui ferro fricatur, ita et hic. Quia ipse Dominus noster vocatus est fulgur, etiam praedicatio eius appellata est tonitrus, quia bona futura annuntiat. Et Iacob et Iohannes vocati sunt *B e n a i r e g e š* seu filii tonitrus, h. e. filii praedicationis, propter amorem perfectum filiorum praedicationis quo ab ea ducebantur et servabantur, sicut filii * a matre sua, et etiam ille honorabatur ab eis sicut mater a filiis suis. Alii: *R e g š a* denotat sonitum et tonitrum et tumultum qui a multis auditur. *Filii tonitrus,* h. e. filii praedicationis. Alii: *B e n a i r e g e š ī,*

* p. 186.

[1] I *Reg.*, XXI, 6. — [2] Lusus verborum in vocibus syriacis.

h. e. filii mysteriorum meorum; quia omnes percipiunt mysteria eius. — *Quod est*[1] *filii tonitrus*; h. e. vos, qui nunc mysteria mea tantum cognoscitis; cum surrexero a sepulcro veniet vobis tempus quo tanquam e tonitru quodam praedicabuntur verba vestra in universo mundo. 5

v. 21) *Et audierunt cognati eius et exierunt tenere eum*; cognatos eius vocat filios Ioseph. Quia enim viderunt eum facientem mirabilia et turbas tumultuantes in eum, quaesierunt placare illas. — *A mente sua exivit*; opinionem infirmam de eo cognati eius adhuc habebant: quod fortasse spiritu obsessus 10 est, aut aliquomodo conati sunt sedare furorem eorum, qui irati erant in eum, et retinere eum apud se.

v. 22) *Beelzebub est in eo et per principem daemoniorum eiicit.* Unde didicerunt Iudaei nomen Beelzebub eumque esse principem daemoniorum, cum in Scripturis non scriptum sit 15 eum esse principem daemoniorum? Et dicimus: Ex consociatione sua cum daemoniis hoc didicerunt; quia subiecti facti sunt illis per magiam, manifestatum est eis nomen daemoniorum quae adorabant et quis sit princeps eorum. Quidam dicunt: Daemon numquam exibat nisi paravisset alium in locum suum; 20 aut multi venirent qui silentium ei imponerent eumque eiicerent.

[CAPUT IV.]

v. 3) *Ecce exivit seminator seminare*; seminatorem vocat seipsum. *Semen* est praedicatio eius; *latus viae*, anima indurata 25 quae * religione perfecte non occupatur; *aves*, daemonia. * p. 187.

v. 9) *Qui habet aures ut audiat:* h. e. cogitationes purae quae intellegunt et curant de his, non autem de doctrina Pharisaeorum.

v. 11) *Vobis datum est nosse mysteria;* h. e. praedicationem 30 antea absconditam, qua revelata est resurrectio et immortalitas, quam vocat regnum Dei. Haec parabola non narrata est a ceteris evangelistis.

[1] Cod. « qui sunt ».

v. 26) *Sic est regnum Dei, ut homo qui iaciat semen in terram; terram* vocat animas et corda fidelium in quibus praedicationem seminavit ipse, et discipuli eius post eum.

v. 27) *Et dormiat et surgat nocte* [*et die*]*; noctem et diem* vocat tempus inter adscensionem suam et revelationem suam novissimam. — *Et semen germinet et crescat;* h. e. crescit et dilatatur praedicatio. Et vide quod dixit non: Faciunt illud crescere, sed: Ipsum semen crescit; per hoc ostendens non necessitate sed in potestate nostra propria positum esse ut germinent in nobis opera optima, sicut semina quae crescunt et germinant. Similiter in voluntate nostra positum est ut germinent in nobis opera mala. Rursus, *cum ipse nescit;* non de ipso dictum est *nescit*; ipse enim est sapientia Patris. Quod si novit Patrem sicut Pater novit eum, ut dixit[1], quomodo nesciret semina multiplicari et crescere? Ergo similitudinem agricolarum adhibet qui, cum semen in terram semel proiecerint, non amplius fatigantur in illo; ipsum enim germinat et multiplicatur. Etiam nos in voluntate nostra habemus potentiam crescendi in virtute: etiam vos, ait, seminate et docete omnia, nec solliciti sitis de incremento, sicut neque arator sollicitus est; Deus enim est qui perficit semen. Rursus, illud: *dum ille nescit,* h. e. absque labore seminantis venit semen ad completionem virtute et operatione divina.

v. 28) *Terra producit ipsum fructum;* h. e. quasi diceret: Ego seminavi in animabus praedicationem Evangelii * et adscendi in caelum; est autem hominum et potestatis eorum propriae ut faciant germinare in hac praedicatione fructus virtutis. — *Et primum fit herba, et deinde spica, et demum perfectum triticum.* Ita et homines; primum accipiunt praedicationem Evangelii, et deinde operantur opera, et tunc operibus progrediuntur ad fastigium sublime virtutis et constituuntur in statura perfectorum. Rursus, quia non in eodem ordine omnes stabunt in perfectione; sed primum pauci erunt qui credent praedicationi, et deinde gradatim multiplicabuntur et omnes ad perfectionem venient ut dent fructus religionis.

* p. 188.

[1] Ioh., x, 15.

v. 29) *Et statim venit falx*; quemadmodum, cum impinguatum fuerit triticum, colligitur et congregatur in horrea, ita et homines, cum pervenerint ad sublime virtutis fastigium, adscendent supra caelum et laetabuntur in regno.

v. 31) *Velut granum sinapi*; de abundantia et copia, quae fient ex praedicatione, dicit.

v. 32) *Ita ut possit in umbra eius* [*avis habitare*]. Nonnulli commenti sunt quod eo loco avem vocat daemonia, quasi indigeant tutamine umbrae praedicationis; haec intellexerunt daemonia ad tenebras et supplicia reservari, non ut protegantur umbra praedicationis. Alii: Avem hic vocat angelos; alii: Avem appellat reges et iudices.

v. 37) *Et facta est procella magna*; h. e. videtur navem eorum solam fluctibus iactatam fuisse. — *Et venti, et fluctus cadebant in navigium*; quod tanta hac tempestate non experrectus fuerit, opus est dispensationis divinitatis eius.

[CAPUT V.]

* p. 189. v. 9) *Dixit ei: Legio (est) nomen nostrum.* Legio, ut dicitur, magnum agmen est, sicut illud [1]: *Legiones egressae sunt de terra Chithaeorum*, indicans multa agmina Graecorum. Alii: Legio in lingua romana est decem milia; alii: Decem myriades; alii: Mille. Primum autem existimatur verum. Ille autem ostendit eos esse multos; haec enim natura est tenuis, nec impeditur tenui corpore, sicut calor non occupat locum in corporibus. Eorum autem qui a daemoniis obsessi sunt, vires parvae sunt, et hoc dispensatione divina ordinatum est, alioquin unum daemonium omnes homines perderet. Et dicitur daemonia plerumque in deserto habitare, et pauca ex eis inter homines relicta esse, ut probetur libertas eorum et agnoscatur in eis potentia divina. Quidam impie dicunt: Non est providentia de his visibilibus, quia decem milia possederunt unum virum. Adversus eos dicimus: Tota providentia hic apparet in eo quod unus servatus est a tyrannide decem milium tyrannorum et

[1] *Num.*, XXIV, 24.

fortium, quorum unus, si licentiam a Deo haberet, milia et myriades perdere posset.

v. 12) *Mitte nos in hos porcos.* Quia rogaverunt Dominum ut sineret eos in porcos intrare, patet ne porcos quidem viles pro-
5 videntia destitui.

v. 20) *Et coepit praedicare in Decapoli*; haec erat civitas cuius incolae e decem civitatibus congregati fuerant; aut erat civitas cui decem civitates coniunctae fuerant; * aut potesta- * p. 190.
tem habebat super decem civitates, sicut Quriath-'Arba, h. e.
10 Hebron[1], quae super quattuor pagos potestatem habebat; aut erat caput et mater decem civitatum quemadmodum vocamus civitatem metropolim, h. e. matrem et gubernatricem aliarum civitatum.

[CAPUT VI.]

15 v. 3) *Nonne est iste faber, filius Mariae?* Filium Mariae vocaverunt eum, quia Ioseph mortuus erat; fabrum autem, ex arte Ioseph qui putabatur pater eius.

v. 4) *Non est propheta contemptus*; h. e. sicut Moyses qui conviciis affectus est a cognatis suis et populo suo[2], et Iere-
20 mias a concivibus suis[3]. Similiter et Nazareni hic quaesierunt nova per vetera deminuere.

v. 5) *Et non poterat facere ibi signum, ne unam quidem virtutem.* Quod non potuerit facere virtutem, non infirmitatem potentiae eius denotat, sed malitiam mentis eorum, et simile
25 est illi (sententiae) Ieremiae[4]: *Non potest Dominus amplius dimittere vobis, propter nequitiam operum vestrorum*, et sicut illud[5]: *Per duas res immutabiles, quibus non potest Deus mentiri*, et sicut illud[6]: *Non potest Filius facere quidquam ex semetipso.*

30 v. 8) *Nisi virgam tantum.* Matthaeus[7]: *Neque virgam sumant.* Dominus autem id innuit: Ab aliis, ad quos iveritis, ne accipiatis quidquam, ne putemini tanquam ad mercaturam mis-

[1] Ios., xiv, 15. — [2] *Ex.*, ii, 14. — [3] Ier., xviii, 18. — [4] Ier., xliv, 22. — [5] *Hebr.*, vi, 18. — [6] Ioh., v, 19. — [7] Matth., x, 10.

si; et significat se omnia, quae necessaria sunt eis, suppeditaturum esse. Ergo hoc Marci non adversatur illi Matthaei, quia
* p. 191. ambo * monent ne ab aliis quidquam accipiant, ne avidi videantur; etenim e domibus suis non prohibentur sumere, quia ad iter his opus habent. Baculus quidem cui innitantur; sandalia 5 autem propter duritiem viae et spinas. Alii: Matthaeus, quia olim publicanus fuerat et duritiem passionis cupiditatis expertus erat, ideo removit eos ab hac passione, cum praecepit eis ne baculum quidem sumant. Alii: In utroque (evangelista) virga eis prohibetur. Et hi pro e l l ā (*nisi*), quod dixit Marcus, lege- 10 runt w l ā, quod interpretatur ā f l ā (*neque*), ita ut sententia sit: *neque virgam tantum.*

v. 11) *Excutite pulverem*; pulvis indicium est laborum. Alii: *Excutite pulverem,* ad ostendendum terrenam esse mentem eorum eosque omnino perituros esse sicut pulverem coram 15 vento; quia scilicet impii in turbine malitiae suae peribunt et iniqui in nequitia sua terrena. Alii: *Excutite pulverem,* h. e. in signum defatigationis, eorum causa. Et quia Iudaei renuerunt percipere fructum ex laboribus aliorum, durum iudicium paraverunt sibi. *In testimonium illorum,* h. e. in signum con- 20 demnationis illorum.

v. 13) *Et ungebant oleo aegrotos*; h. e. quocumque circumibant in Iudaea, oleum a Christo benedictum sumebant, et sanabant aegrotos. Alii: Quocumque ingrediebantur sumebant oleum de domo, et benedicebant illi in nomine Christi, et aegro- 25 tos illo ungebant.

v. 20) *Herodes enim timebat Iohannem... et custodiebat eum;* illud quidem: *Custodiebat eum,* h. e. non tradebat eum ut occideretur; aut custodiebat eius consilium. Carcer, in quo Io-
* p. 192. hannes interfectus fuit, sicut doxit Matthaeus [1], * vocabatur Ma- 30 chaerus [2], et arabice interpretatur m o ṭ b ī q, quod syriace est m a ṭ b e k.

v. 40) *Et discubuerunt per discubitus, centeni* [*et quinquageni*]; h. e. in uno ordine centum, in altero quinquaginta.

[1] Matth., xiv, 10. — [2] Iosephus, *Ant. Iud.*, lib. XVIII, c. v, 2.

[CAPUT VII.]

v. 2) *Comedentes panem non lotis manibus suis*; h. e. Iudaei reprehenderunt discipulos eius quod comederent panem antequam abluerent manus suas.

v. 3) *Omnes Iudaei et Pharisaei nisi diligenter laverint*; h. e. ita tradiderunt maiores et senes eorum ut, antequam panem comedant, manus suas sedulo lavent.

v. 4) *Et e foro nisi abluti non edunt; et multa alia*; h. e. quattuor ablutiones erant Iudaeis. Prima quidem: abluebant 10 se, h. e. lavabant corpora sua propter pollutionem nocturnam, et contactum ossium mortui, etc.; secunda: ante septem dies Paschatis abluebant seu immergebant in aqua tanquam ad purificationem omnia vasa quae possidebant, a vasis aureis usque ad vasa fictilia et (vestes) laneas[1]; tertia: erant ex eis non- 15 nulli qui de mane ad mane immergebant in aqua vasa necessaria quibus utebantur ad ministerium, sicut catina et pocula et urceos et ollas; quarta: cum invitabant quemdam ex Scribis et Pharisaeis et optimatibus immergebant in aqua, tanquam in honorem eorum, lecticas sediles et vasa aerea et catina et 20 cetera vasa quibus utebantur ad ministerium. Haec omnia Christus abrogavit, etsi hic de lotione manuum loquitur.

v. 21) *Ab intus enim, e corde, procedunt cogitationes malae;* h. e. non e lotione manuum aut poculorum aut g u z z ā q ē[2]. * Quod dixit: *e corde,* animam significat, quia cor est sedes * p. 193. 25 animae, quae ibi fingit omnes cogitationes; sicut illud[3]: *Cor meum et caro mea laudaverunt Deum vivum,* et[4]: *Portemus corda nostra super manus nostras,* et[5]: *Apponit populus peccare in corde suo.*

v. 22) *Impudicitia,* h. e. scortatio contra naturam, quae fit 30 inter luxuriosos et libidinosos. *Oculus malus*; h. e. invidos et malos innuit.

v. 24) *Et ingressus est domum quamdam*; non propter timorem abscondit se; sed primum quidem, ne Iudaei putarent eum magis diligere gentes quam ipsos; alterum autem, prop-

[1] Ad litt.: «(vasa) lanae»; fortasse intellegit pelles seu utres. — [2] Nomen mensurae et vasis. — [3] *Ps.* LXXXIII, 3. — [4] *Thren.*, III, 41. — [5] Cf. *Ps.* LXXVII, 17.

ter miraculum quod patraturus erat in filiam Chananaeae, ne putaretur esse amator laudis.

v. 26) *Illa autem mulier erat gentilis ex Phaenicia Syriae;* h. e. regio Phaeniciae vocabatur Syria secunda quae est inter Apameam et Larissam. Syria autem prima est Antiochia usque Edessam; de istis et quot sint Syriae in Libro Epistularum fuse scripsimus. 5

v. 31) *Et venit ad mare Galilaeae, ad fines Decapolis*; h. e. ad Paneadem (Banyas).

v. 32) *Et adduxerunt ei quemdam surdum, mutum*; h. e. 10 duas infirmitates habebat: surdus enim erat, non audiens, et mutus, non loquens. Duo sensus eius laesi erant, h. e. auditus eius et lingua eius. — *Et rogabant eum ut poneret super eum manum*; h. e. sicut super ceteros quos sanaverat et restituerat.

v. 33) *Et abduxit eum e turba seorsum.* Propter tria non sa- 15 navit eum coram turba: primum quidem, ne putaretur amator laudis; secundum, ut redargueret eos qui viderant signa quae fecerat et denegaverant fidem in eum, propter quos etiam ingemuit; tertium, ut doceret nos, quando virtutes operamur, abscondere eas nec capere nobis vanam gloriam a spectatori- 20 bus et auditoribus. — *Et immisit digitos suos in aures eius, et* * p. 194. *spuit ac tetigit...* * eo quod spuit et tetigit, ostendit se esse plasmatorem Adami de pulvere et spiravisse in eum halitum vitae. Rursus, eo quod *immisit digitos suos in aures eius,* indicavit se esse qui creat sensus et format membra fetibus in uteris. 25 — *Pater meus usquemodo operatur et ego operor*[1]. Propter tria distulit Christus sanationem surdi huius; dum ad unam partem abduxit eum, dum immisit digitos suos in aures eius, dum spuit et tetigit linguam eius. Poterat enim in ictu oculi sanationem ei conferre; si enim, resurrectio in ictu oculi fiet, 30 sicut dixit Paulus[2], etiam sanationem unius hominis multo celerius operatus esset. Sed distulit propter tria: primum quidem, ut surdus perciperet sanationem suam non repente, sed gradatim, fieri; secundum, quo magis cresceret miraculum neve reputaretur phantasma; tertium, ut confirmaret inhumanatio- 35 nem suam neve mysterium oeconomiae eius existimaretur esse

[1] Ioh., v, 17. — [2] I *Cor.*, xv, 52.

apparentia sicut dicunt Phantasiastae. Marco hoc maximae curae fuit, ut eradicaret a Romanis doctrinas Simonis; iste enim dixerat oeconomiam in apparentia factam esse. Rursus, tetigit aures et linguam muti ne Iudaei dicerent: Abhorret ab afflictis et aegrotis, et ideo non tangit eos.

v. 34) *Et suspexit in caelum*; in caelum suspexit ut Genitori suo ea quae faciebat offerret, et redargueret illos qui dicunt eum esse adversarium Dei. — *Et ingemuit*; primum quidem, propter duritiem cordis eorum qui videbant signa quae faciebat et non crediderunt; secundum, quia inter eos erant qui non solum non crediderunt, cum vidissent miracula quae faciebat, sed etiam crucifixerunt eum; tertium, ut pastor qui ingemiscit super ovem quae periit, et sicut nauta super navem quae submergitur; * quartum, propter naturam humanam quae ad tantam humiliationem et corruptionem descenderat, h. e. propter captivitatem naturae nostrae a daemoniis. Suspiciens in Patrem, *dicit ei: Adaperire*, h. e. neque per orationem aut petitionem aperuit (aures) eius, sed sicut in initio imperavit luci et facta est. Si quis dixerit: In initio Pater iussit creaturas fieri, dicemus: Una est iussio Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut scriptum est [1]: *Verbo Domini facti sunt caeli.*

* p. 195.

v. 35) *Et ea hora adapertae sunt aures eius;* talis est operatio Dei ut, statim ac iubet aliquid, id perficiatur, secundum ilud [2]: *Ipse dixit et facta sunt; et ipse mandavit, et stabilivit...* Ergo ex eo: *dixit, et factum est*, intellegimus Christum esse Deum inhumanatum.

v. 36) *Et admonuit eos ne id cuiquam dicerent*; recusabat enim vanam gloriam, ut doceret nos etiam ab ea fugere. Et dicendo: *Admonuit eos,* quod posuit de multis, dum unus erat surdus quem sanavit, hoc est: Hunc surdum adiungit aliis quos sanaverat, aut hunc surdum et turbas ibi congregatas admonuit ne cuiquam dicerent.

[CAPUT VIII.]

v. 22) *Et venit Bethsaidam et adduxerunt ei caecum*; h. e. ut sanaret eum, sicut socios eius.

[1] *Ps.* XXXVII, 6. — [2] *Ps.* CXLVIII, 5-6.

v. 23) *Et apprehendit manum eius et eduxit eum extra pagum.* Quare eduxit eum extra (pagum), supra diximus de surdo. — *Et spuit in oculos eius*; similiter exposuimus superius. — *Et interrogavit eum: Quidnam vides?,* ut caecus firmaretur de sanatione sua.

v. 24) *Video homines sicut arbores, ambulantes.* Illud quidem: *ambulantes,* ad homines, * non ad arbores, iungitur; sicut illud [1]: *Cunctus populus videt voces et lampades,* et [2]: *Conspiraverunt sacerdotes in via et occiderunt.* Facile quidem erat ei in ictu oculi sanare illum, sed sanationem eius distulit quo magis sentiret caecus sanationem suam et miraculum confirmaretur, neve inhumanatio Christi existimaretur phantasma. Nonnulli dicunt: Quia hic caecus et ille surdus in fide haesitabant, ideo Christus sanationem eorum distulit eamque gradatim operatus est ut melius perciperent eam. Quod autem statim non viderit, incredulitatem eius innuit.

* p. 196.

v. 26) *Et misit eum domum*; h. e. per hoc recusat vanam gloriam et docet nos fugere ab ea.

v. 32) *Et deduxit eum Cephas et coepit eum obiurgare*; h. e. non dure, sed amanter quidem et valde suppliciter.

v. 33) *Ille vero conversus est et intuitus est*; h. e. Iesus intuitus est discipulos suos, quasi diceret: Videte quid dicat Simon, id quod ne cogitare quidem decet hominem timentem Deum. — *Abi post me, [Satana];* Satanam vocavit illum ut moneret eos; ne rursus quis audeat impedire ea quae Deo placent, quasi voluntati Satanae assentiens.

[CAPUT IX.]

v. 16) *Adduxi filium meum ad te*; h. e. non spiritum dicit esse mutum, sed hunc virum aegrotum esse, scilicet loquelam eius silere tempore quo (spiritus) allidit eum.

v. 18) *Concutit eum, et spumat*; h. e. eiiciebat spumam de ore suo et fiebat velut lignum aridum. — *Et dixi discipulis tuis ut eiicerent illum et non potuerunt*; non enim decebat eos in praesentia Domini facere signa. Ecce vero, cum in Iudaeam

[1] *Ex.*, xx, 18. — [2] Os., vi, 9.

mitterentur, non solum ipsi * faciebant virtutes, immo Domino nostro dixerunt[1]: *Ecce daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo,* sed etiam alii in nomine eius praedicabant sicut et illi dixerunt[2]: *Vidimus quemdam eiicientem daemonia in nomine tuo et prohibuimus eum.* Ceteras rationes apud Matthaeum exposuimus. * p. 197.

v. 20) *Calcitrabat et spumabat*; h. e. percutiebat pedibus suis et eiiciebat spumam.

v. 21) *Et interrogavit Iesus patrem eius*; non quod nesciret interrogavit; ille enim qui Patrem perfecte novit, etiam tempus quo spiritus impurus in eum ingressus erat noscebat. Sed interrogavit propter quattuor: primo quidem, ut ostenderet nequitiam Iudaeorum; secundo, quo magis cognosceretur et manifestaretur potentia Christi; tertio, quo magis cresceret miraculum in oculis videntium; quarto, ut ipsi sanati perciperent sanationem eius. Et haec apud Matthaeum declaravimus.

v. 38) *Dicit ei Iohannes: Rabbi* (magister meus), *vidimus quemdam*; h. e.[3] *eiicientem daemonia in nomine tuo, et prohibuimus eum*; videtur hunc virum ex his fuisse qui interdum veniebant[4] ad Dominum nostrum, etsi non sequebatur eum sicut discipuli eius; et quia dignus erat, hanc potestatem dedit ei Dominus noster; eius autem discipuli cum vidissent, eum ab hoc opere prohibuerunt, h. e. anathematizaverunt eum: scilicet, cum Dominum nostrum non sequaris, non licet tibi eiicere daemonia in nomine eius.

v. 39) Dominus autem dixit eis: *Nolite prohibere eum; nemo enim est qui faciat virtutes in nomine meo et possit cito loqui de me male.*

v. 43) *Si autem scandalizat te manus tua, abscinde eam; bonum est tibi mutilum.* Manu quidem et pede plebem seu pusillos et vulgus significat, oculo autem principes qui sunt in Ecclesia innuit; h. e. quicumque est protervus, et luxuriosus, et amator pecuniae, et adulter, sive dux est, sive e turba, sive e pusilis, et scandalizat Ecclesiam seu * fideles, abscinde et proiice eum ab Ecclesia ne scandalo corrumpat totum corpus, et ita totum in gehennam cadat. * p. 198.

[1] Luc., x, 17. — [2] Infra, v. 38. — [3] Aliquid fortasse excidit, aut voces sequentes e superiore loco irrepserunt. — [4] Ms. « veniebat ».

v. 49) *Omnis enim igne salietur et omnis victima sale salietur*; h. e. quemadmodum qui igne probatur et purificatur, fit aptus ad regnum, et quemadmodum sal corpora humida a putredine servat, sic gratia Spiritus mentes debiles servat a peccato foetido seu humore peccati. Alii: *Omnis igne salietur;* h. e. omnis mens, quae gratia Spiritus sancti salitur, illuminatur scientia et clarescit religione. Rursus, omnis homo quicumque vitare nequit quin transeat per ignem in mundo novo et futuro; igne enim salientur boni et mali, sed ignis iustos illuminabit et non uret, iniquos autem uret et torquebit. Hic sensus congruit etiam verbis quae dixit supra: (v. 48). *Ignis eorum non exstinguitur et vermis eorum non moritur.* — *Omnis victima*; h. e. in utroque exemplo unum est consilium Domini nostri. Victimam quidem vocat cogitationes et opera quae velut victimae Deo offeruntur; salem autem, dilectionem et misericordiam, h. e. oportet opera vestra et cogitationes vestras condiri dilectione et misericordia tanquam sale et igne, ut intretis in regnum caelorum. Victimam vocat opera, salem autem gratiam Spiritus sancti quam accepistis ut sit vobis pignus futurorum [1]. Alii dicunt: Dum hortatur eos ut cum fide etiam de operibus curent, dicit: Quemadmodum ignis omnes sordes, quae sunt in vase, purgat illudque splendere facit, et quemadmodum omnis immolatio, quam victimam vocat, per salem saporem adquirit, et servatur ne putrescat, sic et opera vestra * sint in universo mundo sicut ignis qui corruptionem mundat et sicut sal qui sapidam reddit insipiditatem, dum homines spectaculo operum vestrorum recedunt a veteribus habitibus pravisque operibus et adquirunt saporem suavem, et opera spiritalia. — Alii: Quemadmodum sal est bonus dum in natura sua permanet, sic sacerdotium dum servatur cum puritate et fide orthodoxa. Si autem insipidum factum fuerit fideles in desperatione manent, quia non est qui saliat seu saporem conferat sali, sacerdotio nempe.

v. 50) *Sit in vobis sal*; h. e. manete in suavitate saporis quem accepistis, et non diripiat illum mundus. — *In pace sitis alius cum alio*; pastores et greges, quia sicut contentio greges Christi

* p. 199.

[1] Cf. II *Cor.*, I, 22.

minuit, ita pax servat et crescere facit doctores simul et discipulos.

[CAPUT X.]

v. 8) *Et erunt duo una caro*; h. e. copula coniugali, et per eum qui e duobus procreatur.

v. 21) *Iesus autem intuitus est eum et dilexit eum*; h. e. non propter sententiam eius dilexit eum, sed propter rationem agendi quam ostendit erga Dominum nostrum is intuitus est eum et dilexit eum; et per hoc significat omnem, qui haec (man-
10 data vere) custodit, verum dilectorem ab ipso reputari.

v. 22) [*Ille autem maestus factus est*][1]; hoc simile est illi[2]: *Contristatus est* Herodes propter petitionem puellae, quia externe contristatus est.

Et accipe crucem tuam et veni post me[3]; h. e. crucifige teip-
15 sum mundo eiusque voluptatibus.

v. 30) *Agros, cum persecutionibus*; h. e. non in mundo futuro tantum accipient mercedem laboris praedicationis, sed etiam hic. Quomodo? Homo reliquit unum patrem carnalem et invenit multos patres spiritales; ita et de fratribus. *Agros autem,*
20 *cum persecutionibus*; h. e. monasteria cum xenodochiis seu domibus pereginorum; * rectores, qui eis praesunt et de eis curant, propter ea et propter curam de eis persecutionem ab extraneis patiuntur et necessitatem mundi laboremque. * p. 200.

v. 35) *Et accesserunt ad eum Iacobus et Iohannes, filii Ze-*
25 *bedaei.* Marcus dicit quod ipsi petierunt ut sederent a dextera et sinistra; Matthaeus autem scripsit[4] matrem eorum id rogavisse. Iudaei enim putabant quod, cum Christus veniret, omnes gentes subiicerentur ei et ipsi fierent super eas ducos exercitum et chiliarchi. Hanc autem opinionem tenebat ve-
30 tula simplex et garrula, h. e. inepta, et petiit a Domino nostro ut filii sui fierent principes et sederent prope thronum eius. Petitionem vero eorum non concessit eis quia cum gloriatione petierunt et pro seipsis, non pro omnibus sicut Petrus. Si enim cum humilitate et pro universo populo petivissent sicut Pe-

[1] Omissum in codicibus; locus perturbatus. — [2] Cf. Matth., xiv, 9. — [3] Haec ad v. 21 pertinent, in versione Simplici et nonnullis codd. graecis. — [4] Matth., xx, 20.

trus[1]: *Ecce reliquimus omnia et secuti sumus te,* idem ac Petrus audivissent, h. e. thronos et coronas. Rursus, non concessit eis, ne reliqui discipuli adversus eos murmurarent et invidi fierent, quod etiam accidit.

v. 46) *Timai, filius Timai, caecus;* existimatur par fuisse patri suo nomine et caecitate; *Timai* enim innuit opacitatem oculorum, quia non erat in eis locus pupillis. 5

[CAPUT XI.]

v. 8) *Multi sternebant vestimenta sua in via*; h. e. tanquam in honorem Messiae; et ut consequerentur benedictionem et sanationem etiam per incessum pulli cui insidebat. 10

[CAPUT XII.]

* p. 201. v. 34) *Non es procul a regno Dei*; h. e. si vis et credis praedicationi meae, addendo completionem legi quam tenes; sin minus, procul es ab eo. 15

v. 38) *Cavete a Scribis qui volunt in stolis ambulare*; h. e. in vestimentis splendidis et ornatis.

v. 41) *Et cum sederet Iesus contra gazophylacium,* templi nempe, *adspiciebat quomodo turbae iniicerent monetam.* Gazophylacium quidem vocat arcam a sacerdotibus constitutam ut omnis, qui volebat proferre munus Domino, iniiceret in eam. Monetam (ʿu r p ā n ā) autem vocat aurum et argentum, nam vox (ʿu r p ā n ā) sumitur ex eo quod commutant (m e ʿa r - p ī n) et probant ea. Multi ibi erant qui mutabant et vendebant drachmas pro denariis, et denarios pro drachmis, et nummos rotundos pro minutis. Syri illos vocant m e ʿa r p ā n ē (nummularios), Arabes ṣ a r a f ī[2], Graeci SKŌSTRA[3]. Ergo nummos vocat pecuniam quam emebant et vendebant nummularii. *Et multi divites iaciebant*; divites iniiciebant multam pecuniam. — *Duo oboli,* h. e. duo denarii. 20 25 30

v. 42) *Et venit vidua quaedam pauper et iecit duo minuta, quae sunt oboli*; h. e. duo denarii. Alii : Duo oboli, duo

[1] MATTH., XIX, 27. — [2] Pro « ṣairafīyun ». — [3] Nomen graecum deformatum. Cf. supra, p. 7.

d a n q ē[1]. Alii: Duo folles; iniecit scilicet fragmentum argenti in quo erant circiter duo folles. Alii: unum minutum seu obolus, est triginta sex t i s ū g ē; sume igitur triginta sex tisūgē et tringinta sex (tisūgē) quae faciunt septuaginta duo tisūgē, et ex septuaginta duobus sunt tres drachmae.

v. 43) *Plus quam omnes qui iniiciunt.* Et quomodo plus quam * omnes iniecit cum illi pluries tantumdem iniecerint? Continuo exponit, dicens: * p. 202.

v. 44) *Omnes enim ex eo quod eis superest iniecerunt.* Hoc loco Christus duo nos docuit: unum quidem, donum quod ex penuria fit maius et praestantius esse apud Deum quam illud quod ex superfluo est; alterum, Deum nec magnitudinem nec parvitatem doni respicere, sed voluntatem et intentionem qua datur. Itaque si cum alacri voluntate datur, multum et praestans est apud Deum, etsi parvum est; sin autem aliter, parvi aestimatur apud Deum etsi multum est quantitate.

[CAPUT XIII.]

v. 32) *De die autem illo et de hora illa nemo scit, neque angeli, neque Filius, nisi Pater.* Heretici seu Ariani, cum volunt minuere Filium, hoc argumentum adducunt. Adversus eos dicimus: Quatenus est Deus, omnia, quae sunt, ante existentiam eorum noscit; quatenus autem factus est homo, dixit se nescire; et idem est, Deus et homo, non alius et alius. Quemadmodum, cum esset vivens natura sua, factus est mortalis propter nos inhumanando se, ita et cum omnia noscebat quatenus Deus est, dixit se nescire quatenus factus est homo. Et quemadmodum prior est Abrahamo divinitate sua sicut dixit[2]: *Antequam Abraham fieret, ego sum,* eo posterior est quatenus factus est homo. Si enim dixisset: Scio, Patri suo tantum similis esset, nobis autem nullo modo similis esset. Sed dixit: Nescio, ut assimilaretur nobis, et non esset hereticis locus dicendi eum minime inhumanatum fuisse. Proprium enim est hominum * nescire futura; suam autem fecit ignorantiam nostram, sicut sua fecit alia humana. Et hoc patet ex eo quod non dixit: Neque * p. 203.

[1] d ā n q ā est sexta pars dirhemi. — [2] Ioh., viii, 58.

Filius Dei novit, sed: Filius, simpliciter, quia, cum esset Filius Dei, factus est homo et factus est nesciens dum omnia scit. Rursus, notum est eum quatenus hominem factum dixisse: Nescio, ex eo quod de Spiritu sancto non dixit: Nescit. Rursus, dicimus: Deus Pater maior est quam dies adventus Filii, 5 et etiam magis absconsus et secretus quam ille dies, et ipse Filius dixit: Sicut Pater novit Filium ita ego novi Patrem[1], Quod si novit Patrem, qui altior et sublimior est omnibus et magis secretus et absconsus quam ille dies, multo magis illum diem (novit). Si quis dicat: Pater Filium perfecte novit, Fi- 10 lius autem Patrem imperfecte novit, sciat quod tunc et Pater Filium imperfecte nosceret, quia hoc loco una scientia praedicata est de Genitore et de genito eius: *Sicut Pater novit Filium,* etc. — Rursus, dicimus: Si Pater novit diem et horam illam, etiam Filius necessario novit, quia una est scientia Pa- 15 tris et Filii et Spiritus. Qui enim unam naturam habent, necessario habent unam voluntatem et virtutem et operationem et etiam scientiam. Rursus, Filius quidem ipse creavit saecula et tempora, annos et menses, horas et dies: evidens est (igitur) eum etiam diem et horam revelationis suae novisse. Si quis au- 20 tem obiecerit: Diem adventus sui nondum creavit; e duobus redarguetur: primum quidem, ex eo quod scriptum est: « Perfecti sunt caeli et terra et omnia quae sunt in eis », et « absolvit Deus in die septimo[2] opera sua »; secundum, etiam si ita sit, non est firmum (argumentum); quia praecognoscit ea 25 quae non sunt ut Deus, et omnia ante eorum existentiam cognos-
* p. 204. cit. Iterum, quomodo novit indicia et signa, * quae fient in die adventus sui, et diem ipsum non novit? Dixit enim[3]: *Sicut fulgur fulget*, et[4]: *Sol obscurabitur,* et cetera huiusmodi, et *stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur, et* 30 *apparebit signum Filii hominis,* et alia eiusmodi quae in illo die et in illa hora fient. Quomodo potest quis cognoscere ea quae domi sunt dum ipsam domum non novit? Aut quomodo quis cognoscit rem quae est in media civitate aut in navi, dum civitatem et navem non cognoscit? quasi quis cognoscens quae 35

[1] Cf. Ioh., .., 15. — [2] Sic. Cf. *Gen.*, II, 1, 2. Testimonium non ad litteram recitatur. — [3] Matth., XXIV, 27. — [4] *Ibid.*, 29-30.

sunt ultra et citra murum, murum autem qui in medio est diceret se non cognoscere. Rursus, quemadmodum horam nativitatis suae et diem primi sui adventus in Bethlehem cognovit, sic cognoscit adventum suum novissimum. Rursus, Paulus dixit[1]: *Christus virtus et sapientia Patris est.* Quia autem dixit: Virtus eius, ostendit nihil esse extra scientiam eius; sed omnia quae sunt et futura sunt in scientia eius includi. Si enim aliquid eum fugit, non est sapientia perfecta, sed potius est sapientia Patris et Dei et omnes sapientiae in eo absconditae sunt, et ipse dat sapientibus sapere. Sicut dixit filius Sirach[2]: *Omnis sapientia a Domino est,* et Christus Dominus est, prout angelus pastoribus dixit[3]: *Natus est vobis Salvator qui est Dominus, Christus.* — *Neque angeli;* dicendo: *Neque angeli* sciunt, prohibet discipulos quominus illum diem cognoscerent; et illo: *Neque Filius,* h. e. ego, repressit eos ne interrogarent eum. Similiter enim interrogaverunt eum post resurrectionem: *Si in hoc tempore restitues regnum?* et repressit eos dicendo[4]: *Non est vestrum nosse tempora et momenta quae Pater posuit,* etc. — *Nisi* * *Pater*; tribuendo scientiam Patri, cohibuit eos ne interrogarent eum. Et hoc simile est negotio matris filiorum Zebedaei: ipse, quia noluit dicere: Dabo aut non (dabo), respondit: *Meum non est dare,* quanquam ipse est qui statuet oves a dextera sua et haedos a sinistra sua, et clamabit: *Venite, benedicti Patris mei.* Non autem respondit ei: Non faciam; ne illa scandalizaretur, neque: Faciam; ne scandalizarentur ceteri discipuli, qui tamen valde scandalizati fuerunt, donec loquutus eis placavit eos. Rursus, (fecit) sicut homo qui habeat filios interrogantes ipsum de re quam abscondit: Ubi posuisti?; cum non vult eis revelare, dicit: Nescio. Sed quare non revelavit? Quia non proderat eis neque aliis post eos. Si enim revelasset eis facti fuissent remissi et neglegentes nec perseverassent in oratione, et patet rem ita se habere eo quod dixit: *Vigilate et orate.* — *De die autem et hora.* Primum oportet sciamus sensum Scripturarum non esse sicut externe sonant. Cum dicunt[5]: *Deus noster ignis consumens est,*

* p. 205.

[1] I *Cor.*, I, 24. — [2] *Eccl.*, I, 1. — [3] Luc., II, 11. — [4] *Act.*, I, 6-7. — [5] *Hebr.*, XII, 29.

putabimus idcirco eum esse consumptorem et destructorem, non autem vivificatorem nec conservatorem? aut eum esse corporeum, et compositum ex diversis naturis, et subiici passionibus, et irasci, et dormire, et vigilare, et contristari, et oblivisci, et nescire? Et sicut illud [1]: *Qui non natus fuerit ex aqua et Spiritu non intrabit in regnum*; et ecce multi inclaruerunt martyrio qui non baptizati fuerunt, et similiter etiam latro, et in paradisum intravit; et (sicut illud) [2]: *Nemo potest dicere: Dominus est Iesus nisi in Spiritu*, et ecce Manichaei et Marcionistae et Gentiles et Iudaei, si volunt, hoc verbo utuntur absque gratia Spiritus; et sicut illud [3]: *Omnes declinaverunt, simul et reprobati sunt*, et [4]: *Omnes qui venerunt sunt latrones* * p. 206. * *et fures;* ita se habet etiam illud verbum (*de die et hora*). Etenim si diem illum et horam illam non noverat, quomodo dicitur [5]: *Ego et Pater meus unum sumus?* Si secundum scientiam non est unum in quo est unum? Si diem non novit sicut Pater quomodo dixit [6]: *Omnia quae habet Pater mea sunt?* Si Pater habet aliquid quod non novit Filius, quomodo dictum sit [7]: *Nemo novit Patrem nisi Filius?* Et e converso: Quomodo est unum si Pater noverit aliquid quod Filius non novit, et non aliquid altum aut sublime, sed aliquid minimum in comparatione ceterorum? et quomodo Apostolus dixit [8]: *In quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae?* Et quomodo dixit: *Nemo novit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater?* Si novit Patrem patet quod cum tota scientia eius novit eum. Rursus, si novit Patrem sicut et Pater novit eum, et diem illum non novit, ergo dies ille sublimior est Patre. Si Pater novit diem illum, necessario etiam Filius novit. Si non ita sit, etiam Pater videtur nescire. Aut forsan scientia diei illius maior est quam scientia de Patre? Si creator est omnium, quomodo opera sua non novit? An forsan dies ille non computatur inter opera eius nec in numero dierum anni? Si ita sit, ostendant quid sit aut locum eius. Omnis enim dies nocte ac die constat et horae fluxus sunt mutationum eius. Hora autem, secundum sapientes, non omnino existit, quia illa, quae transiit, non amplius

[1] Ioh., iii, 5. — [2] I *Cor.*, xii, 3. — [3] *Rom.*, iii, 12. — [4] Ioh., x, 8. — [5] Ioh., x, 30. — [6] Ioh., xvi, 15. — [7] Matth., xi, 27. — [8] *Col.*, ii, 3.

est, et illa, quae futura est, nondum existit. Si ille, pei quem omnia facta sunt, diem illum non novit, quomodo creavit, quandonam perfecit id quod non cognovit? Si *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*[1], et Spiritus est Christi, quomodo
5 ea, quae per ipsum facta sunt, non novit? Et quomodo novit * consummationem in nocte futuram esse: *Duo erunt in lecto, unus assumetur*[2], et diem non novit? Quia autem spatium temporis in medio est, illi vero putabant tempus consummationis mundi imminere et revelationem eius diebus eorum futuram
10 esse, sicut dixit Paulus quibusdam[3]: *Ne conturbemini, neque per sermonem,* etc., *ecce advenit dies Domini nostri,* allicit eos sicut filios, quia nullum commodum collecturi erant e cognitione illius diei, neque generationes subsequentes. Neque horam mortis nostrae revelavit, et in hoc dat nobis exemplum ut,
15 si quis quaesierit a nobis aliquid inutile, ad ignorantiam dispensative confugiamus ne pro pisce serpentem propinquis porrigamus. — Rursus, si illud: *Non novit diem illum,* et illud: *Non novi vos,* quod dixit (virginibus) fatuis, et illud[4]: *Numquam novi vos* quod dixit, intellegeremus sicut externe oc-
20 currunt, tunc etiam multa de Patre dicta (ita intellegenda essent), sicut illud[5]: *Recordatus est Deus Noe,* quasi oblitus esset eius; et sicut illud[6]: *Descendam, videbo utrum iuxta clamorem qui venit ad me fecerint et compleverint*; et sicut illud[7]: *Fecerunt id quod non praecepi eis, et non adscendit in cor meum;*
25 et sicut illud[8]: *Ubi es, Adam?* et[9]: *Ubi est Abel, frater tuus?* Si Patri, qui corpus non induit, verba infirma tribuuntur, quanto magis ille, qui corpus propter nos induit, modo humano loquetur! Et quemadmodum arbor, quae remota est et distans et abscondita, per fructus, qui manifesti sunt et praesentes,
30 cognoscitur, ita Dominus noster ex signis et operibus suis et prophetiis de eo agnoscitur, non ex verbis infirmis. Si, cum corpus induit, sunt qui negent nativitatem eius ex Virgine et (dicant) eum non esse filium creatoris sed alienum, et in phantasia apparuisse, quanto magis si verba humilia de eo non dic-
35 ta essent![10] Rursus, non revelavit diem illum quia non pro-

* p. 207.

[1] I *Cor.*, II, 10. — [2] Luc., XVII, 34. — [3] II *Thess.*, II, 2. — [4] Matth., VII, 23. — [5] *Gen.*, VIII, 1. — [6] *Gen.*, XVIII, 21. — [7] Ier., XIX, 5. — [8] *Gen.*, III, 9. — [9] *Gen.*, IV, 9. — [10] Locus corruptus; vide Correctiones ad calcem vol.

*p. 208 derat illum revelari, et multi * defecissent ab operando virtutem usque ad horam novissimam. Nunc autem, quia adventus iudicis absconditus est nobis, omni hora in periculo et timore stamus. Rursus, convenit Deum, dum novit, tacere et non revelare; homini autem id facere probro habetur. Ergo quia adhuc reputabatur homo tantum, non odiosum erat celare eos diem. Si enim confessus esset eis se scire et non revelasset, malus et invidus habitus esset, et si revelasset, neglegentia ingressa esset. Oportet etiam sciamus unum Marcum dicere: *Neque Filius novit.* Matthaeus quidem id non dixit et Matthaeus Hebraeis scripsit, Marcus vero Romanis. Hebraei autem de divinitate eius dubitabant, et Romani de humanitate eius propter semen hereseos Phantasiastarum quod Simon in eis seminaverat: Dominum nostrum non sumpsisse corpus. Ideo Marcus subiunxit: *Neque Filius,* per hoc docens eum non solum esse Deum sed etiam hominem nobis assimilatum in omnibus praeter peccatum. Alio modo: Marcus eo loco filium vocat non Dominum nostrum, sed fideles qui vocati sunt filii per baptismum; patrem autem vocat Christum[1]: *Pater est futuri saeculi,* et[2]: *Filii mei, modicum tempus vobiscum sum,* et[3]: *Ecce ego et filii quos dedit mihi Dominus,* quia nomen patris cadit in Patrem et in Filium: in Patrem quidem secundum naturam, in Filium autem secundum oeconomiam; et eo loco ambiguo nomine usus est erga discipulos; sicut illud: *Solvite templum hoc, et ego suscitabo illud,* quod cum ipse de corpore suo diceret, Iudaei de templo lapideo intellexerunt, similiter hic discipuli, cum audivissent: *Neque angeli, neque Filius, nisi Pater,* putaverunt eum appellare Patrem Patrem suum et seipsum Filium, et abstinuerunt ab interrogando quia nihil pro-
*p. 209. derat eos * scire. Si enim dixit de Patre quod novit diem, id non est dignum admiratione, quia hanc scientiam naturaliter habet; id est admiratione dignum quod fideles praescientiam alicuius rei habeant. Rursus, quemadmodum, cum esset virtus et vita omnium, usus est humilibus, et dormivit et fatigatus est et esurivit, ita et hic praetexuit se nescire diem, quia discipuli voluerunt discere rem ip[illegible] rem; et, ne affligeren-

[1] Is., IX, 6. — [2] Ioh., VII, 33. — [3] *Hebr.*, II, 13.

tur eo quod mysterium non revelatum fuerit eis, dixit: *Neque angeli.*

v. 33) *Videte, vigilate et orate.* Quia nesciebant diem illum, praecepit eis ut intenti essent et vigilarent, quoniam evidens est quod, si illum scirent, dormirent nec vigilarent. Ergo ut abigeret ab eis pigritiam illum diem non revelavit, et quia dixit: *Orate,* ostendit orationem posse servare a timore illius diei.

v. 34) *Sicut enim vir qui peregre profectus est.* Sicut enim vir qui profecturus est in regionem longinquam et vocat servos suos et praeficit eos possessionibus suis, promittens se remuneraturum esse bona custodientibus mandata sua et poenas despicientibus verbum suum: si revelaverit eis diem adventus sui, unum ex duobus eveniet: si dies adventus eius prope est et instat, diligentes relaxabuntur et quiescent quia dicent: Parvum est tempus et non satis est adimplendae voluntati eius, remissi autem omnino infirmabuntur et desperabunt; si autem longum est tempus adventus eius, diligentes etiam neglegentes fient, remissi autem non solum neglegentes erunt sed peccabunt et delinquent donec dies ille appropinquaverit. Quia autem monuit eos ut stent operi suo, celans eos diem, ambae partes incitantur ad explendam voluntatem eius. Alio modo: Sicut enim vir, paterfamilias, qui peregere profecturus est: si * revelaverit servis suis diem adventus sui, a tempore quo abierit, auferetur ab eis timor eius, et comedent et bibent, quia dicent: Dominus noster tardabit; dixit se tali die venturum esse; si autem non revelaverit eis, in tremore et timore manebunt, cogitantes eum fortasse hora quam nesciunt venturum esse et apprehensurum esse ipsos dum pleni sunt delictis. Ita et Christus non revelavit nobis diem illum neque mortem nostram, ut in timore simus, et studiosi et vigiles. Rursus, dominus, qui peregre profectus est et revelavit servis suis diem adventus sui, sub necessitate et termino includitur, nec potest praevenire nec tardare iuxta congruentem rationem. Si venerit ante diem constitutum et nemo exierit obviam ei, non aequum est ut inculpet illos, quia dies constitutus non advenerat; si autem tardat venire, idem eveniet. Ita et Dominus noster: si revelasset diem illum, illi facti esent quasi domini, ipse autem quasi servus, quia non praevenire potuisset nec tardare. Etenim si praevenisset

* p. 210.

aut tardasset, unum e duobus evenisset: aut dixissent: quia non praescivit diem adventus sui, ita factum est, vel quod sit supra illum dominus praevalens qui coegit eum praevenire aut differre diem ab eo constitutum. Quia autem non revelavit, mansit in potestate sua propria; et quia hortatus est eos ut vigilarent et orarent, iniecit eis timorem neglegentiamque ab eis expulit. Rursus, quemadmodum indicavit hominibus quod mortales sint, ut inde in timore sint et operentur bona, sed non indicavit eis quo die morituri sint, ne peccent, sperantes spatium adhuc esse vitae suae, ita et hic non revelavit apostolis diem adventus sui ut essent vigilantes et orationi intenti.

[CAPUT XIV.]

* p. 211. v. 20) *Unus e duodecim*; h. e. patet Iudam non e minimis fuisse sed e notis inter duodecim. Quidam dicunt: Tertius erat, nam post Simonem et Iacobum ordine stabat; Evangelistae autem, quia post proditionem evangelia scripserunt, eum ultimum discipulorum posuerunt. — *Qui intingit mecum in catino*; h. e. duo accubitus seu mensae rotundae erant coram eis; Iudas mensae Domini nostri accumbebat. Alii: Una mensa rotunda erat, et omnes ei discumbebant; verumtamen duo catina erant super mensam et Iudas in catino Domini nostri intingebat.

v. 33) *Et assumpsit secum Cepham et Iacobum et Iohannem.* Hos tres assumpsit secum cum illic oravit, sicut etiam assumpserat eos secum cum puellam suscitavit[1] et cum in monte transfiguratus est[2]; non quod ceteros despiceret, sed primo, propter magnum eorum amorem erga ipsum; secundo, propter Iudam qui indignus erat hac visione; tertio, in testimonium eorum quae faciebat; testimonium enim trium virorum verum est.

v. 35) *Et processit paululum et procidit in terram.* Iohannes[3] rem accurate dicit: *Quantum est iactus lapidis secessit ab eis.* Non autem coram eis oravit, ne putaretur gloriosus et amator laudis, ut etiam eos doceret hoc modo orare. Multum vero non discessit, ut audirent quae essent verba orationis eius et docerent postea venturos.

[1] Marc., v, 37. — [2] Matth., xvii, 1. — [3] Sic; lege Lucas (xxii, 41).

v. 36) *Verumtamen non mea voluntas*; non quod contraria sit voluntas eius voluntati Patris haec dixit, sed propter oeconomiam hoc verbo usus est. * Rursus, propter disciplinam alio- * p. 212.
rum id fecit, ne contristemur ob ea quae ex inimicis eveniunt,
5 quod saepius non ex voluntate nostra fit, sed ex infirmitate naturae. Itaque voluit in seipso omnes homines id docere: quod patiamur ex iis quae nobis occurrunt non esse culpabile, quia infirmitas est naturae. Oportet autem curae nobis esse ut, ab eis non devicti, propter amorem Dei, possimus a motibus
10 naturae recedere.

v. 44) *Ille quem osculatus fuero ipse est.* Iudas autem, quia tempus noctis erat, ne, cum irent, alium apprehenderent et Dominum nostrum relinquerent, dedit eis signum, ut quem osculatus fuerit tenerent. Et videtur morem Domino nostro fuisse
15 ut cum unus e discipulis e longinquo venisset oscularetur illum.

v. 51) *Adulescens quidam veniebat post eum.* Nonnulli dicunt: Iohannes evangelista est. Alii autem: Minime; et patet ex quod Iohannes haud nudus cum Domino ambulabat, nec est ullus ex discipulis praeter Iohannem. Alii: Non erat e duodecim, sed
20 quidam alius. Et Iudaei, propter malitiam suam, etiam istum apprehenderunt, et cum apprehendissent eum sindone qua amictus erat, reliquit sindonem et fugit. Alii: Marcus evangelista est; et ideo non memoravit nomen suum explicite.

v. 55) *Quaerebant adversus Iesum testimonium;* h. e. Cuius
25 rei quaerebant testes? h. e. quod dixerit[1]: *Destruite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud*; quod si non aedificat illud, mentitus est; sed id non maius est quam suscitare mortuum quatriduanum.

v. 65) *Ministri,* h. e. cursores aut lictores.

30 [CAPUT XV.]

v. 8) *Seditio,* h. e. bella et divisiones. * p. 213.

v. 16) *Stratiotae,* h. e. emittendi. Via graece vocatur strate. *Praetorium,* h. e. domus iudicii.

v. 21) *Simonem Cyrenaeum*; hic ex gentibus erat; *patrem*

[1] Ioh., ii, 19.

Alexandri, et Rufi illius quem *electum in Domino nostro* vocat Apostolus, et propter amorem erga eum matrem eius reputat ut matrem suam[1]. Dominus noster autem, cum egrediebatur loco iudicii, crucem suam portabat; et cum vidissent Simonem venientem de agro suo, angariaverunt eum et imposuerunt ei crucem.

v. 22) *Et adduxerunt eum in Golgotha.* (Locus) Golgotha vocatus est propter rotunditatem suam. *Quod interpretatur Calvarium*; h. e. propter formam suam altam et elevatam paululum a terra.

v. 23) *Et dederunt ei bibere vinum in quo mixta erat myrrha;* h. e. ut turbetur et inebrietur, et nesciat quid faciant ei. Non autem bibit, propter duo: primum, quia nullus ex prophetis vaticinatus erat eum bibiturum esse vinum; alterum, ne declinaret a via quam prophetae ei calcaverant, quanquam, non quia prophetae praedixerant ita egit, sed quia adimpleturus erat oeconomiam. Myrrha autem est illa quam miscent cum aloe, h. e. cum ṣ a b r a, et est alia species, et non amara est sicut ṣ a b́ r a. — *Ipse vero non accepit*, h. e. non bibit. Semel dederunt ei vinum acidum, altera vice vinum in quo mixta erat myrrha, sane ut adderent amaritudines passioni; et id in signum magni eorum odii erga eum.

v. 24) *Et cum crucifixissent eum, diviserunt vestimenta eius.* Apud Matthaeum haec exposuimus. — *Quis quid sumeret*, h. e. cuinam ex eis talis pars * obveniret, et quisnam ex militibus tale ex vestimentis sumeret; nam in quattuor partes ea diviserunt, et miserunt sortes: quis ex militibus talem partem sumeret. Tunica autem eius erat contexta, in qua non erat sutura a parte superiore[2]. Eam vero non sciderunt sed aestimaverunt pretio, et pretium eius in quattuor partes diviserunt; deinde sortes invicem miserunt ut ille, cui sors obtingeret, acciperet tunicam et daret sociis suis tres partes pretii. Et hoc est quod dixit Marcus: *Quis quid sumeret*, h. e. quisnam ex militibus quid acciperet, tunicam an partem pretii.

v. 26) *Et scripta erat causa mortis eius*; h. e. crucifixus est quia voluit arripere sibi regnum.

* p. 214.

[1] *Rom.*, XVI, 13. — [2] Cf. IOH., XIX, 23.

v. 27) *Et crucifixerunt cum eo duos latrones;* h. e. primo quidem, quia sicut illi inventus est rebellis contra Deum et contra regem; secundo, ut obscurarent (eius) gloriam in computatione cum reis; simul autem, ut tegerent invidiam et nequitiam suam.
5 v. 36) *Cucurrit unus et implevit spongiam aceto;* h. e. pro vino porrexit ei acetum, ut siccarent linguam eius, ne amplius clamaret.

v. 42) *Et cum esset vespera parasceves*; h. e. occasum et exitum parasceves vocat vesperam; et quasi dies ille clamet ei:
10 Veni, sponde[1] tu, Christe, bona aeterna et futura.

v. 43) *Venit Ioseph qui erat a Ramatha*; h. e. nobilem vocat eum, quia non erat gentis senatoriae, sed munere et auro senatoriam dignitatem adeptus erat. Itaque familia quaedam erat in terra Romanorum et valde honorata erat; et si nemo inveni-
15 retur ex successione regum, ex ea constituebant regem; et cum unus ex eis deliquisset, equum eius manicis laneis albis pro eo flagellabant. Et etiam inter Persas erat agmen quod appellabatur g o n d ī n ā m ī r ā n, h. e. « agmen Immortalium », et nemini * licebat eos castigare cum deliquissent. — *Ausus est* * p. 215.
20 *et introivit ad Pilatum,* h. e. ausus est petere eum qui ut rebellis contra regnum crucifixus est et adversarius Dei reputatus est. Rursus, *ausus est,* quia noverat se habiturum iri ut inimicum Iudaeorum honorando corpus Domini nostri. *Ausus est,* h. e. quia festum erat et lex non permittebat ei.
25 v. 44) *Pilatus miratus est si iam mortuus esset;* miratus est enim quia putabat tempus mortis eius nondum venisse. Hora tertia crucifixus est et hora nona mortuus est, et a tertia ad nonam sex horae inveniuntur; putabat enim hominem crucifixum intra sex horas tantum non mori; et cum audisset cum
30 mortuum esse miratus est. Et id etiam testatur Christum voluntate sua, non necessitate, mortuum esse. Eum enim vere mortuum esse secundum corpus dicimus; verumtamen voluntate sua, non necessitate sicut nos, mortem tulit. Latrones autem non mortui erant; ipse vero, quia voluntate sua permisit morti
35 accedere ad se, ideo hora nona mortuus est. Rursus, miratus est tanquam de re insolita; quia quicumque crucifigitur, uno

[1] Cf. supra, p. 102, n. 2.

aut duobus diebus manet; ille autem intra tres horas diei defunctus est; et miraculum est quidquid hic factum est.

[CAPUT XVI.]

v. 1) *Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalena et Maria altera emerunt aromata ut ungerent eum;* h. e. sicut mos est mulieribus ut die sabbati, aut die tertio, aut parasceve, et in festis veniant ad sepulcrum in honorem defuncti cum unguentis et aromatibus.

v. 5) *Et viderunt adulescentem sedentem a dextera*; adulescentem vocat Gabrielem angelum qui apparuit ut adulescens, quia annuntiaturus est eum, * qui surrexit, iuventutem naturae nostrae renovasse. Et a dextera apparuit ut ostenderet se pulcra et secunda nuntiaturum mulieribus.

* p. 216.

v. 7) *Sed ite, dicite discipulis eius et Cephae.* Cepham seorsum notavit sicut eum qui minor esset quoad fidem, quippe qui bis ad sepulcrum venerat; et ut impleret eum consolatione, quia timebat eumque pudebat suae negationis; et ut sciret paenitentiam suam acceptam fuisse. Cepham autem eum vocavit, ut ostenderet sinceritatem amoris eius, quamvis passus est aliquid humanum, et eum reversum esse ad pristinum honorem per paenitentiam, ut esset fundamentum Ecclesiae.

v. 9) *Aurora autem, in primo die hebdomadis, surrexit et apparuit.* In codice graeco et in Harclensi sic scriptum est: *Cum autem surrexisset, in diliculo primi diei hebdomadis apparuit primum Mariae Magdalenae*; haec sententia vera est. Animadverte quod primum dixit: *Cum autem surrexisset,* et, interposito puncto inferiore, deinde subiunxit: *in diliculo primi diei hebdomadis,* seu dominicae, *apparuit Mariae Magdalenae.* Ex istis intellegimus Christum iam antea surrexisse, tempore quod nemo novit nisi ipse et Pater eius et Spiritus eius sanctus, et nulla creatura omnino novit. Etenim si nescimus qua hora aut quo temporis momento resurrectio nostra fiet, nemo est qui sciat quo tempore Christus surrexit. Eum vere surrexisse novismus, quo tempore autem aut qua hora noctis nescimus. Et cum esset tempus diliculi primi diei hebdomadis apparuit Mariae Magda-

lenae sicut dixit et scripsit Iohannes [1]. — Rursus, vox: *Aurora* coniungitur vocibus *apparuit Mariae,* non autem voci *surrexit;* vox autem: *surrexit,* in medio posita est dum prior est voce: *Aurora.* Quia breviter narrat resurrectionem et modum quo ap- * p. 217. paruit Mariae, haec in sententia miscuit. Sanctus * Severus dicit: Sunt multi codices evangelii Marci qui ab: *Aurora diei primi hebdomadis surrexit,* usque ad finem libri, nihil habent, sed finis evangelii est: *et nemini quidquam dixerunt; timebant enim.* (v. 8)

v. 14) *Postremo autem apparuit undecim;* h. e. exponens quae esset *incredulitas et durities cordis eorum,* dicit: *quia illis, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.*

v. 16) *Qui crediderit et baptizatus fuerit, vivet;* h. e. qui crediderit in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum, tres hypostases, unum Deum, et baptizatus fuerit in nomine trium harum hypostasium, vivet a peccato quod est mors animae. Rursus, illic vivet vita immortali cui coniunguntur deliciae indeficientes. — *Qui crediderit*: ostendit hominem quaerere fidem et deinde facere miracula, secundum illud [2]: « Si fuerit in vobis fides transferetis montem. » Similiter etiam ii, apud quos signa efficiuntur, si fides in eis inventa fuerit, facient miracula, sicut dictum est [3]: *Omnia possibilia sunt credenti.* — *Et is qui non crediderit,* h. e. ii qui non crediderint vivent vitam cui coniunguntur tormenta sempiterna.

v. 17) *In nomine meo daemonia eiicient*; h. e. apostoli et praecones multa daemonia eiecerunt et linguis gentium loquuti sunt.

v. 18) *Et serpentes tollent*; duae species serpentium sunt: una quae effundit venenum; altera autem, species daemoniorum. Et dixit has duas species non posse nocere fidelibus mandata sua custodientibus. — *Et si venemum lethale biberint;* dicunt: Gentiles uni e septuaginta duobus praeconibus dederunt bibere venenum lethale, et non mortuus est; et miserunt venenum in calicem mysteriorum, in quo est sanguis salvificus, * et * p. 218. dederunt bibere cuidam ex sanctis, et non mortuus est; et alii

[1] Cf. Ioh., xx, 1. — [2] Cf. Matth., xvii, 19; Marc., xi, 23; Luc., xvii, 6. — [3] Marc., ix, 22.

multi biberunt venenum, nec nocuit eis. — *Et manus imponent aegrotis*; id quidem usque hodie videmus effici a multis sacerdotibus. Sed gentiles obiiciunt: Si verba Christi vera sunt, quare non eiiciunt daemonia nec apprehendunt serpentes, etc.? Et dicimus, secundum opinionem Philoxeni, Christus non posuit prosdiorismon seu verbum definitum et universale, sed indefinitum. Non enim dicit omnem in eum credentem haec sequi, sed quosdam qui crediderunt in eum; vocem enim « omnis » et « omnes » non posuit in sermone suo. Ergo quamvis non de omnibus dictum sit, tamen multi sunt quos signa secuta sunt, sicut apostolos et sanctos.

v. 19) *In caelum adscendit, et sedet a dextera*; dextera enim honorem denotat secundum illud: *Statuet oves a dextera sua*, h. e. consociabit secum eas in honore. Deus Pater autem non est corporeus ut sit ei dextera et sinistra; neque angelis est dextera et sinistra; hoc enim ad corporales pertinet. Sed dexteram Dei Patris vocat aequalitatem sedis et aequalitatem regni cum eo. Etenim unum est regnum et gloria et honor Patris, et Filii et Spiritus sancti.

v. 20) *Et Dominus noster adiuvabat eos et confirmabat verba eorum per signa quae faciebant*; h. e. ostendebat verba eorum vera esse ex miraculis et curationibus et signis quae per eos faciebat. Illi enim qui videbant apostolos et praecones mundare leprosos et suscitare mortuos, et cetera miracula, verba eorum pro veris habebant et accipiebant praedicationem eorum, et credebant quod * praedicabant.

* p. 219.

Per orationes apostolorum sanctorum dimitte mihi, Deus, propter philanthropiam tuam, transgressiones quas commisi.

Explicit explicatio Evangelii Marci.

RURSUS: PER VIRTUTEM SPIRITUS SANCTI ACCEDIMUS AD EXPLICANDUM EVANGELIUM SANCTI LUCAE.

Primum, praelectio prima: de Luca. Beatus Lucas, ait Moyses Barcepha, erat genere suo Israelita, et arte sua olim 5 fuit medicus corporum, sicut dixit Paulus[1]: *Salutat vos Lucas medicus qui est nobiscum;* postea factus est medicus animarum; e septuaginta duobus erat, et Pauli fuit discipulus; evangelium eius a Paulo dictatum fuit, sicut evangelium Marci a Petro; sed permiserunt libros nomine discipulorum suorum vocari. 10 Alexandriae scripsit evangelium lingua graeca; et, imitatus Paulum magistrum suum cuius doctrina sicut Gihon erupit, similiter prolixe scripsit suum evangelium seu bonum nuntium. Differt autem bonus nuntius seu spes ab exspectatione, quia exspectatio bona et mala denotat, spes vero bona tantum, et 15 ideo vocata est evangelium seu bonus nuntius. Iacob edessenus dicit: Lucas alexandrinus erat et scripsit libros suos lingua graeca. Eusebius caesariensis ait[2]: Lucas antiochenus erat. Alii: Discipulus Galeni erat; alii: Filius sororis eius erat, et cum audivisset de Domino nostro * apparuisse in Iudaea virum 20 qui absque radicibus et pharmacis sanationes operabatur, ipse et Galenus, magister eius, dubitaverunt num id verum esset an res esset phantasma. Et cum iter facerent ad Iudaeam ut viderent, Galenus mortuus est in via; ipse autem venit ad Dominum nostrum, et factus est discipulus, et annumeratus 25 est inter praecones, et postea mortuus est Thebis[3], civitate magna. Lucas interpretatur lupus.

* p. 220.

Caput secundum. Matthaeus quidem exordium libri sui cepit a nativitate Christi corporea, Marcus autem a baptismo Iohannis; et uterque nomen Christi posuit: Matthaeus quidem 30 eum vocavit filium David, Marcus autem filium Dei. Iohannes vero (sic incepit): *In principio erat Verbum.* Lucas autem in

[1] *Col.*, IV, 14. — [2] *Hist. eccl.*, III, IV, 6. — [3] Sic. In alio cod.: « Athenis ».

narratione sua ascendit ad annuntiationem et nativitatem Iohannis: primum quidem, quia promisit se omnia in ordine suo scripturum, et quia nativitas Iohannis prior est nativitate Domini nostri, necesse fuit ut rem consideraret et utramque successive ostenderet; alterum, quia voluit etiam per hoc ostendere maiestatem Domini nostri, nam si Iohannes, qui est praeco eius, rebus praeclaris comprobatus est, quanto magis ille de quo praedicavit!

Caput tertium. Propter quid adductus est Lucas ut scriberet? h. e. quoniam multi cupiebant audire ea quae Christus fecerat, et multi de eis scribebant qui non accurate cognoscebant ea quae effecta fuerant, ideo accessit ad redarguendos eos qui, cum non cognoscerent, scripserunt. Iterum, quia Matthaeus et Marcus scripserant, ipse quoque accessit ad scribendum ut testaretur ea, quae illi scripsissent, vera esse; nam sicut illi scripsit, etsi adiecit alia ad consilium suum * spectantia. Praeterea, ut confirmaret Theophilum qui doctrina eius eruditus fuerat [1]: *Ut cognoscas veritatem verborum quibus eruditus es.*

* p. 221.

Caput quartum. Insuper scias, o frater noster, Lucam ordinem verborum et actionum Christi servavisse, quoniam prima disposuit prima, et media media et novissima novissima, secundum ordinem quo Dominus noster ea loquutus est et fecit: quod patet ex eo quod dixit [2]: *Omnia ordine suo scribam tibi, illustris Theophile.* Igitur quisque videt Lucam mandata, quae Matthaeus in uno capite scripsit, disperse scripsisse; similiter et patrationem miraculorum secundum ordinem quo effecta sunt.

Caput quintum. Propter tres rationes Lucas seriem generationum non posuit in principio libri: primum quidem, quia non ad Hebraeos sed ad gentes scribebat, quod patet eo quod non stetit in Abrahamo, cui promissiones factae sunt, sed ad Adamum ascendit; secundum, cum vellet dicere de annuntiatione Zachariae et nativitate Iohannis quae ordine nativitatem Domini nostri praecedunt, ideo seriem generationum ad baptismum reservavit, ut ostenderet eos, qui baptizantur, ad Deum

[1] Luc., I, 4. — [2] Luc., I, 3.

Patrem elevari, et propterea ab imo ad summum in genealogiis ascendit; tertium, quia Lucas de serie genealogiarum curam non habuit, sed solvendi reprehensiones quas Iudaei contra seriem generationum a Matthaeo recitatam afferebant. 5 Sunt in eo parabolae viginti septem, testimonia sexdecim.

Caput sextum. Quare scripsit Lucas de incarnatione Domini nostri? Et dicimus: Quae omiserant Matthaeus et Marcus nec scripserant, necesse habuit scribere; ideo scripsit de eius annuntiatione, et conceptione, et nativitate, et de eius infantia, 10 et de caverna, pannis et praesepio, et de circumcisione, et introitu in templum et donis quae obtulerunt[1], et de * eius susceptione a Simeone, et de incremento eius secundum mensuram aetatis et numerum annorum eius, dum vocat eum infantem et puerum et filium duodecim annorum. Haec omnia 15 de inhumanatione (dicta) ostendunt eum factum esse hominem, ne sint qui in impietatem versarentur, sicut Manes et Marcion, qui negaverunt eius corporeitatem. Rursus, quemadmodum Iohannes, quia tres (alii) omiserant de divinitate eius loqui, necesse habuit scribere de essentia eius, ita et Lucas hic 20 de incarnatione. Oportet scire Verbum, quod ex Patre est, cum sit Deus et natum sit ex Patre naturaliter, propter salutem nostram factum esse hominem et natum esse ex matre[2] corporaliter; et quae sunt generationum naturalium obtigerunt ei, h. e. lac, cibus necessarius, et etiam quae sunt gene-25 rationum legalium sequuta sunt: circumcisio, sacrificiorum oblatio, observantia sabbati et festorum. A nativitate sua usque ad baptismum adimplevit tum naturalia tum legalia; postquam autem baptizatus est incepit in conversatione nova mundi spiritalis, et praedicavit regnum caelorum, quod est 30 typus mundi novi et conversationis spiritalis.

* p. 222.

Caput septimum. Quo tempore annuntiata est conceptio Iohannis et natus est? Et similiter de annuntiatione Mariae et nativitate Christi. Annuntiatio conceptionis Iohannis contigit decimo die tešrin prioris (octobris) lunaris in festo Expia-35 tionis. Ita enim agebatur festum Expiationis, sicut scriptum est[3]: *decimo die, mense septimo.* Evidens est a nisan (aprili)

[1] Ms. « obtulit ». — [2] Ms. « ex patre ». — [3] *Lev.*, XVI, 29,

tešrin priorem esse mensem septimum, et in eo Zacharias accepit nuntium, in mense septimo lunari. Nativitas autem Iohannis contigit decimo die tamūz (iulii) lunaris; in aliis codicibus scriptum est: decimo die ḥezirān (iunii); a decimo die tešrin prioris ad decimum diem tamūz novem menses sunt.
* p. 223. Eusebius * dicit [1]: Anno 312 Graecorum, qui est annus 43 Augusti et annus 33 Herodis, Dominus noster natus est, tempore quo Cyrinus in Syriam missus fuit. Iacob edessenus, cui assentimur, dicit: Dominus noster anno 309 Graecorum, qui est annus 41 Augusti, natus est; passus est autem anno 19 Tiberii; omnes igitur anni quibus versatus est in terris a nativitate sua ad baptismum suum, sunt triginta anni, et a baptismo suo ad ascensionem suam duo cum dimidio; omnes autem simul XXXII cum dimidio.

Caput octavum. Oportet disseramus etiam de conceptione Christi Domini nostri et nativitate eius salvifica. Anno 309 Graecorum dies decimus nisan lunaris congruit cum die 25 adar (martii) solaris, et conceptio Domini nostri annuntiata est Virgini. Habes nunc ex adar dies VI, ex nisan XXX, ex iyar XXXI, ex ḥeziran XXX, ex tamuz XXXI, ex āb XXXI, ex ilul XXX, ex tešrin priore XXXI, ex tešrin posteriore XXX, et ex kanun priore (decembri) XXIV. Ad vesperam autem, in fine illius diei 24, in initio diei 25 dicimus (Christum) natum esse, et propter hoc, a vespera diei 24 kanun prioris inchoamus officium Nativitatis Domini nostri et per totam noctem, a qua incipit dies 25 (illam celebramus). A die 25 adar, qui est dies annuntiationis, usque ad 25 kanun prioris, qui est dies nativitatis eius, colliguntur dies CCLXXV qui sunt novem menses, et unus dies, et tres horae. Unicuique mensi tribuuntur dies XXX de diebus anni qui sunt CCCLXV. Rursus, Hebraei, etsi secundum computum lunarem numerant, tamen singula excurrentia [2] in supputatione mensium solarium computant. Natus est autem die 25 kanun prioris, quia hoc tempore lux * p. 224. incipiebat * vincere tenebras; significabat ipsum esse lucem mundi, qui vincit tenebras, id est Satanam.

[1] Cf. *Hist. eccl.*, III, v. — [2] Id est: discrimen in mensibus inter lunares et solares colligunt. Sententia parum concinna.

Illo tempore, die 24 adar et die 24 ilul, erat aequinoctium, et nox erat XII horarum et dies XII; hodie autem aequinoctium multum retrocessit. Nostro tempore apparet aequinoctium die XIII adar et die XIII ilul; huius rei causa naturalis est revolutio solis; de hac re fuse tractavimus in libro Theologiae qui vocatur Epitome, ubi sermo est de naturis spiritalibus et sensibilibus. Tempore Domini nostri, die 24 ḥezirān et die 24 kanun prioris, dies ḥezirān erat XV horarum et nox IX; similiter in kanun (priore) dies erat IX horarum et nox XV; hodie autem, tempore nostro, id accidit die tertio ḥezirān et die tertio kanun (prioris); cum dies singulis mensibus unam horam de nocte sumit. Mar Ephraem in quadam homilia dixit: « Die decimo nisan fuit conceptio eius, et die sexto, h. e. sexto kanun posterioris, nativitas eius. » Iacob edessenus, in epistula ad Moysen Ṭurabdinensem, dixit: « Nemo accurate novit diem nativitatis Domini nostri. » Et in regionibus orientalibus et septentrionalibus, usque ad tempus Arcadii regis et Mar Iohannis (Chrysostomi), die sexto kanun (posterioris) hoc festum agebant illumque appellabant festum Nativitatis seu Epiphaniae, sicut vocatum est a sancto (Gregorio) Theologo in homilia de Nativitate. Et etiam Armeni hoc festum antiquum retinent propter suam crassitudinem et duritiem cervicis quae non consentit veritati; et die sexto kanun posterioris utrumque festum celebrant. Verumtamen in regionibus romanis et universa Italia et in Palaestina quoque, a tempore Apostolorum usque ad hodiernum diem, die 25 kanun * prioris celebratur; et hunc ordinem et usum exactum recepit Oriens et Septentrio praeter Armenos. Rursus, Dominus noster nocte natus est, sicut dixit Lucas.

* p. 225.

Breviter scripsimus capitula praevia explicationi; tempus est et hora ad corpus libri accedendi et successive apud singula loca virtutem, quae in eis abscondita est, proferendi. Tu autem, incitator huius laboris, orationem effunde pro Dionysio peregrino, ne etiam tu frauderis.

[CAPUT I]

v. 1) *Quoniam multi voluerunt scribere;* Matthaeum et Marcum non dicit *multos*, sed innuit fautores Simonis, et eos qui de circumcisione erant, et alios qui, sicut illi, absque investigatione de verbis et actionibus Domini nostri tractaverunt. In principio enim libri hoc verbum introductorium posuit quod indicat causam propter quam adductus est ad scribendum, scilicet: quoniam multi voluerunt scribere res Christi. *De quibus nos persuasi sumus*, h. e. ego et Matthaeus et Marcus. Illud: *De quibus nos persuasi sumus*, non de multis qui ausi sunt scribere dixit, sed de rebus de quibus scribebant. Et vide quod non dixit: Ego tantum de eis persuasus sum, sed: *nos*; ut numeret secum Matthaeum et Marcum; quoniam multi ausi sunt scribere ea de quibus ego et Matthaeus et Marcus persuasi sumus, propter hanc causam accessi ad scribendum.

v. 2) *Prout tradiderunt nobis ii qui* [*a principio*] *fuerunt spectatores et ministri ipsius Verbi;* h. e. non mihi tantum tradiderunt, sed (id dicit) ut numeret secum etiam Marcum, qui et a Petro et ab *apostolis didicerat, sicut etiam ipse a Paulo. Spectatores et ministros, h. e. duodecim apostolos vocat; Verbum autem dicit Verbum Deum. Vide quod dicit eos ministrasse et vidisse ipsum Deum Verbum, non hominem deificatum sicut dicunt haeretici. Similiter etiam Iohannes evangelista dixit [1]: *Evangelizamus vobis illum qui est a principio, quem vidimus oculis nostris et contrectavimus manibus nostris.* Vere enim visus est Verbum Deus in carne et contrectatus est.

* p. 226.

v. 3) *Et visum est etiam mihi;* h. e. sicut visum est Matthaeo et Marco. In aliis codicibus scriptum est: Placitum est etiam mihi. *Quippe qui proximus fuerim*, h. e. duodecim apostolis. *Accurate illis omnibus:* h. e. proximitas mea apud eos fuit cum diligentia, non cum neglegentia. *Ut omnia ordine suo scribam tibi;* h. e. iuxta ordinem et seriem quibus dicta sunt, prima primum, novissima novissime. *Illustris Theophile;* hic erat

[1] I IOH., I, 1.

dux fidelium et optimatum, qui Alexandriae erat, et ipse et Ægyptii rogaverunt illum ut scriberet eis. Et patet eum personam determinatam fuisse ex eo quod in aliis codicibus scriptum est: princeps Theophile, cum per illud: princeps, significat eum fuisse ibi praefectum et magistrum et insignem. Alii dicunt: Personam indeterminatam posuit pro omni qui est fidelis et Deum amat, quia Theophilus interpretatur amicus Dei.

v 4) *Ut cognoscas veritatem verborum de quibus eruditus es*; h. e. quibus in Christum credidisti.

v 5) *Fuit in diebus Herodis regis Iudaeae;* h. e. antequam hic regnaret duo fratres erant, Aristobulus et Hyrcanus, qui de summo sacerdotio decertabant. Pompeius autem, dux exercitus Romanorum, cum venisset et cepisset Ierusalem, Aristobulum apprehensum Romam misit, * et tradidit summum sacerdotium Hyrcano, et inde cessavit regnum Iudaeorum. Postea Augustus regem e gentibus Herodem constituit; quoniam regnavit annis XXXVII, secundos alios XXXIII, ideo haud immerito memoravit Herodem, sed ut ostenderet verbum Iacob, qui dixit [1]: *Non recedet sceptrum de Iuda,* h. e. regnum, vere adimpletum fuisse. Rursus, dicimus: A Moyse usque ad David iudices populum rexerunt; a David usque ad captivitatem Babylonis reges, et a captivitate usque ad hunc Herodem principes sacerdotum. Cum Pompeius, dux exercitus, sacerdotium Hyrcano tradidisset, sicut supra diximus, Parthi venerunt et captivum fecerunt Hyrcanum, et statim cessavit principatus Iudaeorum, et tunc regnavit super eos Herodes, et propter hoc memoravit eum Lucas.

* p. 227.

Sacerdos quidam cui nomen erat Zacharias; h. e. recordatus Dominum. *Ex ministerio familiae Abiae;* h. e. duo principes sacerdotum erant sicut Hannan et Caiphas, quorum unus per annum ministrabat et alter similiter. Etenim, etsi statutum erat unum esse principem sacerdotum, tamen cum leges eorum corruptae fuissent, duo constituebantur qui alternis annis et diebus determinatis ministrarent, et ideo scriptum est in evangelio graeco: Sacerdos, cui nomen Zacharias, ex ministerio

[1] *Gen.*, XLIX, 10.

familiae Abiae. Alii: Hic Abias princeps unius partis erat; scilicet Herodes tribum Levi in multas partes diviserat ne rebellarent, et hic Abias erat unus e principibus unius partis, e qua erat Zacharias princeps sacerdotum; et patet rem ita se habere ex eo quod sunt codices in quibus scriptum est: Ex sacerdotio 5 familiae Abiram. Alii: Abias vicem Zachariae gerebat, et cum princeps sacerdotum propter pollutionem nocturnam aut * p. 228. aliam causam inquinatus fuisset, * in locum eius sacerdotio fungebatur. Alii: Zacharias et Abias fratres erant qui ex successione generis ad sacerdotium accesserant, sicut Nadab et 10 Abihu, Eleazar et Ithamar; et nunc Abias, nunc Zacharias ministerium implebat. Alii: Abias erat dux chori; David enim duodecim choros psallentium in templo constituerat[1]; unusquisque chorus duabus horis psallebat et egrediebatur et ita alternis vicibus, ne cessaret ministerium nocte et die; et Abias 15 erat dux chori e quo erat Zacharias princeps sacerdotum, et ideo Lucas dixit: Quia erat ex ministerio familiae Abiae. Alii: Hic Abias e filiis Machabaei est, Simonis aut Ionathan, quia hi reaedificaverunt templum et civitatem, quae Antiochus et Ptolemaeus diruerant, et successive regnarunt. Alii: Ab Aaron 20 usque ad Heli, Eleazar et filii eius ministraverunt; cum autem peccavisset Heli et filii eius, translatum est sacerdotium ad filios Ithamar, filii Aaron, et incepit a Sadoq in diebus Salomonis; e Sadoq ortus est Abias e quo ortus est Zacharias, et ideo dixit: Ex ministerio familiae Abiae, h. e. familiae Sadoq 25 qui descendit ab Ithamar, non e familia Heli quae est ex Eleazar. Alii: Zacharias sacerdos erat, non princeps sacerdotum; quod notum est ex eo quod Hannan et Caiphas vocati sunt principes sacerdotum, ille autem sacerdos tantum, et ex eo quod vocatus est e ministerio familiae Abiae quia Abias 30 maior eo erat, et ex eo quod (Lucas) dixit eum in templum ingressum esse ut adoleret incensum, non in sanctum sanctorum, et ex eo quod non dictum est quod ingressus est cum sanguine hircorum in sanctum sanctorum, sicut solebat princeps sacerdotum illo die ingredi. Iacob edessenus dicit: Zacha- 35 rias erat princeps sacerdotum.

[1] Cf. I *Par.*, VI, 31; XVX, 1.

Et uxor eius * *ex filiabus Aaron;* h. e. quamquam tribus Levi cum tribu Iuda commixta fuerat per Aaron sacerdotem qui duxit Elisabeth filiam Aminadab de tribu Iuda [1] et per Ioiadam sacerdotem qui duxit Iosabeth filiam Ioram regis [2], tamen Zacharias uxorem sumpsit de tribu Levi non commixta. [*Cuius*] *nomen erat Elisabeth;* h. e. nomine Elisabeth incepit sacerdotium apud Aaron sacerdotem et nomine Elisabeth desiit sacerdotium legis apud Zachariam. Sanctus Mar Iacobus, ex homilia Passionis: Aaron coepit fungi sacerdotio cuius finis apud Caipham fuit, quia scidit tunicam suam et (sacerdotium) exivit. Verumtamen non puto sacerdotem irreprehensibilem eis post Zachariam surrexisse.

* p. 229.

v. 6) *Ambo autem iusti erant;* h. e. per hoc ostendit Iohannem e parentibus egregiis natum fuisse; rursus, ut propter iustitiam genitorum Iohannis testimonium eius de Maria, quum in utero exsultavit, crederetur. Illo quidem: *Iusti erant*, ostendit eos, non propter peccata sua, prole privatos fuisse, sed quia ad hoc miraculum inscii servati erant.

v. 7) *Provecti erant in diebus suis;* h. e. primum, ut quum legatus e senibus et sterilibus natus fuerit, credatur etiam regem, ante quem legatus praedicat, supernaturaliter natum esse; rursus, quia Israelitae e senibus et sterilibus inceperant, Abraham, dico, et Sara, in senibus sterilibus, Zacharia et Elisabeth, desiit populus. Et Elisabeth sterilis erat sicut et Sara sterilis erat.

v. 8) *Quum sacerdotio fungeretur in ordine ministerii sui;* h. e. quia erat festum Expiationis, aut propter dies quibus accidit ei ut sacerdotio fungeretur.

v. 9) *Accidit ei ut adoleret incensum;* illud quidem: « Accidit ei », sortem sacerdotii vocat; aut quod, quotiescumque ministrabat, hoc munus implebat. Et venerat tempus ut in sanctum sanctorum ingrederetur * quia festum Expiationis erat et adolebatur incensum expiationis. Quamquam peccatum vituli in festo Expiationis memorabatur, tamen non hoc tempore peccaverant Israelitae. Die decimo septimo ḥezirān vitulum fecerunt et adoraverunt, et festum Expiationis die decimo

* p. 230.

[1] *Ex.*, VI, 23. — [2] II *Par.*, XXII, 11.

tešrin prioris agebant. Quia mensis septimus apud eos venerandus erat propter numerum septem, ideo in illo festum Expiationis celebrabant. Dicunt enim: Duo mešikiata (seu) coronas e lana alba illo die ad portam templi ponebant, unam ab uno latere portae altaris, alteram a latere altero; et cum sacerdos egrederetur e sancto sanctorum rubrae fiebant et ex hoc signo cognoscebant se veniam accepisse. In hoc festo Expiationis conceptio Iohannis annuntiata fuit quia expiationem et paenitentiam praedicaturus erat. Alii: Die annuntiationis conceptionis Iohannis panniculus coccineus, qui in porta templi pendebat secundum consuetudinem omnis anni ad probandum utrum Deus reconciliatus esset mundo an non, a rubore suo mutatus est, sicut Isaias dixit [1]: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut nix dealbabuntur;* mutatus est enim in solem quia per eum, qui ab angelis annuntiatus est, conferetur propitiatio omnibus rationabilibus. Tempore incensi annuntiatus est quoniam praedicabit de suavitate quae evenit mundo et de reconciliatione Domini cum servis suis. Ligatione linguae patris eius significatur ligatio populi et gentium in errore, et solutione linguae eius solutio eorum ab errore. Moyses Barcepha dicit: Decimo die tešrin prioris lunaris Zacharias nuntium accepit, et a decimo die huius mensis usque ad decimum diem tamuz lunaris novem *menses sunt; hoc tempore dies 24 ḥezirān solaris erat decimus dies tamuz lunaris. *Et ingressus est in templum Domini;* Lucas dicit: *Ingressus est:* Moyses episcopus in suo Commentario dicit: In templum interius ingressus est, illudque vocat interius quia in eo erat arca et lamina aurea quae appellabatur propitiatorium, et in arca erant vas manna et duae tabulae et virga Aaron, et supra arcam lamina scripta, et duo Cherubim obumbrantes arcam et propitiatorium. Summus sacerdos tantum semel (in anno) in festo Expiationis templum interius ingrediebatur; templum autem exterius quotidie (ingrediebatur) et in eo congregatus erat populus, et ideo dixit:

v. 10) *Omnis turba populi orabat foris tempore incensi.*

v. 11) *Et visus est illi angelus Domini;* h. e. quia Dominus

* p. 231.

[1] Is., 1, 18.

angelos ad ministerium hominum constituit. Rursus, quia ipse Iohannes vocatus est angelus, scilicet[1]: *Ecce mitto angelum meum ante te.* — *A dextera altaris,* h. e. sacerdotis. Rursus, dexteram altaris vocat relate ad sacerdotem ingredientem;
5 altari enim non est dextera nec sinistra; dexteram sacerdotis appellat dexteram altaris. Stabat autem a dextera eius, non coram eo, custodiens honorem sacerdotii, cuius erat locus hic; sicut fecit apud Cornelium qui non arripuit honorem apostolatus[2]: *Mitte in Ioppen et accersi Simonem.* Allegorice: Haec
10 foederis oeconomia felicissima est[3]. Rursus, a dextera visus est quia Iohannes dexteram suam super Dominum nostrum positurus erat. Rursus, regio septentrionalis ad dexteram[4] est. Praeterea, hoc fuit initium oeconomiae quae per dexteram consummanda erat[5]: *Elevavit manus suas et benedixit illis*
15 *quum ascendit.*

v. 12) *Et conturbatus est Zacharias cum vidisset eum;* h. e. quia repente * et inopinato apparuit ei angelus. *Et timuit,* * p. 232. propter solitudinem loci; et notum est ex eo quod tintinnabula et mala punica faciebant in veste summi sacerdotis ut solitu-
20 dinem eius allevarent; iterum, tanquam ad ornamentum id faciebant; deinde, ut audirent sonitum eius quum ingrederetur[6]. Rursus, *conturbatus est,* quia locus erat quo nemo ingrediebatur praeter summum sacerdotem, et quia evenit ut (angelus) cum adspectu terribili videretur. Oportet scire
25 Zachariam vidisse revelationem non secundum morem quo sacerdotes (revelationes) accipiunt; omnes enim sacerdotes antiqui e lamina et e loco inter Cherubim revelationes recipiebant, hic autem ex altari incensi quod erat intra velum exterius.

30 v. 13) *Ne timeas;* abstulit ei timorem ut verba ipsius considerate audiret. *Exaudita est oratio tua;* h. e. orabat ut Dominus noster oriretur eis; legerat enim in hebdomadibus Daniel tempus venisse ut nasceretur. *Elisabeth uxor tua pariet tibi filium;* ergo, ait angelus, accipe argumentum ex uxore tua

[1] Marc., I, 2. — [2] *Act.*, X, 5. — [3] Sententia mutila videtur. — [4] Lusus in verbis; ad litt. «dexteritatis est». — [5] Cf. Luc., XXIV, 50. — [6] Sic; ingredientis sanctuarium, ut videtur.

quae pariet tibi filium. *Et vocabis nomen eius Iohannem*, h. e. e gratia et misericordia nomen eius derivat.

v. 14) *Erit tibi gaudium;* h. e. quia opprobrium sterilitatis ex uxore tua tolletur; iterum, quia legatus Altissimi erit. *Et multi gaudebunt in nativitate eius;* h. e. vicini eorum et illi qui per eum ad Deum conversi sunt. 5

v. 15) *Erit enim magnus coram Domino;* h. e. non surrexit inter natos mulierum maior illo; et quia conceptio eius in festo Expiationis annuntiata est; et ex eo quod impletus est Spiritu dum esset in utero matris suae; et ex eo quod fuit legatus Altissimi et vaticinatus est sicut prophetae[1]: *Ecce post me venit,* et visus est sicut apostolus quia eum digito monstravit[2]: *Ecce Agnus Dei.* — *Et vinum et siceram non bibet;* h. e. iuxta legem Nazaraeorum; vino enim iram innuit * quae magis quam vinum inebriat; siceram autem vocat quidquid praeter vitem expressum est, v. gr. succos dactylorum et hordei et ficuum. *Et Spiritu Sancto implebitur;* inde patet electionem Iohannis priorem esse operibus eius eumque non propter iustitiam suam electum fuisse in utero. Quod impleatur Spiritu in utero, nemini datum est nisi Ieremiae et ipsi; et notum est eum impletum fuisse ex eo quod exsultavit obviam ei (Christo). Verumtamen moribus suis praeclaris electionem suam divinam manifestavit. 10 * p. 233. 15 20

v. 16) *Et multos e filiis Israel convertet,* incitans eos ad paenitentiam; nunc docet eos se esse servum eius[3]: *Ego opus habeo (baptizari)*; nunc monstrat eis digito: *Ecce Agnus Dei:* nunc interrogatus num esset Christus[4]: *Vos,* ait, *testes estis quod dixerim: Non sum Christus.* — *Ad Dominum Deum ipsorum;* h. e. ad Christum Deum. 25

v. 17) *Et ipse procedet coram eo;* h. e. coram Domino Deo ipsorum qui est Christus. *In spiritu et in virtute Eliae*; h. e. Spiritus sanctus, qui operatus est in Elia, operatus est etiam in Iohanne. Spiritum vocat mores eorum spiritales, quia ambo erant virgines et nazaraei et degentes in deserto et induti pelle; et sicut ille ante primum adventum praedicavit, ita et Elias praedicabit ante adventum secundum. *Et in virtute:* 30 35

[1] Matth., iii, 11. — [2] Ioh., i, 29. — [3] Matth., iii, 14. — [4] Ioh., iii, 28.

quemadmodum Elias reprehendit Achab et Iezabel, ita et hic Herodem et Herodiadem. *Ut convertat cor patrum;* h. e. cor vocat iustitiam. Convertet, scilicet, iustitiam quae ex fide fuit Abraham et Isaac et Iacob, convertet eam ad Apostolos. Duae 5 iustitiae sunt: una quidem ex fide in Deum; altera autem ex operibus legis. Patres vocat Abraham et iustos similes ei, non filios carnis qui ex eis nascuntur. *Et eos qui sunt inoboedientes;* h. e. (convertet) * ad scientiam Apostolorum. *Et praeparet* * p. 234. *Domino;* h. e. (ut praeparet populum) non tanquam populum 10 qui stat foris et te exspectat, sed populum perfectum vocat christianos qui acceperunt fidem per baptismum et novum testamentum.

v. 18) *Quomodo sciam istud?* Oportet admiremur Zachariam qui, cum lector esset Scripturarum, dubitavit nec intellexit 15 ex Abraham et Sara, sensibus et sterilibus, genus natum fuisse, et ex Hanna sterili et matre Simonis[1]; sed proprium est hominum plusve minusve etiam de rebus, quarum periculum fecerunt, dubitare, praesertim cum plena gaudio.

v. 19) *Ego sum Gabriel qui adsto coram Deo;* h. e. laudo 20 Deum, aut: facio voluntatem eius.

v. 20) *Deinceps silebis*; h. e. quia dubitasti sterilem solvi posse virtute divina. Ostendit silentium legis veteris. Fecit eum silere ne narraret populo, et irrideant ei, prorsus ei non credentes; et multa alia. Denique, ne fama perveniret ad Herodem 25 et interficeret pueros[2]. *Quia non credidisti verbis meis*; h. e. propter hoc ligavi sermonem tuum et feci vocem tuam silere. *His quae implebuntur in tempore suo*; h. e. quamquam dubitasti et perturbasti ea, tamen tempore suo implebuntur.

v. 21) *Populus autem stabat;* h. e. exspectabat dum egre- 30 deretur e sancto sanctorum. *Et mirabantur de mora eius;* h. e. aut genu posuit et non potest se erigere prae senectute, aut somno oppressus est.

v. 22) *Non poterat loqui;* h. e. quia moris erat summi sacerdotis benedicere populo, ipse autem non potuit. *Et intellexe-* 35 *runt eum visionem vidisse*; primum quidem, quia non bene-

[1] Sic codex, manifesto lapsu; legendum: « Samuelis ». — [2] Melius legendum « puerum ».

dixit eis, alterum autem, quia adspectus eius mutatus erat. *Et ipse nutu innuebat,* h. e. se visionem vidisse ostendens et nutu et manu. *Et mansit mutus*; h.e. ab hoc tempore usque * ad expletionem novem mensium. Illo autem: Mutus fuit, ostendit non solum sermonem eius siluisse sed etiam auditum eius clausum fuisse.

* p. 235.

v. 23) *Et cum impleti fuissent dies ministerii eius;* h. e. dies quibus agebatur festum Expiationis a primo die tešrin prioris usque ad decimum diem eiusdem mensis lunaris, non solaris. *Venit domum suam;* h. e. ut uxorem suam cognosceret.

v. 24) *Et factum est post dies illos;* h. e. quum Zacharias nuntium accepisset. *Et occultabat seipsam;* h. e. eam pudebat ob senectutem suam; iterum, quia stupebat re quam Deus apud ipsam fecerat; praeterea, occultabat se propter humilitatem suam ne gloriaretur. *Et dicebat:*

v. 25) *Haec fecit mihi Dominus;* h. e. quamquam occultabat seipsam, tamen non desistebat gratias reddere pro eis quae apud ipsam fecerat. *Ad auferendum opprobrium meum;* h. e. quia sterilis privatur benedictione illa[1]: *Crescite et multiplicamini,* et ideo contemnitur, h. e. Deus hoc opprobrium ei abstulit. Primum diem mensis septimi, qui est tešrin prior lunaris, vocabant commemorationem clangoris tubarum, diem autem decimum Expiationem, et etiam hircus in hoc festo in desertum emittebatur; rursus, etiam dies humiliationis appellabatur. Et haec omnia Iohanni congruunt: primus dies clangoris tubarum est symbolum Iohannis, h. e. *Vox clamantis in deserto*; clamare enim clangori convenit; dies autem expiationis, quia expiationem et paenitentiam praedicavit, et in desertum abiit sicut hircus caprarum qui in desertum emittebatur; dies vero humiliationis, quia non gloriatus est; omnia igitur ei congruunt.

* p. 236.

* v. 26) *Mense autem sexto.* Oportet sciamus eventus mensurari et cognosci[2]

aut definitis temporibus: sive annis, sicut illud quod scriptum est[3]: *Anno tertio Ioiaqim regis;* sive mensibus, sicut

[1] *Gen.*, I, 28. — [2] In cod. textus in speciem tabulae synopticae exaratus est, in tres divisus columnas, quas tribus pericopis hic aliquo modo indicamus. — [3] Dan., I, 1.

illud [1]: *Die vigesimo quarto mensis qui est šebaṭ*; sive diebus, sicut illud [2]: *Anno secundo, primo die mensis primi, primo die hebdomadis, erectum est tabernaculum*; sive horis, sicut illud [3]: *Conscendit Simon tectum ut oraret hora tertia;*

aut indefinitis: sive momentis, sicut illud [4]: *Egressus est Isaac ad deambulandum in agro tempore vespertino*, et [5]: *Surrexit Abraham mane et levavit* (*oculos*); sive vigilia, sicut illud [6]: *Quarta vigilia venit ad eos ambulans super aquas;*

aut ex quadam proprietate quae per signum eventus indicat, sicut illud [7]: *Factum est in diebus Amraphel regis*, et [8]: *Fuit in diebus Herodis regis*; et sicut illud [9]: *Anno quo mortuus est Ozias rex*; et sicut illud [10]: *Anno quo venit Tartūn* [11] *in Ašdod.*

Lucas autem evangelista annuntiationem Virginis describit et declarat ex tempore definito mensium; et sextum mensem hic vocat non illum qui secundum naturam numeratur, id est, nisan, principium anni Hebraeorum, sed illum appellat ex proprietate distincta et nota, scilicet, ex conceptione Elisabeth, ita ut ordo * sermonis sic se habeat: Et occultabat seipsam mensibus quinque: tešrin posteriore, utroque kanun, šebaṭ, adar, et in mense sexto, qui est nisan, missus est Gabriel ad Virginem. Oportet sciamus Zachariam nuntium accepisse decimo die tešrin prioris lunaris; et a decimo die nisan ad decimum diem tešrin sunt sex menses secundum menses lunares. *Mense sexto,* qui est nisan. Decimo die mensis lunaris (nisan) qui congruebat cum die 25 mensis adar solaris, sicut Iohannes (annuntiatus est) decimo die tešrin prioris lunaris qui est dies 13 ilul solaris, hoc tempore fuit annuntiatio eius (Domini). In mense sexto conceptio Domini annuntiata est, quia in die sexto Adam creatus fuit, et quo die transgressus est mandatum eodem die sexto (Christus) passurus erat; et quia (Deus) intra sex dies mundum creavit, ideo conveniebat ut conceptio eius in mense sexto annuntiaretur qui mundum

* p. 237.

[1] Zach., I, 7. — [2] Cf. *Ex.*, XL, 15. — [3] *Act.*, X, 9. — [4] *Gen.*, XXIV, 63. — [5] *Gen.*, XIX, 27; XXI, 14. — [6] Matth., XIV, 25. — [7] *Gen.*, XIV, 1. — [8] Luc., I, 5. — [9] Is., VI, 1. — [10] Is., XX, 1. — [11] Nota amanuensis in margine: Puto quod voluit indicare nobis eum qui scribitur Tartān; verumtamen ego, sicut inveni, ita scripsi.

renovaret. Mense nisan lunari conceptus est quia in eo mundum creavit, et in eo paravit se ad moriendum secundum carnem, et etiam adventus eius ultimus in eo fiet. Decimo die (mensis) huius conceptus est quia numerus decem est perfectus, nec est alius numerus supra illum, quia si numerus supra decem ascendit ad numerum primum et secundum revertitur. Et etiam iod ponitur in principio nominis (Iesu), quod est decem; et etiam agnus, qui eum figurabat, decimo die mensis concludebatur. *Missus est Gabriel;* quare necesse fuit ut angelus conceptionem eius annuntiaret, cum ipse celerior sit angelo, imo sit in omnibus infinite? Hoc est ut (Maria), cum conciperet, non conturbaretur nec stuperet; rursus, ut ipsa cognosceret Verbum Deum, seu virtutem Altissimi, esse qui in ea habitavit * et ex ea natus est, non autem hominem simplicem sicut dicunt haeretici. Quod autem Verbum seu Christum appellavit virtutem Altissimi testis est Paulus [1]: *Christus est sapientia et virtus (Dei)*. Et in Galilaeam missus est propter prophetiam quae dixit [2]: *Galilaea gentium, populus qui sedet in tenebris*; et nuntiavit Virgini in Nazareth, quae est in regione Galilaeae, non autem in templo Ierusalem secundum garritum vetularum. Nonnulli dicunt Gabriel esse principem ordinum spiritalium, Michael autem principem inferioris agminis angelorum. Gabriel missus est quia nomen eius invenitur in veteri testamento apud Daniel [3], ad concludendum os Iudaeorum e quibus quidam dicunt: Fortasse nomen et res eius commenta sunt; iterum, ut scias eum vetus testamentum ablaturum esse et novo aditum innovaturum esse.

* p. 238.

v. 27) *Ad Virginem;* quare ex Virgine natus est? Et dicimus: Non quia matrimonium immundum sit — scriptum est enim [4]: *Quod Deus coniunxit*, et Paulus [5] dicit matrimonium honorabile esse in omnibus — sed natus est ex Virgine ut agnosceretur Deus inhumanatus non autem homo deificatus; quod enim ex Virgine nascitur, non est naturae hominum. Rursus, ne gentiles putarent eum esse prophetam. Etenim si, postquam natus est ex Virgine, eum ut prophetam accipiunt,

[1] Cf. I *Cor.*, I, 24. — [2] MATTH., IV, 15-16. — [3] DAN., VIII, 16; IX, 21. — [4] MATTH., XIX, 6. — [5] Cf. I *Cor.*, VII, 38.

quanto magis si ex maritata natus esset! Rursus, quia genus nostrum per Hevam virginem reum factum est, ita per virginem iustificabitur. Rursus, ut ex partu Virginis supernaturali nativitas spiritalis ex baptismo pariter credatur supernaturalis.
5 Praeterea, ut ostenderet virginitatem nobiliorem esse coniugio, quamvis in Lege coniugium honorabile sit. Sed scrutatores quaerunt: Quomodo Virgo sine consortio parit? * Et dicimus: Quae apud homines impossibilia sunt possibilia sunt apud Deum, iuxta illud [1]: *Omnia quae vult facit in caelo et in terra.*
10 Sed interrogemus eos: Quomodo creavit creaturam ex nihilo? Quomodo stat terra super nihil? Quomodo sol, cuius natura ignis consumens est, sub firmamento, cuius natura ex aqua est, volvitur ecce per septem millia annorum plus minus, quin dissolvat illud? Et quomodo firmamentum solem non exstin-
15 guit cum maius illo sit et firmamentum ex aqua constet? Et quomodo sphaera caelestis volvitur dum nihil est quod volvat illam cum sit irrationabilis? Et quomodo volvuntur corpora solis et lunae et stellarum cum nihil sit quod volvat illa et irrationabilia sint? Quomodo stant suspensa nec cuiquam
20 innituntur? Quomodo Adam genuit Hevam, et arbor agnum? Quomodo rubus non combustus est igne? Quomodo virga facta est serpens ac voravit dracones? Quomodo aquae Nili factae sunt sanguis nec mutatae sunt a natura sua, et cinis factus est papulae super corporibus cum cecidit in illa? Quomodo
25 ignis et grando, quae commixta sunt et contraria sunt, ceciderunt nec destruxerunt se invicem? [2] (Quomodo) erant lapis et grando inter se commixta, et erat unus lapis [3]? Quomodo virga divisit mare, et lapis scaturire fecit flumina, et virga arida floruit [4], et maxilla asini fluere fecit aquam [5], et asina
30 loquuta est [6], et lignum subsedit [7] et ferrum natavit, et sol retrogressus est decem gradibus [8], et placenta ex ficubus confecta curavit ulcera dum ipsa gignit ulcera ubi in corpora cadit [9], et ignis servatus est in puteo septuaginta annis [10], et piscis protulit staterem [11], et quinque panes multiplicati sunt?

* p. 239.

[1] *Ps.* CXXXIV, 6. — [2] *Ex.*, IX, 10, 24. — [3] Cf. Is., XXX, 30. — [4] *Num.*, XVII, 8. — [5] *Iud.*, XV, 19. — [6] *Num.*, XXII, 30. — [7] IV *Reg.*, VI, 6. — [8] Is., XXXVIII, 8. — [9] IV *Reg.*, XX, 7. — [10] II *Mac.*, I, 19. — [11] MATTH., XVII, 26.

Si de illis responsum nobis dederint, etiam nos dicemus quomodo Virgo pepererit. Eam quidem peperisse novimus; quomodo autem pepererit nescimus. *quia miraculum est et miraculum a creaturis non apprehenditur; quod si comprehenderetur non esset miraculum. Sed Iudaei dicunt: Interpretes verterunt 'puella' non 'virgo'; sed vera non dicunt; imo scripserunt 'virgo'; rursus, Scriptura solet puellam appellare virginem, v. gr. puellae, quas filii Israel dixerunt filiis Beniamin ut raperent, erant virgines, et Scriptura vocavit eas puellas[1]. Et in Deuteronomio scriptum est[2]: *Si puella desponsata fuerit viro [et invenerit eam aliquis], et dormierit cum ea, utrumque lapidate: puellam quidem, quia non clamavit...*

Quae desponsata erat viro cuius nomen erat Ioseph; illa enim opus habuit sponso cui series genealogiarum inniteretur, qua Christus ex David et Abraham ortus est; nam apud Hebraeos mos non est genealogias per mulieres deducendi; et ut esset ei tutamen contra Iudaeos. Quidam autem dicunt: Ioseph eam tamquam ad custodiam accepit. Mar Severus dicit: Tamquam in coniugium. Mar Iohannes: In eadem domo cum Ioseph habitabat. Mar Ephraem: In alia domo habitabat, et (Ioseph), postquam angelus apparuit ei, accepit illam et fecit illam habitare in domo sua. *De domo David;* h. e. id communiter dixit de Ioseph et de Maria simul. Rursus, notum est Ioseph ex familia David esse, nec voluit uxorem accipere nisi ex familia sua secundum mandatum Moysis. *Maria;* h. e. donum; alii: illuminatio.

v. 28) *Et ingressus est ad eam angelus;* h. e. cum sola esset, nuntiavit ei angelus; ita enim fecit erga Zachariam et Ioseph quum loqueretur eis. Iosepho non nuntiavit, quia non fuit particeps conceptionis: ex Spiritu sancto enim gravida erat (Maria). Zachariae vero nuntiavit, quia particeps fuit conceptionis Iohannis. Et die ingressus est ad eam, quia *nuntium eius erat lux, et Christus a prophetis cognominatus est lux et sol et splendor et oriens. Similiter etiam annuntiatio servi die, et in die Expiationis, et coram altari facta est. Invenit autem

[1] Cf. *Iud.*, XXI, 12. — [2] *Deut.*, XXII, 23.

eam orationi deditam et deprecantem misericordias sibi et suo populo qui imperio Romanorum subiectus erat. Mar Ephraem dicit: Cum adspectu humano apparuit ei et cum forma senis. Sanctus Philoxenus: Quamquam cum adspectu et forma
5 humana apparuit ei, tamen cum adspectu spiritali apparuit; quod verum est. Sanctus Mar Iacob: Maria egressa erat ut aquam hauriret, et ille sicut puer apparuit ei ad puteum; et propter modestiam suam tulit hydriam suam et reversa est domum, et cum clausisset portam atrii et domus et sederet in
10 conclavi suo, Gabriel ingressus est et stetit cum forma senis ac dixit: Pax tibi, Maria; quae cum vidisset mutationem eius cognovit ēum a Domino esse. *Pax tibi, plena gratia;* a pace incepit sermonem suum quia haec nativitas ablatura erat inimicitiam inter terrenos et caelestes, inter populum et gen-
15 tes, inter animam et corpus, et etiam oeconomia eius cum pace adimplenda erat secundum illud quod dixit Isaias[1]: *Loquetur pacem cum populo suo.* Quis implevit eam gratia? Pater. Et quaenam est gratia? Quod concepit Deum Verbum secundum carnem. *Dominus noster tecum*; non dixit: Dominus meus tan-
20 tum, sed (Dominus) etiam omnium Virtutum, quia inde qui conceptus est cognoscitur esse Deus; non est enim ullo modo dominus angelorum nisi Deus tantum. Et quare non dixit: Deus noster? Et dicimus: Mos non est servis ut appellent dominos suos nominibus eorum. *Benedicta tu in mulieribus;*
25 h. e. per te deleta est maledictio, quia peperisti eum in quo benedictae sunt omnes gentes.

v. 29) * *Illa vero cum vidisset conturbata est:* h. e. prae adspectu eius qui erat eximius et mirabilis, et ex eo quod loquutus est ei nova et insolita, h. e. virginem concepturam esse. *Et*
30 *cogitabat qualis esset salutatio;* scilicet, id quod dixit ei: plena gratia. * p. 242.

v. 30) *Ne timeas, Maria;* h. e. abstulit ei timorem ut verba ipsius sapienter audiret. Illo enim: *Ne timeas,* ostendit se non conceptionem hominis nuntiasse; ab hac enim mulier non timet;
35 sed (Maria timuit) quia intellexit eum nuntiare quod ipsa supernaturaliter conciperet, h. e. quum esset virgo supra natu-

[1] Sic; cf. *Ps.* LXXXIV, 9.

ram mulierum pareret. Et vocavit eam nomine eius ut crederet eum non esse alienum. *Invenisti gratiam;* h. e. concepisti Deum Verbum secundum carnem, et gratiam quam perdidit Heva tu invenisti; inventio enim nomini « perditio » coniungitur. Et illud quod dixit: *apud Deum,* est: a Deo. 5

v. 31) *Ecce enim accipies in utero,* h. e. statim ac accepit Verbum Deus caro factum est, secundum Iohannis dictum. *Ecce enim accipies in utero* Verbum Deum; haec scilicet est gratia quam invenisti a Deo, quod acciperes in utero Verbum Deum. 10

Dicant nobis haeretici: Undenam Virgo in utero accepit? De caelo an de terra? Et manifestum est de caelo. Et conceptus quem accepit, Deus est an homo? Si dicunt: homo est, non veraces sunt, quia non est de Ioseph. Ergo Deus est, quod patet ex eo quod angelus dixit: *Virtus Altissimi,* et ex 15 illo Iohannis: *Verbum caro factum est.* Virgo enim primum concepit Verbum Deum secundum carnem, et deinde peperit eum, et tunc vocatus est filius eius; et ideo dixit ei: *Paries* * p. 243. *filium.* Non enim (dixit): Accipis, sed: * *Accipies,* ut ostenderet non fuisse intervallum nec momentum nec punctum inter 20 tempus quo accepit Virgo et illud quo concepit; sed simul atque accepit Virgo sermonem concepit Verbum. Et statim ac factus est caro, agnitus est conceptus, et deinde crevit gradatim in utero adimplens leges naturae; donec enim factus est caro, res naturae eius divinae agnoscebantur postquam autem incor- 25 poratus est, quae conveniunt fetui humano in seipso implevit, et profecit secundum mensuras aetatis cum esset Virtus Altissimi.

Et vocabis nomen eius Iesum: h. e. non Elšaddai quod interpretatur Deus promissionum aut Deus veritatis, nec Ṣabaot, 30 quod interpretatur Potens, nec Ezaza'el qui infremuit et merito punivit praevaricatores qui in deserto peccaverunt, sed Iesum, id est Salvatorem, qui revelatione sua salutem hominibus donavit. Hoc nomen Moyses primus imposuit Iosue [1], filio Nun, qui vocabatur Hoša'. Haeretici dicunt: Cur mulier impo- 35 suit ei nomen? Et dicimus: Quemadmodum conceptus est, et

[1] *Num.,* XIII, 17.

natus est, et vocatus est filius Virginis, ita et ipsa imposuit ei nomen, quia exinanivit se, sicut dixit Paulus [1]. Rursus, hoc nomen, quod imposuit ei, non inventio eius est, sed Dei Patris qui misit eum, nec fortuito hoc nomen et illud: *Accipies in* 5 *utero;* (sed) per revelationem Gabriel accepit [2]. Rursus, Iesus lingua hebraica explicatur Salvator; nec recenter cum incarnatus est illud accepit, sed illud ad eum naturaliter pertinet; et quemadmodum rex appellatur ex regno suo, et princeps e principatu suo, ita et Salvator vocatus est propter salutem 10 quam operatus est. Ergo hoc nomen impositum est non homini, sed Deo qui homo factus est. Quare vocavit eum Iesum, non vero Emmanuel? Quia * dixit: *Dominus noster tecum,* hic omisit nomen Emmanuel, ut diceret illud tempore suo ad Ioseph cum is dubitaret.

* p. 244.

15 v. 32) *Hic erit magnus*; h. e. non quod magnus non esset, sed *erit* et *vocabitur*, id est: nunc revelabitur et agnoscetur, ut homo qui antea absconditus fuit. *Et dabit ei Dominus thronum David*; regnum eius vocat (thronum); et in quantum est Deus, est Dominus et Deus David; in quantum factus est homo dici- 20 tur e Davide regnum accipere. Etiam unctionem ab unctis accepit et sacerdotium a sacerdotibus qui typum eius gesserant. Et etiam regnum Domini nostri spiritale est — quod patet ex eo quod regnavit super caelestes et gentes quae crediderunt in eum, — non autem corporale sicut regnum David. Et David 25 vocatus est pater eius, quia Virgo est ex familia David; ergo thronum vocat regnum eius sicut diximus, quod apparet ex eo quod subiunxit:

v. 33) *Regnabit super domum Iacob in aeternum, et regno eius finis non erit;* Deus enim voluit nove dare David regnum, 30 quod est similitudo regni sui iusti, ut, cum acciperet illud, constitueret in illo adorationem unius Dei.

Quemadmodum dedit Moysi nomen divinitatis suae, quia vocavit eum *deum Pharaonis* [3], et Iosue nomen salutis suae, quia vocatus est Iesus, ita dedit David typum regni, ab uno ad 35 alium, donec natum est Verbum quod accepit illud cum esset

[1] *Philipp.*, II, 7. — [2] Pericope satis intricata; cf. p. 196, l. 19. — [3] *Ex.*, VII, 1.

ipsius. Et quia exinanivit se et factus est homo de eo dictum est: *dabit ei*, non: accepit suum; ipse enim est rex naturaliter; sed, cum incarnatus esset, regnavit super gentes quae voluntarie in eum crediderunt. Interroga Nestorianos: Quis dedit regnum socio suo? Si dicunt: David (dedit) Domino nostro, 5
* p. 245. ergo quomodo * dixit Iacob[1]: *Cuius est regnum, et exspectabunt eum gentes?* David enim non exspectabant; ergo ipse dedit David regnum. Si autem dicunt: Angelus dixit *dabit ei Dominus*; dicimus: Non regnum alienum sed ei suum reddidit, quod datum fuerat David tanquam in typum, sicut dictum 10 est[2]: *Detraham de spiritu meo et ponam super eos*, et sicut illud: *Dedit de spiritu suo prophetis suis*, et sicut illud[3]: *De meo accipiet et ostendet vobis*. Quod si David dedit regnum Christo, ergo istud omnino corporale est, quia regnum David corporale fuit; Domino autem non fuerunt equites nec divitiae 15 sicut David, nec ipse Philisthaeos et Idumaeos occidit sicut David fecit. Ergo thronus David typum et symbolum gestabat illius throni de quo David dicit[4]: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculorum*. Et Christus, cum revelatus esset, accepit a David typum et symbolum regni quod perfecit et confirma- 20 vit veritate regni sui. Illud enim: *Donec veniat is cuius est* (regnum), congruit huic: *Dabit ei Dominus*, et illud: *Exspectabunt eum gentes*, huic: *Regnabit super domum Iacob*; h. e. domum vocat populum. Multi enim ex filiis eius in Dominum nostrum crediderunt sicut Zacharias et Iohannes et Simeon 25 et Hanna et Apostoli et praecones, et millia et myriades qui sunt de domo Iacob. Rursus, est Israel qui interpretatur vir videns Deum; et regnat super omnes qui in eum crediderunt ex populo et gentibus. Domus Iacob sunt gentes quae accesserunt ad familiaritatem cum Christo et crediderunt in eum. 30 Et domum Iacob dixit a parte ad totum secundum morem Scripturae. *Et regno eius finis non erit*: h. e. consummatio; et ille cuius regno non est consummatio est Deus; Christi autem regno non est consummatio; ergo Deus est.

* p. 246. v. 34) * *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Vide- 35 tur angelum ei dixisse: Impletis novem mensibus paries; ideo

[1] *Gen.*, XLIX, 10. — [2] *Num.*, XI, 17. Cf. *Eph.*, III, 5. — [3] Ioh., XVI, 15. — [4] *Ps.* XLIV, 7.

ipsa dixit: Quomodo accipiam in utero et pariam, quum virum non cognosco? Et patet quod, nisi determinasset ei tempus, putavisset sibi coeundum esse cum sponso suo et pariendum post tempus. Tunc respondit:

5 v. 35) *Spiritus sanctus veniet;* h. e. ut Filium corpore induat. Ipse enim primum accepit illum quum habitavit in Virgine, dum consubstantialis est Spiritui et dator eius; propter nos accepit illum et postea dedit illum nobis ut nos spiritaliter procrearet ex baptismo et nos faceret filios Patris sui.
10 *Et Virtus Altissimi requiescet super te;* h. e. Christum vocat virtutem quae habitavit hypostatice in Virgine; vere enim mansit in Virgine dum erat in Patre suo, sicut manent radii solis dum sunt etiam in sphaera sua. Sed quum habitavit in Virgine unitus est hypostatice carni anima et mente praedi-
15 tae; et in uno ictu oculi unoque consensu convenerunt in unionem Verbum Deus et anima et corpus in utero Virginis, iuxta illud: *Verbum caro factum est*, dum per carnem animam et corpus denotat, (id est) a parte totum, iuxta illud[1]: *Ad te omnis caro veniet.* Et Verbum Deus factus est homo nec muta-
20 tus est. *Spiritus sanctus veniet et Virtus Altissimi;* h. e. nemo novit quomodo Virtus Altissimi concepta fuerit in Virgine, nisi ipse et Pater eius et Spiritus eius sanctus. Ad illud: *Quomodo fiet istud?* angelus respondit ei: Necesse non erit te cognoscere virum, quia Spiritus sanctus veniet et ipse, pro viro, erit
25 causa conceptionis tuae. Pater voluit Filium incorporari, et Filius incorporatus est, et Spiritus sanctus eum corpore induit. Et notum est Spiritum sanctum corpore eum induisse ex eo quod dixit Matthaeus[2]: *Ille enim, qui natus est in ea, e Spiritu sancto est,* et[3]: *Inventa est in utero habens * de Spiritu sancto.* * p. 247.
30 In omnibus rebus quae creatae sunt, hic ordo servatus est: Pater iussit creaturas creari, et Filius creavit eas, et Spiritus perfecit et complevit eas. Simili modo Pater voluit Filium incorporari, Filius autem incorporatus est, et Spiritus eum corpore induit, quia corpus, quod unitum est Filio hypostatice,
35 ipse Spiritus de Virgine plasmavit. Virtutem Altissimi vocavit illum ut Maria, cum audiret: *Virtus Altissimi*, pro certo

[1] *Ps.* LXIV, 3. — [2] MATTH., I, 20. — [3] MATTH., I, 18.

haberet per Virtutem Altissimi posse ut conceptus fiat absque consortio viri. (Angelus) enim, quia voluit dicere de re quae virtutem humanam superat, ideo coniunxit miraculum cum potentia Virtutis Altissimi.

Nestoriani dicunt: Spiritus hominem in Virgine creavit, et hoc non est dignum admiratione; ecce enim Deus creavit Adam de pulvere, et Hevam de costa, et fetus in uteris. Ergo si Spiritus hominem creavit, fides Mariae et Ioseph non est digna laude quod crediderunt Spiritum creasse in utero eius hominem, et fides nostra nihil est dum credimus Spiritum creasse hominem in utero Virginis. Quod si omnes creaturae a Spiritu Dei creatae sunt, cur miramur Spiritum sanctum quod creavit unum hominem in utero? Itaque deficiens et parva est virtus eius. Sed hoc miramur quod Filium consubstantialem Patri corpore de Virgine induit eumque ostendit hominem. Rursus, Filium miramur quia, cum esset Deus natura sua, factus est caro nec mutatus est. Theodorus nestorianus dixit: Hypostases Filii et Spiritus ad Virginem non descenderunt, sed operatio Spiritus et potentia Filii. Nos autem adversus eum dicimus: Virtus et potentia Filii et Spiritus non sunt diversa ab eis, quia non sunt compositi sed simplices. * Sin autem virtus et potentia hypostaseon Trinitatis diversae sunt ab eis, tunc inveniuntur compositae. Fac Spiritum sanctum interpretari de operatione Spiritus, quomodo illud: *Virtus Altissimi*, de potentia Filii interpretabitur, quum Iohannes dicat hypostasim Filii factam esse carnem, et Paulus [1]: *Misit Deus Filium suum!* Rursus, dicunt: Spiritus templum in Virgine aedificavit; alii ex eis: organum. Adversus eos dicimus: Spiritus Sanctus Verbum Deum corpore de Virgine induit sine mutatione; et quemadmodum Pater misit eum ad Virginem nec discessit (a Patre), ita Spiritus eum corpore ex illa induit sine mutatione, et sicut Filius non minor factus est ex eo quod Pater misit eum, ita quod Spiritus eum corpore induit, non ostendit eum non esse consubstantialem Spiritui.

Rursus, haeretici dicunt: Plasmatus est fetus operatione Spiritus cum membris et formis, et deinde Verbum in illo

[1] *Gal.*, IV, 4.

habitavit. Adversus eos sic dicimus: Philoxenus dicit: Verbum Deus et caro ex Maria simul ad unionem cucurrerunt; et postquam Verbum factum est caro, sicut dixit Iohannes, et mansit quadraginta dies in membris et formis, animam rationalem accepit iuxta ordinem hominum quorum corpus, postquam perfectum est membris et formis per dies quadraginta, animam recipit; apparet inde quod *Verbum caro factum est,* nam per « factum est caro » dicit: unitum est carni. Si quis dixerit: Caro per hos quadraginta dies mortua erat, respondebis: Vivens erat, quia vivebat vita divinitatis Verbi. Et etiam in cruce, cum anima a corpore separata fuisset, corpus vivens erat vita divinitatis eius, quia haec non separata est ab alterutro. Hic doctor est ex eis qui dicunt corpus prius esse anima. Doctores graeci et Iacobus edessenus dicunt: * Simul, uno parvo momento, Verbum Deus et anima et corpus pariter convenerunt ad unionem in utero Virginis, nec corpus prius est anima in utero mulieris. Et illud quod dixit Iohannes: *Verbum caro factum est,* (h. e.) per carnem denotavit animam et corpus, iuxta morem Scripturae quae a parte totum designat, sicut illud[2]: *Ad te omnis caro veniet*; notum est autem non carnes tantum venturas esse sed animas. Nos vero doctores graecos sequimur; etiam Moyses mossulensis et Iohannes darensis hanc postremam sententiam profitentur. Rursus, dicimus: Deus Verbum erat hypostasis praesubsistens ab aeterno hypostatice; anima autem et corpus non praesubsistebant sed per unionem subsistentiam in ipso Verbo adepta sunt. *Spiritus sanctitatis,* quia sanctitas immutabilitatem denotat; vox enim « sanctitas » de hebraeo in syriacum interpretatur immutabilitas. Rursus, sanctus interpretatur separatio; quidquid separatum est ab aliquo, sive in divitiis sive in paupertate, apud Hebraeos dicitur sanctum, sicut illud[1]: *Etiam sanctis, qui sunt in terra, et laudabilibus.*

* p. 249.

Is qui nascetur in te Sanctus est; quia est Virtus Altissimi secundum naturam, propter hoc sanctus est in natura sua et largitor sanctitatis. Et quia praesubsistebat ab initio, ei congruit illud: *Nascetur in te,* non ex te, sicut ii qui nondum sub-

[1] *Ps.*, LXIV, 3.

sistunt. Rursus, vide quod non dixit: Sanctus erit, nec: Sanctus vocabitur, sed: (Sanctus est), ut doceret eum nihil accepisse nihilque vocatum esse quod non habuerit naturaliter, quia absconditus erat et revelatus est. Illo quod dixit: *Sanctus est*, immutabilitatem eius significavit, hoc dicens: Is qui concipietur in te immutabilis est, et cum factus fuerit homo immutabiliter * permanebit in divinitate sua. Et sunt loca ubi Scriptura immutabilitatem vocat sanctitatem, sicut illud quod dixit Deus [1]: *Sanctus sum nec ingrediar civitatem*, h. e. non mutatus sum ab eo quod sum infinitus et illimitatus ut indigeam civitate. Retorquent nonnulli: Debuisset dicere: Is qui nascetur ex te, non: in te; quia proles ex muliere nascitur. Et dicimus: Sunt codices in quibus scriptum est: Is qui nascetur ex te, et (codices) graeci in quibus non scriptum est: ex te, nec: in te, sed: Is qui nascetur sanctus est. Veruntamen illud: Qui nascetur in te, est: Qui concipietur in te; nativitas enim dicitur etiam de rebus quae remotae sunt a generatione, sicut illud [2]: *Parturiit iniquus et concepit mendacium et genuit dolum*, et [3]: *Nescis quid cras pariat*, et [4]: *In Iesu Christo ego vos genui*, et [5]: *Filius meus quem genui in vinculis meis*; et quemadmodum nativitas de istis dicitur, ita et de nativitate dicitur conceptio.

* p. 250.

Hic erit magnus: in aliis codicibus: Et Filius Dei vocabitur. Haeretici dicunt: Postea factus est magnus. Adversus eos dicimus: Non recenter vocatus est Filius Altissimi et factus est magnus, sed erat magnus naturaliter. Illud quod dictum est: Erit et vocabitur, significat eum revelatum fuisse et agnitum fuisse. Etenim ea, quae facta sunt cum non essent, diversa sunt ab eis quae, dum sunt et abscondita sunt, postea revelantur. Hoc: *magnus*, est: Erat ei magnitudo, et nunc cognita est, sicut illud [6]: *Notum feci nomen tuum hominibus*, non cum (Pater) non existeret sed cum esset ab aeterno. Neque cum non esset vere Pater aut cum non vocaretur Pater, notum fecit eum hominibus, sed * quia est Pater ab aeterno et absconditus erat. Illo quidem: *Notum feci*, dicit:

* p. 251.

[1] Os., XI, 9. — [2] *Ps.* VII, 15. — [3] *Prov.*, XXVII, 1. — [4] I *Cor.*, IV, 15. — [5] *Phil.*, 10. — [6] Ioh., XVII, 6.

Revelavi eis nomen tuum. Huic simile est illud quod scriptum est in Isaia [1]: *Dominus universae terrae vocabitur;* non quasi antea non esset Dominus. Si dixerint: Recenter vocatus est (*magnus*), redarguet eos illud quod ipse est Virtus Altissimi, 5 et Virtus Altissimi intimior et propinquior Patri est quam Filius Altissimi; quia multi vocati sunt filii Altissimi, sicut illud [2]: *Filii excelsi vos omnes*, et [3]: *Filios scilicet enutrivi et exaltavi;* hi autem numquam vocati sunt virtus Altissimi. Rursus, dicimus: Quidquid Pater est, etiam Filius est, et omne 10 quod habet Pater Filius habet praeter proprietates characteristicas seu indicativas hypostaseon, h. e. Pater est causa et genitor Filii, Filius autem effectus, et natus ex eo; et omnia Patris sunt Filii praeter (hanc) proprietatem. Ergo quemadmodum Pater naturaliter habet excellentiam et bonitatem et 15 divinitatem et vitam et maiestatem, ita et Filius, quia consubstantialis est ei; sed quia conceptus est et factus est homo secundum carnem, de eo dictum est: *Erit magnus.* Et haec est vera eius exinanitio: dicitur id, quod ipse est naturaliter, factum esse ei, eumque vocari in illo et accepisse illud. Et illud: 20 *vocabitur*, simile est illi: Est, iuxta illud [4]: *Ex ea natus est Iesus qui vocatur Christus*, ubi illud: Vocatur, par est illi: Est; et (illud) [5]: *Omnis qui docuerit magnus vocabitur*, et: *Omnis qui solverit unum ex mandatis minimus vocabitur;* hi enim, praeterea quod vocantur, etiam sunt.

25 v. 36) *Ecce Elisabeth cognata tua;* cognatio multis dicitur modis: e natura, sicut pater et filius eius, et Iawnāyē (Graeci) ex Iawan; e regione, sicut eremitae ex eremo; e confessione, sicut Ariani ex Ario; ex arte, * sicut lignarius ex arte lignaria et ferrarius ex arte ferraria; e disciplina, sicut grammatici et astro- 30 nomi; ex habitu, sicut laici, clerici, monachi; e potestate, sicut consules, reges; e consuetudinibus, sicut homines qui habitant in una regione aut in una civitate aut in una aede et simul conversantur et cognationem habent. Hic vero: *cognata tua*, h. e. Elisabeth, quidem peperit in sterilitate sua et senectute 35 sua, tu autem in virginitate tua. Iterum, quia ambae erant ius-

* p. 252.

[1] Is., liv, 5. — [2] *Ps.* lxxxi, 6. — [3] Is., i, 2. — [4] Matth., i, 16. — [5] Matth., v, 19.

tae et optimae. Rursus, quia ambae erant Israelitides, sicut illud Pauli[1]: *Pro fratribus meis et cognatis meis.* Rursus, quia ambae in hereditate Iuda degebant, Elisabeth in Ierusalem, Maria in Nazareth et in Bethlehem; praeterea, quia ambae miraculose conceperunt. Alii dicunt: Aaron in Aegypto accepit in uxorem Elisabeth filiam Aminadab de Iuda; et Ioiada sacerdos sumpsit in uxorem Iosabeth sororem Ochoziae, regis Iuda; et Maria erat de tribu Iuda; et cognatio, quae inter eos facta est, est ex Aaron sacerdote et Elisabeth uxore eius. Ioiada et Iosabeth, uxor eius, cognati erant ex tribubus, id est, ex tribu Levi et tribu Iuda. Elisabeth facta est cognata Mariae per Elisabeth veterem, uxorem Aaron. Et id dispensatione divina factum est, quia Christus est rex et sacerdos. Rursus, Maria per patrem suum est e tribu Iuda et per matrem suam e tribu Levi, quia post reditum (a captivitate) tribus inter se commixtae sunt, ut (Christus) ex utraque tribu oriretur et aboleret regno suo regnum Iuda et sacerdotio suo sacerdotium Levi. Rursus: *Cognata tua,* quia ambae sunt e natura humana, et homines cognati sunt inter se; et angelus alienus est ab eis secundum naturam. * Rursus, quia conceptio utriusque a Gabriel annuntiata fuit. Rursus, quia Elisabeth erat soror matris Virginis et matertera Mariae, ad hunc modum: Eleazar genuit duos filios, Mathan et Ioatham; Mathan genuit Iacob et Iacob genuit Ioseph. Ioatham autem genuit Sadoq et Sadoq Ioiakim; Ioiakim genuit Mariam ex Dina quae erat soror Elisabeth uxoris Zachariae. *Ecce Elisabeth cognata tua:* h. e. soror matris tuae et matertera tua. Sanctus Georgius dicit: Quia Elisabeth instituerat Mariam ut filiam in sanctuario, eo quod ista erat voto oblata, ideo vocata est cognata. Iulianus, volens tollere illud: Maria est e tribu David, ait: Quia dixit: *cognata tua,* ostendit Virginem esse e tribu Levi. Et dicimus: Non omnes qui vocantur cognati ex eadem tribu sunt; ecce enim Paulus Israelitas vocavit[2] fratres suos et cognatos suos, dum non omnes sunt e tribu Beniamin. — *Et hic est mensis sextus ei:* h. e. a decimo die tešrin prioris quum nuntiatum est Zachariae, usque ad

* p. 253.

[1] *Rom.*, IX, 3. — [2] Rom., XVI, 7, 11, 17.

decimum diem nisan quum nuntiatum est Mariae, sex menses sunt secundum menses lunares.

v. 37) *Quia non est difficile Deo quidquam*; h. e. vult vetulam sterilem concipere. Rursus, quae apud nos impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum; si autem nihil est difficile Deo, ergo ille qui conceptus est Deus est qui factus est homo sine mutatione. Illud vero: *Non est difficile Deo quidquam*, non solum creaturas eius pervadit, sed etiam apud ipsum est, quia creaturae eius virtuti eius non resistunt, neque natura eius adversatur voluntati eius; sed quemadmodum promptum est voluntati eius ut omnia, quae vult, fiant in creatione eius, ita facile est etiam virtuti eius ut fiat id quod vult. Et inde creaturae eius et opera eius circumscripta sunt. * Ipse autem non est circumscriptus neque in rebus magnificis, neque in mediis, neque in minimis. Si circumscriptus esset in rebus magnificis, non factus esset homo; si in mediis, non mansisset Deus postquam factus est homo; si in minimis, vivens non mansisset postquam factus est mortuus. Quis enim circumscribit Deum et terminum ei ponit? Qui dicit: Factus est homo nec mutatus est, an qui dicit: Si factus est homo, mutatus est? Rursus, si non factus est homo ne mutaretur, circumscriptus est et infirmus; et si mutatus est cum factus est homo, similiter circumscriptus est et infirmus. Itaque quemadmodum illud: Est, non circumscripsit eum nec prohibuit eum quominus fieret (homo), ita neque illud: Factus est (homo) circumscripsit eum et inclusit eum, aut mutavit eum ab eo quod est. *Quia non est difficile Deo quidquam*, sive in seipso, sive extra ipsum. Etenim si non vult adiuvare homines, malus est; si vult adiuvare et non potest, infirmus est; si non vult ne mutetur, timidus est. Ergo illud: *Non est difficile Deo quidquam*, intellegimus, inquam, in hypostasi eius et in operibus eius, et ideo dicimus: Id est difficile Deo: non adiuvare homines et non salvare eos. Quod si de tribus hypostasibus stricte sumitur, tribus convenit propter aequalitatem naturae earum, quia tres hypostases sunt consummatrices mysterii huius, ut oeconomia secundum carnem communis sit, et sit voluntatis Patris, et operationis Spiritus et incorporationis Filii, quia quum natus est non amisit aequalitatem naturae quam habet cum Patre et Spiritu.

* p. 254.

Itaque angelus, cum sciret omnia facilia esse Deo, dixit: Non est difficile Deo quidquam, sive in ipso dicas, sive in operibus eius.

* p. 255. v. 38) * *Ecce ego ancilla Domini*; h. e. quia proposuit ei potentiam Dei, ipsa ita respondit, et in illa hora dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, h. e. per illud concepit. Ancillam Dei vocavit seipsam, non immemor infirmitatis naturae humanae, propter magnitudinem gratiae divinae quae apud eam effecta est. Quo momento Maria in utero accepit? Nonnulli dicunt: Momento quo dixit ei angelus: Pax tibi, plena gratia; alii: Momento quo dixit ei: Dominus noster tecum; alii: Quum dixit ei: Accipies in utero. Lucas autem non sinit has sententias proferri, quia dixit apud circumcisionem[1]: *Vocatum est nomen eius Iesus, sicut vocatum est ab angelo antequam conciperetur in utero;* et angelus haec verba et explicationes praecedentes Mariae dixit antequam diceret: *Vocabis nomen eius Iesum.* Sin autem contenderint (eam concepisse) tempore quo dixit: *Ecce accipies in utero*, (dicemus): Hac voce *Ecce* mora aliquando supponitur, sicut illud Isaiae[2]: *Ecce Virgo concipiet et pariet.* Alii: (Concepit) quum (angelus) dixit: Spiritus sanctus veniet; neque id sane verum est. Nos autem dicimus: (Concepit) tempore quo dixit: *Ecce ego ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Tempore enim quo consensit et paravit seipsam, eodem Spiritus descendit et virtus Altissimi habitavit (super eam), et ipsa vere concepit. *Et abiit angelus ab ea;* h. e. reversus est a forma (quam acceperat) ad statum suum[3], et absconditus est ab oculis eius.

v. 39) *Surrexit autem Maria illis ipsis diebus;* h. e. quibus angelus nuntiavit ei conceptionem. *Et abiit studiose in montem;* h. e. a Nazareth ivit Ierusalem, quam vocat civitatem Iudae, ut confirmaretur ex opere quod in Elisabeth videbatur sicut angelus ad Elisabeth dixerat; dixit enim[4]: *Etiam Elisa-* * p. 256. *beth concipit filium in senectute sua.* Et videtur * angelum signo quodam misisse illam ad Elisabeth; et patet rem ita esse ex eo quod abiit studiose ut confirmaretur et videret nova quae

[1] Luc., II, 21. — [2] Is., VII, 14. — [3] Ad litt. « non-formam ». — [4] Luc., I, 36.

Deus etiam apud eam fecerat, et gauderet cum ea in solutione sterilitatis eius; quapropter angelus etiam eam nominis cognationis memorem fecit. Profectio Mariae ad Elisabeth figura est humilitatis Domini nostri qui conceptus est in ea; qui, cum esset Dominus, venit ad Iohannem servum suum ut baptizaretur ab eo. Et ipsa iussu Ioseph abiit, quia dixerat ei: Elisabeth gravida est, ibo ut videam rem insolitam; et sivit eam abire, quia ipse quoque id audierat. Verumtamen nondum cognoscebat annuntiationem (Mariae) factam ab angelo. Postquam autem Maria mansit apud Elisabeth tres menses et reversa est et eius conceptio cognita est, Ioseph dubitavit et cogitabat secreto dimittere eam; et apparuit ei angelus qui affirmavit ei conceptionem eius a Spiritu sancto esse.

v. 41) *Exsultavit infans;* h. e. quia cognovit Dominum suum in Virgine conceptum venisse ad se, tribuit ei adorationem sicut legatus regi. Non enim natura fecit eum exsultare, neque id animae rationalis est. Infantes (in utero) commoveri et coarctari aliquando evenit, sicut apud Rebeccam [1]; eos autem prae gaudio exsultare non est naturae. Hic effectum est quod (angelus) dixit Zachariae [2]: *Spiritu sancto implebitur adhuc existens in utero.* Quemadmodum enim in caenaculo Spiritum dedit Apostolis per insufflationem, ita dedit et Iohanni in utero, et propter hoc exsultavit ut Virgo opere conceptionis eius et exsultationis eius firmaretur de verbis quae angelus ipsi loquutus erat. *Et impleta est Elisabeth Spiritu sancto;* h.e. Spiritu quo Dominus noster Iohannem impleverat sicut dixit angelus: *Spiritu sancto implebitur;* et ea, quae angelus secreto Mariae dixerat, Elisabeth prophetice dixit per Spiritum.

* v. 42) *Benedicta tu inter mulieres*; h. e. sicut angelus eam vocavit benedictam inter mulieres; et vaticinata est de conceptione in utero Mariae dum nihil sciebat. * p. 257.

v. 43) *Unde mihi hoc ut mater Domini mei;* h. e. quia per Spiritum cognovit eum, qui conceptus est in Maria, Dominum esse sicut angelus vocavit eum Dominum nostrum. Quod si dum gestatur in utero nec natus est, angelus eum vocavit Dominum nostrum, et Elisabeth Dominum meum, patet eum

[1] *Gen.*, XXV, 22. — [2] Luc., I, 15.

non post nativitatem accepisse honorem et maiestatem et exaltationem et filiationem, sed manifestatum esse et agnitum.

v. 44) *Ecce enim quum incidit vox salutationis tuae;* h. e. ostendit quod propter Spiritum, qui datus est Iohanni a Verbo Deo per salutationem matris eius, infans in utero prae gaudio exsultavit. 5

v. 5) *Et beata quae credidit;* h. e. beata es, o Maria, quae credidisti quia completionem accipient verba quae Dominus loquutus est tibi per angelum. *Illis quae dicta sunt ei a Domino;* h. e. per angelum qui nuntiavit tibi; et haec verba Elisabeth 10 et Mariae ex operatione illius, qui in Maria conceptus erat, fuerunt.

v. 46) *Magnificat anima mea Dominum;* h. e. confitetur et laudat anima mea eum qui magnificavit me et fecit me matrem Filio suo. *Magnificat;* quaeritur: Dominus magnificavit 15 Mariam an ipsa Maria Dominum? Evidens est Dominum magnificasse Mariam. Rursus, illud: *Magnificat,* est sicut illud Scripturae quae dixit [1]: *Date gloriam Deo nostro.*

v. 47) *Et gavisus est spiritus meus in Deo;* h. e. quia ad me descendere fecit Filium suum et servavit me a maledictione 20 illa [2]: *In doloribus paries.*

v. 48) *Respexit humilitatem ancillae suae;* h. e. respexit humilitatem meam et exaltavit me et fecit me matrem Filio suo. Etiam Moyses per humilitatem suam factus est princeps. Et vide quod ancilla humilitate domuit seipsam quum facta 25 est mater Filio eius. *Ecce enim ex hoc tempore beatitudinem [tribuent mihi];* h. e. ex hoc tempore quo Verbum Deum con-

* p. 258. cepi. Et id per prophetiam dixit; ecce enim omnes * generationes terrae tribuunt ei beatitudinem sicut dixit.

v. 49) *Quia fecit apud me magnifica;* h. e. concepi eum 30 sine coniugio et peperi eum servatis signis virgineis. *Ille qui potens est, et sanctum nomen eius;* h. e. quia potens est et omnia potest, fecit apud me magnifica.

v. 50) *Et misericordia eius in generationes;* h. e. misericordias suas super eos, qui opera bona operantur, effundit; et ex 35 istis ipsa accepit suam et aliis transmisit; h. e. quia timuit

[1] Cf. *Ps.* LXVII, 35. — [2] *Gen.,* III, 16.

Deum, (Deus) misericordiam suam apud eam vere multiplicavit.

v. 51) *Fecit victoriam brachio suo;* h. e. potestatem et regnum appellat victoriam. Tempore scilicet praeterito visa 5 est victoria et brachium et potestas Domini in miraculis quae fecit per prophetas; tempore autem futuro per manifestationem Filii eius. *Dispersit superbos;* h. e. tempore praeterito superbos et gloriosos; tempore autem futuro crucifixores.

v. 52) *Deturbavit potentes;* h. e. tempore praeterito reges 10 qui obstiterunt Hebraeis; hoc autem tempore gentiles et Iudaeos et haereticos qui obstiterunt Ecclesiae. *Et exaltavit humiles;* h. e. olim domum Abraham et Isaac; postea apostolos et fideles.

v. 53) *Esurientes saturavit bonis;* h. e. reipsa saturavit et 15 saturat multos; spiritaliter autem saturat eos qui esuriunt virtutes, et in mundo futuro saturabit eos bonis et praemiis. *Divites dimisit;* h. e. eos, qui gloriantur divitiis suis, vacuos fecit et eos illis privavit.

v. 54) *Adiuvit Israel servum suum;* h. e. in Aegypto et in 20 deserto, et quia dedit ei terram promissionis et liberavit eum ab inimicis eius. *Recordatus est misericordiae suae;* h. e. non quasi oblitus esset ea quae dixerat, Maria id notum fecit, sed illud: *Recordatus est,* h. e. adimplevit misericordiam suam et promissionem suam quam promisit Abraham quod ex semine 25 eius Christus oriretur. Rursus, illud quod Deus per misericordiam suam Abraham promisit, quod in semine eius benedicerentur gentes, adimpletum est per duodecim apostolos * et multitudinem Iudaeorum qui crediderunt, sicut etiam promissiones Palaestinae adimpletae fuerunt per Iosue filium 30 Nun, et Caleb.

* p. 259.

v. 56) *Mansit autem quasi menses tres*; h. e. mansit ibi tres menses quo magis firmaretur de eis quae angelus loquutus erat ei, et reversa est quia appropinquaverat tempus nativitatis Iohannis et non decebat Dominum apud servum manere 35 et ministrare.

v. 57) *Ipsi autem Elisabeth advenerat tempus ut pareret;* h. e. sex menses erant ei quum Virgini nuntiatum est, et Virgo tres alios menses apud eam mansit; ergo advenerat tempus ut

pareret. *Et peperit filium;* h. e. sicut angelus dixerat: Elisabeth pariet tibi filium.

v. 58) *Et audierunt vicini eius;* vicini duobus modis dicuntur: boni quidem qui gaudent in bonis vicinorum suorum; mali autem qui e contrario. Hi vero vicini et cognati erant boni, quod notum est ex eo quod gavisi sunt cum illa; vicini autem mali sunt sicut ii de quibus David dicit [1]: *Retribue vicinis nostris septuplum.* — *Et cognati eius;* h. e. contribuli eius et familia eius. *Quod multiplicasset Deus misericordiam suam erga eam* et erga Zachariam; Elisabeth enim sterilis erat.

v. 59) *Et factum est in die octavo venerunt ad circumcidendum eum;* h. e. in die octavo secundum legem. *Et vocabant eum nomine patris sui;* ne deleretur memoria patris eius; secundum morem huius temporis, quo filii unigeniti nomine patrum suorum vocabantur.

v. 60) *Non ita;* etenim non ausa est dicere: Non vocabitur Zacharias, sed: Non ita; sicut etiam Sara virum suum vocabat dominum meum; et id propter verecundiam suam. *Sed vocabitur Iohannes;* operatione Spiritus sancti revelatum est ei.

v. 61) *Non est quisquam in prosapia tua;* vicini eius et cognati eius hoc ei dixerunt cum venissent ad circumcidendum illum.

v. 62) *Et innuerunt patri eius;* h. e. quia clausae erant aures eius. Propter * duo clausus est auditus eius: primum quidem, ne urgerent eum ut scriberet eis quae vidisset sed ut haec secreto servarentur; alterum autem, ne, cum Elisabeth dixerit: Iohannes vocabitur, et Zacharias ita scripserit, dicerent eum ab uxore id audisse, et impositio nominis eius esset Elisabeth, non angeli. Angelus autem clausit auditum eius quia non credidit, et ligavit linguam eius quia cum dubio responderat ei: *Quomodo sciam istud?*

* p. 260.

v.) *Et petiit pugillarem;* h. e. pugillarem vocat tabellam aut tabulam. Alii: Tabellae parvae et nigrae in quibus scribunt plebeii. *Et dixit: Iohannes est nomen eius;* de duobus dubitavit Zacharias propter illud: *Elisabeth pariet tibi filium.* Quomodo erit mihi filius, cum ego sim senex et Elisabeth steri-

[1] *Ps.* LXXVIII, 12.

lis? Quod si contigerit ut sit mihi filius, quomodo vocabo eum Iohannem, nomen quod alienum est a prosapia mea? Et ideo angelus dixit illi: *Silebis*. Verbum non est unum nec dubitatio una, sed de duobus: de illo: *Nascetur tibi filius*, et de illo: *Vocabis nomen eius (Iohannem)*. Si quis obiecerit: Haec duo verba priora sunt illo: *Silebis*; dicemus: Est mos Scripturae ut ponat prima novissime et e converso, quod patet ex syntaxi seu ordine narrationis. Dixit enim angelus: Vinum et siceram non bibet, et deinde: Spiritu sancto replebitur adhuc ipse existens in utero. Quis est qui intelleget eum sic dicere: Quum ablactatus fuisset et fecisset se nazaraeum, reversus est in uterum et impletus est Spiritu sancto secundum modum quem postulat ordo verborum? Sed mos est Scripturae ut primum ponat novissima. Zacharias conatus est ore suo dicere nomen Iohannis nec potuit, quia angelus duo dixerat ei: primum, Vocabis nomen eius; alterum autem: Non poteris loqui donec vocaveris nomen eius Iohannem. Rursus, * in pugillari scripsit nomen eius; quia vetus testamentum scripto inceperat iustum erat ut etiam novum scripto inciperet. In tabulis Moysis decem praecepta erant et in pugillari Zachariae decem litterae, h. e. J, W, Ḥ, N, N, H, W, Š, M, H (id est, Iohannes est nomen-eius). Moyses quidem balbutiebat, Zacharias autem lingua silebat. Scripsitne Zacharias Iohannem tantum, an haec tria membra? Lucas quidem non indicavit, sed putant eum scripsisse haec tria membra: Iohannes est nomen-eius, alioquin nomen Iohannis existimaretur esse Zachariae, non dispensationis divinae; et utrumque reputaretur Zachariae sive scripsisset Iohannem tantum, sive scripsisset: Iohannes vocabitur. Cum autem manus eius scriberet, tunc lingua eius agitabatur et ad ultimam litteram soluta est; et sic scripsit: Iohannes est nomen-eius, h. e. ne interrogetis me de eius nomine quia angelus eum ita appellavit. Nomine novo vocatus est quia praedicaturus erat nova, et novum testamentum plenum est gratia sicut nomen eius. Quare lingua Zachariae nomen Iohannis non appellavit? Et dicimus: Manus scripsit et lingua appellavit illud. Rursus, quia manus propinquior est Iohanni quam lingua; etenim manus quinque digitos habet, et quinque litterae sunt nomini Iohannis; similiter et nomini

* p. 261.

Zachariae. Et Abraham et Isaac et Iacob, qui genus suum traduxerunt, singuli quinque litteras habent in nomine suo. Iohannes interpretatur gratia. — *Et mirati sunt omnes;* h. e. propter nomen novum.

v. 64) *Et continuo apertum est os eius;* h. e. soluta est lingua eius et loquutus est. Tria membra scripsit, sicut supra diximus: Iohannes est nomen-eius, et in fine ultimae litterae, quae est H, soluta est lingua eius. *Et benedixit Deo;* h. e. primum verbum, quod loquutus est: Iohannes est nomen-eius. In Graeco autem quattuor membra sunt, h. e. Iohannes est nomen eius[1]. Et secundum verbum est quo benedixit Deo. Alii: * Primum benedixit Deo, et deinde dixit: Iohannes est nomen eius. Sed quocumque modo verbum se habuerit, Zacharias ex benedictione et gratiarum actione dixit: Iohannes est nomen eius, quia incepit loqui Deo.

* p. 262.

v. 65) *Ista dicebantur;* h. e. quae facta fuerant in nativitate eius, quod lingua patris eius ligata fuerat et soluta, et quod puer vocatus est Iohannes, nomen alienum.

v. 66) *Et manus Domini erat [cum eo];* manum Domini vocat operationem Domini quae comitabatur eum in omni conversatione eius.

v. 67) *Et impletus est Zacharias pater eius Spiritu;* h. e. sicut et Elisabeth, et vaticinatus est de praecone et de praedicando.

v. 68) *Benedictus est Dominus Deus Israel;* h. e. omni gratiarum actione et benedictione dignus est Deus, quia ostendit providentiam suam erga genus nostrum. *Qui visitavit populum suum;* h. e. oculo spiritus vidit (oculos) caecorum aperiri et cetera miracula quae Dominus noster fecit. *Et fecit ei salutem;* h. e. a Satana et morte et peccato.

v. 69) *Et erexit nobis cornu;* h. e. Christum vocat cornu, sicut illud[2]: *Ibi oriri faciam cornu David.* Cornu ex similitudine animalium posuit, quia scilicet cornibus suis pugnant et defendunt seipsa. *In domo David servi sui;* h. e. quia apud eum sunt promissiones: Ex semine David orietur Christus. Severus gabalensis: Deus est cornu iustorum et sanctorum.

[1] Ἰωάννης ἐστίν ὄνομα αὐτοῦ. — [2] *Ps.* CXXXI. 17.

Quare vocatus est cornu? Quemadmodum cornu pars est de toto corpore et non habet quidquam simile corpori — nam carnem determinatam non habet, nec ossa, nec nervos, nec venas, nec quidquam aliud de his communibus, et ex corpore est —, ita et Christus, dum ex hominibus est, nihil habet simile rebus humanis ex eis quae sunt peccati.

v. 70) *Sicut locutus est per os prophetarum suorum sanctorum;* h. e. ex semine David Christus orietur.

v. 71) *Se nos liberaturum ab inimicis nostris;* h. e. * a diabolo eiusque exercitibus, et peccato et morte.

* p. 263.

v. 72) *Et recordatus est testamentorum suorum;* h. e. illud: *Recordatus est,* id est, Adimplevit, h. e. pacta, quae Deus cum Abraham pactus erat, hodie adimplevit. Etenim testamenta eius sunt pacta quae pactus erat cum Abraham, quia iuravit ex semine eius nasciturum esse illum in quo benedicentur omnes gentes [1]: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo propter me.*

v. 73) *Et iuramentorum quae iuravit;* h. e. per memetipsum iuravi, dicit Dominus dominorum. Semen eius quidem, quod hereditaturum est terram inimicorum suorum, vocat filios Israel; semen eius autem eum, in quo benedicentur omnes gentes, Christum appellat.

v. 74) *Et sine timore serviremus coram eo*; h. e. ideo liberavit nos ut serviamus illi, non idolis, nihil timentes a Satana.

v. 75) *In rectitudine et in iustitia;* h. e. in sanctitate, non in sacrificiis animalium mutorum.

v. 76) *Tu puer propheta Altissimi;* h. e. si Christus est Altissimus, etiam prophetas habet sicut Pater suus. Verbum esse Altissimum notum est ex eo quod dixit Iohannes [2]: *Qui de caelo venit, super omnes est.* Ergo Altissimus Deus est qui incarnatus est, et propheta eius est Iohannes, non e longinquo, sed prope; dixit enim [3]: *Ecce post me venit.* — *Ibis enim ante faciem [Domini];* h. e. ut praepares viam coram eo in animabus hominum qui mortui sunt per peccata. Rursus, ivit ante faciem eius quia dixit [4]: *Ecce post me venit qui fortior me est.*

[1] *Gen.*, XXII, 16. — [2] IOH., III, 31. — [3] IOH., I, 30. — [4] MATTH., III, 11.

v. 77) *Ut det scientiam vitae populo suo;* h. e. fidelibus dabit scientiam vitae per remissionem. Populum eius vocat eos qui crediderunt in eum, quibus dabit scientiam Dei Patris, qui est Deus verus, et vitam qua vivant, sicut dixit Christus [1]: *Haec est vita ut cognoscant te esse Deum verum.* 5

v. 78) *Per viscera misericordiae Dei;* h. e. per misericordias et gratiam Dei nostri misit nobis ex alto Orientem iuxta * p. 264. illud [2]: *Ecce * vir et nomen eius Oriens.* Alii: Stellam, quae nuntiavit Magis, vocat Orientem quia ex alto orta est et nuntiavit Magis qui sedebant in peccato. 10

v. 79) *Ad illuminandum eos qui in tenebris;* tenebras et umbras mortis vocat peccatum. Etenim propter hoc venit ex alto ut expiaret peccata et iniquitates nostras, quae sunt tenebrae et mors, quia ipse est lux mundi. *Ut dirigat pedes nostros in viam;* h. e. pedes et viam vocat mores et opera. *In viam* 15 *pacis;* h. e. in viam Evangelii iuxta illud [3]: *Calceate pedes vestros praeparatione Evangelii;* et pacem fecit inter nos et Patrem suum.

v. 80) *Puer autem crescebat;* in duobus crescebat et confortabatur: in incremento naturali, et in virtute Spiritus sancti. 20 *Et in deserto erat;* h. e. cum Magi venissent et turbata esset Ierusalem, Herodes vocavit sacerdotes et inquisivit de Christo, et misit Magos sperans fore ut ad ipsum redirent; cum autem non rediissent, iratus est Herodes in Magos. Unus autem ex iis, qui stabant coram eo, dixit: In vicinitate nostra est puer 25 quidam, filius sacerdotis cui nomen est Zacharias, quem omnes homines testantur esse Christum. Et eodem tempore Herodes misit (ad Zachariam), dicens: Ubi est filius tuus? Et respondit: Domi est. Et dixit: Vade, adduc illum. Unus autem ex adstantibus cucurrit, nuntiavit Elisabeth secreto; ipsa vero 30 continuo accepit Iohannem et abiit in desertum Ziphitarum. Zacharias autem, cum venisset et vidisset quod Elisabeth et filius eius fugissent, timuit ab Herode et ivit et confugit ad cornua altaris. Et (Herodes) misit custodem qui occidit eum inter altare et templum, sicut scriptum est [4]. Alii: Iohannes, 35

[1] Ioh., xvii, 3. — [2] Zach., vi, 12. — [3] *Eph.*, vi, 15. — [4] Matth., xxiii, 35.

operatione divina motus, abiit in desertum ubi mansit annos triginta. Alii: Ideo exivit in desertum operatione Spiritus * ut testimonium eius de Christo confirmaretur, quod non prius viderit eum nec cognoverit eum nec illi fuerit cum eo ulla communitas, quia in deserto habitavit annos triginta. Rursus, exivit in desertum ut, cum veniret et testaretur divina de Domino nostro, crederent ei videntes eum ascetam et nazaraeum et mundanis non occupatum. Biennium et sex menses natus in desertum exivit, quia sex mensibus antecessit nativitatem Domini nostri secundum carnem et Magi Christum invenerunt duos annos natum. Alii: Magi invenerunt Christum sex menses natum, et Iohannes filius unius anni erat quando exivit in desertum. Alii: Magi Christum in pannis invenerunt, et Iohannes natus erat sex menses quando exivit in desertum cum matre sua. Qui autem tenent eum biennium et sex menses natum exiisse, dicunt eum iam didicisse sermonem et linguam. Alii: Ex matre sua didicit; alii: Ex Deo, scilicet: Manus Domini erat cum eo, et e Spiritu sancto didicit. *Usque in diem ostensionis eius;* h. e. missionis et manifestationis eius apud Israel. Ex eo loco Lucas de nativitate Domini nostri secundum carnem loquitur.

* p. 265.

[Caput II]

v. 1) *Factum est autem in diebus illis;* h. e. mense sexto postquam Elisabeth pepererat. *Exiit edictum ab Augusto Caesare;* Augustus est nomen proprium huius regis; Caesar autem nomen commune est, quia usque ad istum omnis rex, qui Romanis praeerat, vocabatur Caesar, sicut rex Aegyptiorum Pharaon, et Persarum Chosroes. Et hic Caesar regnabat super Romanos et Aegyptios et Hebraeos et Syros. *Exiit edictum ut describeretur * orbis terrarum,* quia voluit scire numerum hominum in ditione sua, sicut illud [1]: *Misit David Ioab, et numeravit populum.* Alii: Quia voluit mittere unumquemque ad suam civitatem et regionem; sed vera non dicunt. Vera autem causa est quod voluit pecuniam capitationis exigere; quod notum est ex eo quod Gamaliel dixit in Actibus [2];

* p. 266.

[1] Cf. II *Reg.*, xxiv. — [2] Cf. *Act.*, v, 37.

Surrexit Iudas galilaeus in diebus cum homines describerentur propter pecuniam capitationis. Neque fuit alia descriptio sive ante illam sive post illam. Et Mar Ephraem in quadam homilia [1] hoc testatur. Inter hanc descriptionem Christus natus est; et ipse movit ut rex id faceret, etsi indignus esset, 5
sicut fecit apud Balaam et Magos, ut Ioseph et Maria, cum de Nazareth ad Bethlehem ascenderent, ibi describerentur et Christus ibi nasceretur, et adimpleretur verbum Michaeae [2]: *Tu Bethlehem...*; ne Iudaei contenderent et dicerent: Non est Christus nec est de genere David; ideo illuc ascendit. Anno 10
43 Augusti et anno 33 Herodis natus est. Augustus interpretatur oriens et splendor; Christus autem est splendor Patris et Oriens ex alto. Augustus regnavit tempus LVI annorum; regno autem Christi, quem figuravit, non est finis. Si Caesar propter pecuniam capitationis (populum) descripsit, etiam Chris- 15
tus dixit [3]: *Date quae sunt Caesaris Caesari;* si ut cognosceret homines in ditione sua, etiam Christus de sua erga nos providentia dixit [4]: *Etiam capilli capitis vestri numerati sunt;* si propter reditum uniuscuiusque in suam regionem, etiam Christus animas, quae erant in inferis, eduxit easque in pristi- 20
nam suam patriam redire fecit. *Factum est autem in diebus illis;* non in iis quibus Iohannes crescebat usque ad diem ostensionis suae — in his diebus Christus erat filius triginta annorum —, neque in diebus quibus Elisabeth peperit quia
* p. 267. *hactenus tres menses erant conceptioni Mariae, sed dies hic 25
vocat dies postquam Elisabeth peperit, (id est) sex menses. *Ut describeretur universus populus ditionis eius;* h. e. si Romanus, in regione Romanorum; si Graecus, in regione Graecorum; si Hebraeus, in regione Palaestinae; si Syrus, in regione Antiochiae et Syriae. Tempore huius descriptionis 30
natus est Christus ut describeret nos in caelo apud Patrem suum.

v. 2) *Haec descriptio prima fuit;* primam dicit non de praefectura Cyrini, alioquin plures descriptiones ab Augusto invenirentur, sed primam de regno Augusti dicit, h. e. haec 35

[1] Cf. *Hymn. II in festum Epiphaniae* (ed. Lamy, I, p. 14. — [2] Mich., v, 2. — [3] Matth., xxii, 21. — [4] Matth., x, 30.

descriptio prima est quam fecit Augustus. Et si quis quaerit: Quo tempore facta est? respondendum: Tempore quo misit Cyrinum praefectum in Syriam. Et patet hoc ita esse ex eo quod in codice graeco scriptum est: *Haec descriptio prima*
5 *facta est gubernante praefecturam Cyrino.* Sicut alios praefectos in alias regiones misit, ita istum in Syriam. *Praefectus:* iudex, dux.

v. 3) *Et ibat quisque ut describeretur;* fieri potuisset ut quisque, ubi esset, describeretur; sed oeconomia id fecit ut
10 cogerentur in Bethlehem ascendere et nativitas illic fieret iuxta illud: *Tu Bethlehem...;* iterum, ut per hanc universalem descriptionem omnes nativitatem Christi cognoscerent. Etenim mos est gubernatori omnium ut omnes dispensationes suas et miraculum sive in veteri testamento sive in novo, pro universa
15 congregatione peragat. Quare in Nazareth conceptus est? Quia erat extranea, ut naturam nostram, quae facta fuerat extranea et aliena, * in patriam eius pristinam, Paradisum, reduceret. * p. 268.
Caesar: omnipotens; alii: caput regum aut supremus.

v. 4) *Ascenderat autem Ioseph quoque a Nazareth,* quae sita
20 est in regione Galilaeae, in Bethlehem, quae sita est in regione Iuda. Ascendit autem Maria cum Ioseph, quia mulieres quoque in hac descriptione descriptae sunt, quod patet ex eo quod scriptum est in Harqlensi: Cum Maria sponsa sua, ut illic describerentur. Et videtur quod etiam Christus, praeterea
25 quod natus est, etiam descriptus fuit, sicut dixit Mar Ephraem in quadam homilia [1]: Descripsit et descripserunt eum. Et cum Maria e David orta sit, quare Lucas dixit Ioseph tantum esse de domo David? Quia virum tantum, non mulieres, in serie genealogiarum inscribebant; et quia omnis tribus de tribu sua
30 uxores desponsabat; et praesertim Ioseph, quia iustus erat, id fecit.

v. 5) *Cum Maria sponsa sua*; etenim revelatum est ei ab angelo illam in utero habere de Spiritu; quapropter accipiebat eam secum quocumque ibat. Superius uxorem eius vocavit
35 eam [2]: *Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam*; quia (Ioseph) vexabatur de conceptione sine semine, vocat eam uxorem,

[1] *Hymnus II in festum Epiphaniae* (loco supra citato). — [2] MATTH., I, 20.

scilicet: persuasum habeas me illam hoc nomine non vocavisse nisi pura esset; hic autem sponsam eius vocavit illam. Maria erat filia parentum qui liberos numquam genuerant, et voverunt se, si prolem haberent, daturos esse illam Domino. Et cum nata est Beata, ducta est in templum post ablactationem suam; 5 et post mortem parentum suorum cum mulieribus in templo ministrantibus conversabatur sub tutela Zachariae et Elisabeth materterae suae seu sororis matris suae. Et cum attigisset aetatem duodecim annorum, quia prohibitum erat menstruantem in templo manere, Zacharias duces familiarum Iuda convocavit 10 ut videret quis accepturus esset Mariam. Et cum tanquam ad sortitionem * baculos suos in arcam misissent, evenit ut baculus Ioseph exiret; et cum excusaret se propter paupertatem et onus alterius uxoris filiorumque, similitudine columbae evolavit de Beata et consedit in sinu Ioseph qui cognovit id esse 15 digiti Dei, et duxit eam in domum suam ut Mariae, uxori suae, curae esset, non ut cosponsa sed ut filia. Et eodem anno facta est annuntiatio Virgini. Ioseph autem habitavit cum Maria sponsa sua XIV annos sicut generi Lot qui in domo eius habitabant[1]. Rursus, mos erat veteribus ut servarent mulieres 20 tribus annis et deinde cum eis coirent, ut per hoc ostenderent se non libidine superatos esse sed ad procreandos liberos coivisse.

* p. 269.

v. 6) *Impleti sunt dies eius ut pareret:* h. e. novem menses gestationis. Pars operis supernaturalis fuit, quia conceptus 25 est sine semine et natus est servatis signis virgineis; pars naturalis, quia natus est ex muliere; et pars secundum consuetudinem, quia natus est post novem menses. Per illam quae est supernaturalis cognitus est Deus secundum naturam suam, et per illam, quae est naturae et consuetudinis, cognitus est homo 30 factus sine mutatione.

v. 7) *Et peperit filium suum primogenitum*; tres nativitates perfecit Verbum in oeconomia sua secundum carnem: primam, natus est ex Virgine et factus est caro, sicut dixit Iohannes; secundam, ex baptismo, h. e. ex homine corporeo 35 natus est spiritalis et ex conversatione legali natus est ad

[1] *Gen.*, XIX, 14.

conversationem novi testamenti; tertiam, natus est ex resurrectione, h. e. ex mortalitate ad immortalitatem et ex vita huius mundi ad vitam mundi futuri. Scriptura primogenitum appellat eum qui aperit vulvam, non eum post quem fratres nascuntur; non enim natus est post eum alius. Rursus, hoc patet ex * eo quod post dies quadraginta illa, quae peperit, sacrificium offert sicut praeceptum est in lege, sive rursum sint fratres, sive non sint. (Christus) quattuor modis dicitur primogenitus: primogenitus ex Maria, sicut aperiens vulvam matris suae; primogenitus omnium creaturarum, quia est primogenitus secundum naturam suam; — cum natus esset e Patre ab aeterno, in fine temporum natus est ex Maria secundum carnem, et cum esset consubstantialis Patri, vere factus est filius Mariae quia ex ea incarnatus est; rursus, primogenitus omnium creaturarum, h. e. per eum creatae sunt, et notum est ex eo quod apostolus post illud subiunxit [1]: *omnia quae in caelo et in terra;* — primogenitus in multis fratribus [2]; h. e. quia facti sunt ei fratres ex baptismo; primogenitus ex mortuis [3]; h. e. ipse primus surrexit ad incorruptionem et immortalitatem. — *Et involvit eum fasciis,* h. e. pannis et linteis quibus infantes involvuntur. In se suscepit fasciis involvi quia sunt index peccatorum nostrorum seu veteris hominis quem affixit cruci suae — quemadmodum in se suscepit nasci, ita involutus est fasciis —, et ut in seipso ostenderet paupertatem quam praecepit discipulis [4]: *Ne possideatis duas tunicas.* — *Et reclinavit eum in praesepio,* ut genus hominum, qui tanquam iumenta et animalia facti erant, ad se converteret ac cibaret cibo vitae, sicut dixit [5]: *Ego sum panis vitae.* Praesepium autem est figura et similitudo sepulcri Filii. *Quia non erat locus;* h. e. propter multitudinem tribus Iuda quae illuc ob descriptionem ascenderat.

v. 8) *Pastores autem erant in ea regione;* h. e. in viciniis pascebant gregem, et secundum consuetudinem cum fistulis et tubis custodiebant eum. *Et custodiebant custodias noctis;* custodiam vocat unam noctis partem qua pastores custodiunt (gregem), * quia solent dividere noctem in horas et intervalla

* p. 270.
* p. 271.

[1] *Col.*, I, 15-16. — [2] *Col.*, I, 18. — [3] *Col.*, I, 18. — [4] MATTH., X, 10. — [5] IOH., VI, 35.

iuxta numerum suum, et ternas aut quaternas horas appellant custodiam. Nocte natus est Dominus quia mundum nocte creavit, et nocte surrexit a sepulcro, et nocte faciet resurrectionem universalem; et duas noctes solvit, noctem peccati et noctem defectus lucis, quod notum est ex eo quod nocte ac tempore quo lux a tenebris aufertur, (Deus) ordinavit ut nasceretur.

v. 9) *Et ecce angelus Dei venit ad eos:* quare angelus, non autem seraph nec cherub, nativitatem eius annuntiavit? Quia etiam ipse est Angelus magni consilii Patris [1]. Gabriel angelus est qui apparuit pastoribus. Nativitas eius primum a pastoribus cognita est quia figurant apostolos et pastores Ecclesiae. Rursus, pastores nativitatem agnorum naturalium primi cognoscunt ante alios homines, et hic est Agnus Dei. *Et gloria Domini illuminavit eos;* h. e. illuminavit cogitationes eorum simplices. Gloriam vocat lucem eximiam quae illuxit eis, quae magis quam sol fulgebat, ad indicandum eum, cuius nativitas nuntiatur, esse lucem mundi et splendorem iustitiae. Rursus, gloriam vocat angeli nitorem qui affulsit eis. Et gloria non solum ab extra affulsit eis, sed et corda eorum intus illuminavit quum cogitationes eorum simplices, quae interiores sunt, luce scientiae implevit ut intellegerent verba angelorum. Rursus, docet gloriam Domini illuminare animas pastorum qui nocte ac die greges suos diligenter servant a lupis spiritalibus, haereticis et gentibus. *Et timuerunt timore magno*; similiter et Daniel, cum vidisset angelum, dixit [2]: *Sinus meus factus est ad interitum* * *prae timore*; et etiam pastores propter timorem paene mortui erant; ideo gloria Domini illuxit eis ut confortarentur. Propter quid timuerunt? Et dicimus: Quia nox erat, et desertum, et terra solitaria erat, et inanis et vacua; praeterea, quia non assuefacti erant revelationibus divinis.

* p. 272.

v. 10) *Ne timeatis*; timorem quidem abstulit ab eis ut cum animo forti verba ipsius reciperent. Ita enim fecit erga Zachariam, et Virginem, et mulieres apud sepulcrum. *Ecce enim annuntio vobis gaudium magnum*; h. e. non parvum. *Universo mundo;* h. e. non uni parti creaturarum, sed omnibus.

[1] Is., IX, 6 (Hex.). — [2] Cf. Dan., X, 8

v. 11) *Natus est enim vobis hodie Salvator;* h. e. dixit Filium natum esse non sibi, sed nobis ipsis; quia in hac nativitate ex Virgine natus est nobis, in illa autem nativitate ex Patre natus est sibi et pro se. Rursus, *vobis*, non: nobis, quia non liberavit a Satana et peccato nos angelos, sed homines. Verumtamen angeli quoque commodum perceperunt ex hac nativitate, quia consequuti sunt ut permaneant in opere bono, et didicerunt et cognoverunt multa quae nesciebant, sicut Apostolus dixit [1]: *Innotuit multiformis sapientia Dei principatibus.* — *Hodie*, h. e. hodie dixit ut hanc nativitatem ab illa, quae ex Patre est, distinguat. Et [2]: *Hodie si vocem eius audieritis,* h. e. in hoc mundo. Heri significat « ante initium mundi »; hodie « hunc mundum ab initio usque ad finem eius »; cras, « post finem mundi ». Et ideo dicens: *Hodie natus est,* significavit: natus est vobis hoc tempore Salvator qui salvabit vos, non sicut Moyses et Iosue, sed Dominus et Deus secundum naturam suam, qui factus est homo per bonitatem suam; et salus quam fecit, sublimior est, quia per humilia nos salvavit. Salus quidem antiqua fuit cum excelsis, sicut plagae quas adduxit super Aegyptios * et populum liberavit, et liberatio a Babylone per Zorobabel; salus autem praesens est quod, quum Deus esset, natus est secundum carnem, et per suam crucem mortemque suam nos liberavit. Quare absque carne [3] non redemit nos, et non fecit nos filios per nativitatem suam a Patre? Et dicimus: Potuisset id facere, sed natura nostra non potuisset sustinere. Rursus: In hac nativitate potentiam suam notam nobis fecit quia quum esset Deus factus est homo sine mutatione, et liberavit nos a morte, diabolo et peccato. *Salvator, qui est Dominus Christus.* Non dixit: Erit Dominus, sed: Est. Quod si Dominus est, — aperte manifestus est esse Dominus — ergo necessario Deus est, ex eo quod dixit David: *Non est deus praeter Dominum.* Itaque si est Dominus quanto magis Salvator est, quia nomen « Dominus » sublimius est quam nomen « Salvator »; etenim vocatus est Dominus propter dominium suum et naturam suam divinam. *Natus est vobis Salvator*; non puer qui est Dominus et Salvator, sed Dominus

* p. 273.

[1] *Eph.*, III, 10. — [2] *Ps.* XCIV, 8. — [3] Ad litt.: « in quantum Deus ».

et Salvator qui factus est puer; non pauper in quo divitiae absconditae sint, sed dives qui visus est pauper. *In civitate David*; h. e. in Bethlehem, ut cognosceretur ipse esse Christus quem prophetae in spiritu vaticinati sunt oriturum.

v. 12) *Et hoc vobis signum*; non puerum appellat signum, sed: Hoc vobis signum est quod hodie natus sit vobis Salvator qui est Dominus Christus; et invenietis eum esse puerum involutum fasciis. Eum quidem vocat Dominum et Salvatorem et puerum; et quum vult revelare opulentiam Salvatoris et Christi et Domini, ostendit paupertatem eius eo quod sit puer. Huic rei simile est quod de eo qui passus est confitemur eum esse impassibilem; et quum audimus eum mortuum esse, confitemur eum esse immortalem, et quae exinanitioni congruunt.

*p. 274. *v. 13) *Et repente visi sunt cum angelo multi exercitus;* visi enim sunt cum angelo angeli, ut sint hominibus huius nativitatis annuntiatores et Deo glorificatores. Rursus, quia pastores dubitaverunt de iis quae dicta sunt, repente exercitus multi visi sunt: primum quidem in signum quod posui vos; alterum autem, de caelo visi sunt ad significandum eum, qui natus est, caelestem esse eumque fideles invitare et vocare ad caelum. Rursus, ut simile sit initium eius oeconomiae ipsius fini; etiam in ascensione angeli glorificaverunt sicut glorificaverunt in nativitate eius.

v. 14) *Gloria Deo in excelsis:* h. e. Deum hic Patrem vocat. Et angeli dederunt ei gloriam pro hominibus qui spreverunt gloriam eius. *In excelsis*: h. e. Gloria Deo qui habitat in excelsis; aut: Gloria Deo a millibus et myriadibus quae sunt in excelsis angelorum; iustum est ut regio, quae prior est cognitione, prima laudet. Alii: *Gloria Deo,* h. e. Filium, qui natus est, Deum appellavit; et notum est ex eo quod (Filius) dixit[1]: *Glorifica me ea gloria quae erat mihi apud te.* Et angeli dederunt ei gloriam quia intellexerunt mysterium: eum, cum esset Deus, factum esse hominem. Et illud quod dixerunt: *In excelsis,* h. e. dum videbant eum in terra credebant eum esse in excelsis; et dum est in praesepio ubique est infinite. Et quia pastores et Ioseph et Maria non intel-

[1] Ioh., XVII, 5.

lexerunt gloriam eius in humilitate absconditam, h. e. in puero et spelunca et praesepio, angeli dederunt ei gloriam ad indicandum eum, qui laudatur, maiorem esse suis laudatoribus et Dominum eorum esse. Alii: *Gloria in excelsis;* h. e. gloria. doctrina adorationis unius Dei, et reprobatio daemoniorum et idolorum et sacrificiorum eorum. * *Et super terram pax*; quia plena erat inimicitia et ira propter transgressionem, dum angeli hic Christum vocant pacem. Etenim per eum cessavit bellum hominum cum Deo propter transgressionem, et ipse fecit reconciliationem inter nos et angelos, et inter populum et gentes, et inter animam et corpus; haec quattuor bella Christus, qui est pax, cessare fecit. Rursus, pax super terram, h. e. doctrina immortalitatis quae toti generi mortalium donatur. *Et spes bona hominibus,* quia desperabant; nunc autem spes data est eis. Rursus, *spes*, h. e. quia bona ad effectum nondum perducta sunt; sunt autem in pignore et in spe. Graecus: In hominibus beneplacitum seu bona voluntas, h. e. quia Patri placuit Filium suum incarnari. Tribus vicibus angeli gloriam hanc clamaverunt; sicut Seraphim ter clamant: Sanctus, ita et angeli haec tria verba gloriae ter dixerunt.

* p. 275.

v. 15) *Et factum est ut, cum discessissent ab eis angeli;* h. e. in caelos spiritales et sublimes, ubi habitant, abierunt ut ostenderent se ideo ad terram descendisse ut haec bona hominibus nuntiarent. Angelus autem non abiit cum pastoribus ad ducendum illos, ut, cum circumirent in Bethlehem de domo ad domum quaerentes: Ubi est Salvator, sicut angelus dixit nobis? implerent Bethlehem nuntio eius. Dum absconditus erat, stella aut ignis, qui erat in anfractu seu spelunca, fuit eis dux. *Loquerentur pastores unus cum alio;* h. e. sermonem vocat illud: Natus est vobis hodie Salvator Dominus. *Proficiscamur usque Bethlehem;* h. e. illo *profisciscamur*, intellegimus quod gregem suum secum duxerunt; non enim poterant *relinquere gregem quin disperderetur. *Et videamus sermonem istum;* h. e. Natus est vobis Salvator, sicut Dominus indicavit nobis, h. e. per angelos suos.

* p. 276.

v. 16) *Et venerunt festinanter;* h. e. prae gaudio suo non manserunt usque mane, sed nocte venerunt. Ignem quidem viderunt in spelunca, et propter splendorem eius venerunt, et

cum ingressi essent speluncam homines congregati sunt, et venerunt ad eos, et mirati sunt super verbis eorum. *Super omnibus quae audierunt;* h. e. Salvator natus est vobis; et attulerunt tria munera: carnem quidam tanquam Iosepho, lac autem tanquam Mariae, laudationem tanquam Deo qui natus est. *Et invenerunt Mariam et Ioseph et puerum,* sicut dixerat eis angelus: Hoc vobis signum, invenietis puerum involutum.

v. 17) *Notum fecerunt sermonem istum qui dictus fuerat;* h. e. puerum esse Salvatorem et Dominum, aut etiam omnia verba quae angeli loquuti fuerant eis, et gloriam qua glorificaverant.

v. 18) *Et omnes qui audierunt mirati sunt super iis quae dicebantur;* unde convenerant ut audirent pastores? Pastores clamoribus suis excitaverunt homines et venerunt; aut manserunt usquedum illucesceret, aut clamores angelorum excitaverunt eos. *Et mirati sunt,* h. e. quia non potuerunt videre gloriam absconditam. Rursus, mirati sunt verba terribilia; nam si potuissent videre gloriam mysterii illius absconditi, non mirati essent verba pastorum. Gloriam Dei in carne revelati non vident nisi mentes a Spiritu sancto illuminatae.

v. 19) *Maria autem conservabat omnes sermones,* h. e. quos dixerat angelus qui nuntiavit ei, et eos quos audierat ab Elisabeth et a pastoribus, et conferebat unum cum alio, et intellexit omnes alterum cum altero congruere.

v. 20) *Et reversi sunt pastores;* h. e. eadem nocte quidquid viderant et audierant ab angelis narraverunt *omnibus qui erant in Bethlehem, et continuo reversi sunt. *Glorificantes ac laudantes:* alleluia clamabant, h. e. gloriam Enti supremo propter omnia quae viderant et audierant.

v. 21) *Et cum impleti essent dies octo ut circumcideretur puer:* praeputium quidem est cutis et caro obducens membrum virile tanquam operimentum quoddam, et circumcisio est abscissio huius carnis. Rursus, circumcisio est nota et sigillum et signum quoddam et character impressus qui ponitur in membro virili, sicut dixit ad Abraham[1]: *Ut sit signum foederis inter me et vos;* et Paulus[2]: *In signum enim accepit circum-*

[1] *Gen.,* XVII, 11. — [2] *Rom.,* IV, 11.

cisionem, et sigillum. Duae circumcisiones sunt: una carnis, altera cordis e quo abscinduntur malitiae; et duo sunt praeputia: unum corporis et alterum peccati quod cor obducit. Quot dies nato iussum est ut fieret? Nato octo dies. Et primum
5 data est Abraham cum esset nonaginta novem annos natus, et Ismael tredecim annos. Et statuit cum eo foedus per sanguinem qui ex eo fluxit, sicut testamenta quoque in sanguine data sunt: illud primum in sanguine animalium, et hoc secundum in sanguine Filii Dei. Et ad confirmationem foederis dedit cir-
10 cumcisionem ut pater esset multitudini gentium sicut scriptum est. Rursus, dedit illam ut esset signum custodiens fidem eius quam in praeputio habuit, et ostendens eum, non cum circumcisus fuisset, credidisse, sed cum esset incircumcisus, ad indicandum omnes incircumcisos, qui in Deum credunt, sicut
15 Abraham iustificari. Rursus, dedit circumcisionem velut signum quo distinguerentur a gentibus idololatris, sicut oves quae signantur, et quemadmodum dedit nobis baptismum quo distinguamur a non baptizatis, sicut dixit Mar Ephraem in Hymno Epiphaniae[1]: « Per signum primum separavit populum
20 a gentibus; per signum secundum *separavit gentes ab illo. » * p. 278.
Circumcisio baptismum figurat, et a circumcisione carnali profecimus ad spiritalem. In die octavo circumcidebatur homo, significans se respuere vetustatem mundi huius, quia praeputium hunc mundum figurat; et notum est ex eo quod Deus
25 praecepit eum, qui nascitur, septem illis diebus immundum a lege reputari dum praeputium quod manebat cum eo[2] alterum mundum figurabat, unde iussit circumcisionem die octavo fieri. Novus enim est dies octavus cum comparatur cum his septem diebus quibus hic mundus volvitur, quia cum his
30 septem diebus eum praecedentibus non numeratur, et non est alius post eum. In die octavo circumciditur, quia in die octavo una stabiliendum est quidquid prius fuit. Etiam Gregorius dicit[3]: Dies octavus mundum novum figurat, et in die octavo, qui est typus mundi novi, revelanda sunt velamina operum

[1] *Hymnus* III (ed. Lamy, t. I, p. 30). — [2] Cf. *Lev.*, XII, 2. — [3] Cf. quoad sensum GREG. NYSS., *In Sextum Psalmum, et in Psalmorum inscriptiones,* tract. II, cap. XI (*Patr. gr.*, t. XLIV, col. 548).

omnium hominum, sive bona sint, sive mala; etiam circumcisio est velamen quod amovetur. — In die octavo Dominus noster surrexit et dixit [1]: « *Ite, docete et baptizate* », quoniam baptismus exemplar est circumcisionis. Et in eodem die vocant ei (puero) nomen, quod notum est ex illo Iohannis [2]: *In die octavo venerunt ad circumcidendum puerum et vocabant eum nomine patris sui*; et de Christo scriptum est [3]: *Impletis octo diebus ut circumcideretur, vocatum est nomen eius Iesus.* Verumtamen nonnulli dicunt: Una cum circumcisione etiam nomen (novum) vocandum erat, v. gr. quum Abram circumcisus est, vocatus est Abraham. Sed hoc non est verum, quia Abraham Ismaelem et vernas suos circumcidit [4] nec vocati sunt aliis nominibus. Sed dicimus: Ut cum circumcisione, quae est signum foederis, nomen circumcisi introducitur, nec * nomen ante foedus Dei venit, ita etiam apud nos cum baptismo nomen vocatur. Rursus, non decebat nomen masculino imponi ante diem circumcisionis, quia Deus nolebat denominationem inveniri homini veteri, nam hi septem dies vetustas sunt.

p. 279.

Quare in hoc membro (virili) institutum est signum? Potuisset signum in aure institui, sicut illud [5]: *Servo, qui non voluerit liberari, perfora aurem*, aut in manu, iuxta illud [6]: *Inscribet manus eius « Domino »*; aut inter oculos, sicut mos est gentibus ut, quum moritur aliquis qui est dux eorum, characteres quosdam et litteras scribant inter oculos suos vel parum ex auribus suis praescindant. Et dicimus: In membro genitali instituta est quia membrum Abraham, quod senio confectum erat, renovatum est sanguine circumcisionis, ut fecunditas membri Abraham bonitati Dei adscriberetur, non Abraham qui vetus et senex factus erat. Rursus, quia Deus foedus cum Abraham et semine eius statuerat, et Abraham quidem praesens erat, semen eius autem nondum existebat, ut foedus cum semine eius inciperet, Deus signum circumcisionis convenienter instituit in membro e quo deducendum erat semen eius, ut hoc praesens membrum esset in locum seminis eius quod absens erat et pro eo. In membro genitali instituta est circumcisio ut renovaretur membrum Abraham quod senio confectum

[1] Matth., xxviii, 19. — [2] Luc., i, 59. — [3] Luc., ii, 21. — [4] Cf. *Gen.*, xvii, 22. — [5] Cf. *Deut.*, xv, 17. — [6] Is., xliv, 5.

erat. Et quia pudor primus, qui propter peccatum ingressus erat, in hoc membro incepit, quod notum est ex eo quod acceperunt folia ficus et nuditatem suam operuerunt, ideo in hoc membro institutum est signum quia ablatus est pudor transgressionis.

Haeretici et gentiles dicunt: Si Christus circumcisus est, quare vos non circumcidimini? Christus circumcisus est, non ut commodum ex circumcisione acciperet nec ut iustificaretur * sacrificiis quae obtulerunt, sed tantum circumcisus est ut ostenderet se esse Filium Dei qui corpus induit, et esse datorem legis et circumcisionis, non autem alienum ut dicunt haeretici. Rursus, data est in die octavo ut solveretur sabbatum eiusque observantia, et in hoc die lex circumcisis imponebatur sicut supra diximus. Sacerdotes dicebant: In nomine Dei Abraham et Isaac et Iacob circumciditur talis, sicut et nos dicimus: Baptizatur talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quemadmodum enim Iohannes circumcisus est quamvis id non aperte scriptum sit, ita et Christus octavo die circumcisus est ut totam legem pro nobis custodiret. Etiam Paulus dicit Iesum Christum ministrasse circumcisioni[1]. Ioannes, exponens illud Pauli, ostendit eum circumcisum fuisse, et Cyrillus, interpretans Lucam, scripsit Christum circumcisum fuisse. Erubescant ergo Armeni, fautores Iuliani Phantasiastae, qui dicunt eum non circumcisum fuisse, sed cutem ei incisam fuisse et nihil ex eo abscissum fuisse, quum dicunt: Incidebant primogenitos absque abscissione et alios circumcidebant; pudeat iniquos ob vanam suam interpretationem. Ecce enim Ismael primogenitus fuit Abraham, nec scriptum est incisionem tantum membro eius factam fuisse, sed eum, sicut patrem suum Abraham, circumcisum esse. Ergo Christus vere circumcisus est, non propter se, sed propter nos ipsos, ut vetustatem generis nostri renovaret, sicut in circumcisione removetur velum hominis veteris quod cor obducit. Sed Armeni, et Phantasiastae cum eis dicunt: Ubi servatum est praeputium Christi? Et dicimus: Qui omnia tenet, ipse illud, ubicumque fuerit, absque corruptione servavit, sicut et ignem in puteo per annos

* p. 280.

[1] *Rom.*, XV, 8.

* p. 281. septuaginta servavit [1]. * Servatum est autem cum Maria matre eius ubicumque ea degebat. Et quia non erat e semine viri, corruptum non est, sed unitum erat divinitati eius, quemadmodum in cruce divinitas unita erat animae et corpori cum unum ab altero separata essent; nec corruptum est quia unitum erat divinitati eius infinitae. Et cum surrexisset a sepulcro adduxit et assumpsit illud et corpori suo perfecte univit. Iustitiam autem absque circumcisione excultam fuisse accipe in argumentum Seth et Enos et Henoch et Melchisedech et Noe et ceteros. Christus vero, quum baptizatus est, abolevit circumcisionem sicut abolevit sacrificia per sacrificium suum in cruce.

v. 22) *Et cum impleti fuissent dies purgationis eorum.* Sanctus Philoxenus et Mar Ephraem, qui tenent corpus praecedere animam, dicunt: Masculus, post quadraginta dies, perficitur et figuram humanam accipit, et deinde anima in eo creatur; femina autem post octoginta dies membris coagmentatur et tunc anima in ea creatur. Masculus quidem, quia in latere dextero, quod calidum est, plasmatur, figuris celeriter perficitur; femina autem in latere sinistro, quod humidum est et infirmum, serius figuris perficitur. Et argumentum adducunt ex eo quod illa, quae pepererat masculum, per quadraginta dies (immunda) manebat post partum, quia carnem mortuam, in qua anima non erat, per quadraginta dies in utero portaverat, et caro mortua immunda est secundum legem, dum illa, quae feminam pepererat, per octoginta dies (immunda manebat) quia carnem mortuam gestaverat, et deinde purificabatur et in sanctuarium ingrediebatur. — Alii: Mulier pariens masculum ideo quadraginta diebus (immunda) manet quia sanguis eius quadraginta diebus fluit; illa autem, quae feminam parit, octoginta diebus. Sed duplicati sunt ei (dies), XL et XL, qui sunt octoginta, propter peccatum Hevae quod duplo maius erat

* p. 282. * peccato Adam, quia ipsa consilium accepit et comedit de fructu; quia Adam non deceptus est, Heva autem decepta est, ideo duplicata est ei poena, id est, XL et XL, et tunc in tabernaculum ingressa est. — *Dies purgationis eorum*; h. e. purificationis eorum. Quadraginta dies quibus Maria post partum

[1] Cf. II *Mac.*, I, 19.

mansit (immunda) vocat dies, et sermonem plurali numero posuit loquens de Maria et Iesu. Maria quidem legem implevit; Iesus autem, etsi nihil debebat, subiecit se legi propter nos ipsos. *Adduxerunt eum in Ierusalem ut sisterent eum;* h. e. expletis 5 quadraginta diebus post nativitatem suam stetit coram Domino secundum carnem ut naturam nostram Domino sisteret. Rursus, post quadraginta dies ieiunii vicit tentatorem et expulit concupiscentiam quae naturam nostram transgressione polluerat; rursus, quadragesimo die postquam surrexit ascendit 10 in caelum et nos omnes in caelum secum in virtute ascendere fecit.

v. 23) *Omnis masculus aperiens vulvam;* h. e. masculi, qui in lege offerebantur Deo, vocabantur sancti; Ipse autem non ita est, sed sanctus est in natura sua, sicut dixit angelus[1]: *Is* 15 *qui nascetur in te sanctus est.* Rursus, primogenitus aperiens vulvam offerebatur Domino; ipse autem non solum non aperuit vulvam matris suae, sed sine coniugio conceptus est. *Omnis masculus aperiens vulvam*, h. e. primogeniti qui nascuntur in mundo ex copula nascuntur, et patres eorum, 20 non ipsi, aperiunt vulvam matrum eorum; Iesus autem de Spiritu conceptus est verbo angeli quod auris audivit, et ipse vulvam aperuit qui ab intus foras exivit clausis vulvae ianuis; et quemadmodum Adam primus ex terra virginea est, ita Iesus ex Virgine sancta.

25 v. 24) *Par turturum aut duos pullos columbae*; h. e. post *quadragesimum diem mulier in sanctuarium veniebat habens * p. 283. agnum aut duos pullos columbae aut par turturum, unum pro peccatis et alterum pro holocausto. Dominus autem turtures obtulit, quia vocandus erat turtur iuxta illud[2]: *Vox turturum* 30 *audita est in terra nostra*; et etiam columbam, quia Spiritus in baptismo descensurus erat super eum in forma columbae. Haeretici autem dicunt: Non convenit Verbo Deo illud: Impleti sunt dies, etc., neque illud: Ascendit in templum et obtulit sacrificia. Et dicimus: Nisi incarnatus esset non convenirent, sed quia 35 exinanivit semetipsum et incarnatus est iuxta illud[3]: *Verbum caro factum est*, et[4]: *Misit Deus Filium suum,* ideo secuta sunt

[1] Luc., i, 35. — [2] *Cant.*, ii, 12. — [3] Ioh., i, 14. — [4] *Gal.*, iv, 4.

cum haec naturalia: fieri quidem, et incrementum in utero et nativitas, et etiam haec legalia, circumcisio et purificatio et ascendere in templum et offerre sacrificia. Et haec fecit ad emendationem priorum; quia tulit haec naturalia, res naturae renovavit, et (tulit) legalia ut nos a servitute legis liberaret; 5
et quia circumcisus est et purificatus est, liberavit nos a circumcisione et sacrificiis et victimis legalibus et a purificationibus per sanguinem animalium, et haec omnia pro nobis adimplevit. Quod si scandalizantur in eo quod ipse circumcisus est et sacrificia obtulit, ergo etiam in incarnatione scan- 10
dalizari debent, nam propter nos inhumanatus est et stetit coram Domino. Nihil enim novi fecit, sed illud, propter quod venit, mirabile est; prodigium magnum et novum est Deum incarnatum esse et adimplevisse legem. Etiam Isaias[1] incarnationem vocat rem novam: *Creabit Dominus rem novam super* 15
terram.

v. 25) *Vir quidam erat in Ierusalem, cuius nomen erat Simeon;* nonnulli dicunt: Hic est Simeon, filius Iosue, filii
* p. 284. Iosedech[2], cuius in diebus captivi a * Babylone ascenderunt, et vixit quingentos annos donec vidit Christum. Alii: Hic 20
Simeon vir iustus erat, et descendit cum captivis et desperabat reditum; et facta est ei revelatio et in vivis mansit a diebus Ieremiae et Iosiae regis usque ad Christum ad annos quingentos septuaginta. Alii: Hic Simeon filius erat Oniae[3], principis sacerdotum, et pater Iesu Siracidis qui composuit 25
librum, et alligatus est a Spiritu annis ducentis novemdecim. Alii: Princeps sacerdotum erat, et cum legeret Isaiam et venisset ad hunc locum[4]: *Ecce Virgo concipiet et pariet*, dubitavit ac dixit id non posse fieri, et statim alligatus est ne gustaret mortem donec id fieret. Alii: Unus erat e septuaginta duobus 30
interpretibus, et cum librum Isaiae iussu Ptolemaei in Aegypto de lingua hebraea in graecam verteret, dubitavit num Virgo posset concipere et parere, et alligatus est annis ducentis septuaginta octo usque ad Christum. Alii: Ideo alligavit eum Spiritus ut esset praeco Christo et praedicaret de eo, ut cre- 35

[1] Sic codex; IER., XXXI 22. — [2] AGG., I, 1. — [3] II *Mac.*, III, 1. — [4] IS., VII, 14.

deretur esse Deus non solum e miraculis suis sed et e praeconibus, id est, Gabriel et Zacharia et hoc Simeone. Alii: Ideo alligavit eum Spiritus propter rectitudinem et iustitiam eius, h. e. ut videret Christum qui retribueret ei. *Exspectabat consolationem Israel;* h. e. Christum qui est consolatio Israel et omnium populorum, aut hoc dicit: Offerebat Deo petitionem Israel. *Et Spiritus sanctus erat super eo;* h. e. per revelationes Spiritus quae fiebant ei.

v. 27) *Et ipse venerat per Spiritum in templum;* h. e. Spiritus, qui alligaverat eum ne prius moreretur quam vidisset Christum, revelatus est ei et movit eum hoc tempore ut in * templum veniret. *Et cum introducerent parentes Iesum puerum;* mos erat sacerdotibus ut primogenitos, qui Deo offerebantur, in ulnas suas susciperent; et ideo Spiritus Simeonem movit qui in templum veniret; et distinxit Iesum ab aliis pueris et agnovit eum et suscepit eum in ulnas suas et praedicavit de eo. * p. 285.

v. 28) *Et benedixit Deo;* haeretici dicunt: Patri benedixit. Nos vero dicimus: Sive Patri sive Filio eius, quem portabat, haec verba dixit, utrumque verum est. Quod Patri benedixerit, omnes confitentur; quare non confitentur Iesu benedixisse? Si non [confitentur solum] quia Lucas dixit eum benedixisse Deo, ecce Paulus, magister Lucae, Christum vocavit Deum super omnia [1]. Si quia Simeon vocavit seipsum servum, ecce Paulus quoque in epistula servum Iesu vocavit seipum [2]. Si quia vocavit eum Dominum meum et puerum, ecce angelus eum vocavit Dominum dicens [3]: *Natus est vobis Salvator Dominus.* Si quia rogavit a vita dimitti, ecce ipse Filius potestatem habet in vitam et mortem; suscitavit enim Lazarum et filium viduae. Si quia dixit: *Ecce viderunt oculi mei gratiam tuam,* ecce Zacharias dixit [4]: *Fecit gratiam suam cum patribus nostris.* Si quia vocavit eum Lumen, ecce Isaias dixit [5]: *Populus sedens in tenebris lumen vidit,* et ipse appellavit seipsum lumen [6]: *Ego sum lumen mundi.* Ergo verba Simeonis conveniunt Christo; benedixit ei eumque vocavit Deum.

[1] *Rom.*, IX, 5. — [2] *Rom.*, I, 1. — [3] LUC., II, 11. — [4] LUC., I, 72. — [5] IS., IX, 2. — [6] IOH., VIII, 12.

v. 29) *Nunc dimittis servum tuum;* a Christo petebat dimissionem etsi non ab eo, sed a Spiritu alligatus fuerat; sciebat enim unam esse naturam Patris et Filii et Spiritus unamque voluntatem eorum; haec revelatione Spiritus didicerat. Illo autem: *Dimittis servum tuum,* petiit ut dimitteret eum ab hac vita. *Secundum verbum tuum;* videtur quod aliquid ab eo iam audierat; ideo eum memorem reddidit eius p. 286. quod dixerat * ipsi. *In pace;* h. e. absque doloribus et passionibus. Exitum pacificum petiit ab eo, et eodem die dimissus est a vita; alii: Postero die.

v. 30) *Ecce viderunt oculi mei gratiam tuam;* h. e. incarnationem vocat gratiam qua redemit omnes gentes.

v. 31) *Quam parasti in conspectu;* h. e. per gratiam suam miseretur peccatorum eisque dimittit.

v. 32) *Lumen ad revelationem gentium;* idem Christus, quum revelatus est, fuit lumen gentibus quae sedebant in tenebris, et viderunt et distinxerunt deos falsos a Deo vero eumque adoraverunt. *Et gloriam populo tuo;* Ipse est gloria Israelitis quia e genere eorum incarnatus est, et elegit ex eis duodecim apostolos et septuaginta duos praecones; etsi quidam inter illos mali fuerunt, ceteri tamen crediderunt sicut dixit propheta [7].

v. 33) *Ioseph autem et mater eius mirabantur* h. e. *super eis* quae Simeon loquutus est de puero et quia petiit ab eo ut dimitteret ipsum in pace. Illo: *Mirabantur,* significavit Simeonem haec verba de puero loquutum esse eique benedixisse.

v. 34) *Et benedixit eis Simeon;* Virgini quidem, quia digna facta est quae esset mater ei qui natus est ex Patre ab aeterno; Ioseph autem, quia fuit auxilio Virgini, et ambo erant ministri huius mysterii. *Et dixit Mariae matri eius;* h. e. per Spiritum sanctum. *Ecce hic positus est in casum;* h. e. Scribarum et Pharisaeorum et sacerdotum qui non crediderunt. *Et in resurrectionem multorum;* h. e. publicanorum et meretricum qui crediderunt in eum et assurrexerunt, et omnium posterorum Adam qui crediderunt. *In casum;* h. e. quia recubuit inter mortuos. *Hic positus est;* ibi adimpletum est id quod dictum

[1] Cf. I *Cor.*, xv, 23.

fuerat nomine Patris[1]: *Ecce pono in Sion lapidem offendiculi.* Et merito dixit: Ecce pono. Simeon autem dixit: Positus est, quia in medio positus est; ii qui credunt stant, ii qui negant cadunt. *In Israel,* ait, * quia oeconomia ad eos adhuc respiciebat. Casus autem et resurrectio non a Iesu sunt, sed a libertate et propria potestate eorum qui credunt et eorum qui negant. *Et in signum iurgii;* h. e. omnes linguae de eo loquentur et omnes ab eo superabuntur secundum illud[2]: *Non veni mittere pacem.* — *In signum;* nam quemadmodum signum non tantum seipsum manifestat sed etiam alia, ita et Iesus non seipsum tantum revelavit sed etiam Patrem et Spiritum. *Iurgii,* quia Iudaei, qui tunc erant, litem de eo opinionibus movebant; quidam ex eis illum vocaverunt prophetam, alii autem seductorem. Tales etiam sunt christiani qui nunc sunt; quidam ex eis eum dicunt Deum inhumanatum, alii autem hominem deificatum et duas naturas post unionem; quidam creatorem, alii autem creaturam.

v. 35) *Et animam tuam pertransibit lancea;* lanceam vocat fidei defectum, qui fuit Mariae de illo, hoc tempore et etiam tempore passionis. Non dixit: Manebit in te lancea, sed: Pertransibit animam tuam, ut ostenderet defectum fidei apud eam non mansisse, quia emendationem cum apostolis accepit quum Spiritus in caenaculo descendit et docuit eam maiestatem eius quem pepererat. Rursus, lanceam vocat opprobrium et convicia quibus Iudaei afficiebant illam, quae tanquam lancea eam perfodiebant. Iterum, lanceam vocat illam quae transfixit eum in cruce, quam cum Christum pertransivit dixit pertransiisse Mariam. Mos est enim ut qui crucifiguntur non gladio sed lancea mortem accipiant. Praeterea, quum filius vulneratur, etiam mater omnimodo cum eo vulneratur, maxime si praesens sit et videat illum; etenim etsi quatenus Deus est, consubstantialis est Patri, tamen quatenus factus est homo consubstantialis est Mariae. In graeco pro lancea * scriptum est « gladius ». Alii: Animam tuam seu Filium tuum pertransibit lancea et cuspis circumdans Paradisum a transgressione et deinceps; animam eius autem denominat Filium eius. *Ut*

* p. 287.

* p. 288.

[1] Is., XXVIII, 16; *Rom.*, IX, 33. — [2] Luc., XII, 51.

revelentur cogitationes: h. e. lancea seu dubitatio et offendiculum, quae animam tuam pertransibunt, revelabunt cogitationes cordium multorum; sive ex infirmitate dubitaverint de eo sive ex voluntate mala, accipient a Spiritu emendationem, sicut Maria accepit, et sicut multi hoc tempore, et sicut fideles deinceps. 5

v. 36) *Ipsa quoque provecta erat in diebus suis*; h. e. hoc dicens de Hanna comparavit eam cum Simeone sene, etsi non tam provecta erat quam ille.

v. 37) *Et erat vidua quasi annorum octoginta quattuor*; vide. per longum spatium et multum tempus perseveravit in castitate et sanctitate. *Nec discedebat a templo:* h. e. omnes dies vitae suae in sanctitate traduxit. Vere enim virtus et pietas communes sunt viris et mulieribus, dominis et servis. 10

v. 38) *Gratias egit Domino;* ex verbis Simeonis cognovit eum, aut per Spiritum cognovit Filium. *Et loquebatur de illo:* prophetia seu sermo Hanna: Per hunc puerum Israel salvabitur et liberabitur a manu persecutorum suorum. Alii: Per hunc infantem mundus salvabitur et liberabitur a servitute peccati. Alii: Hanna laudat et benedicit ei tanquam creatori mundorum per quem creaturae constitutae sunt. 15 20

v. 39) *Et cum perfecissent omnia secundum legem;* h. e. cum obtulissent sacrificia, reversi sunt Nazareth sicut dixit Lucas. Interpretes dicunt: Magi Christum biennem invenerunt. Haec ita sunt, et dicunt: In omni festo ascendebant in templum, et ibant ut viderent Bethlehem quia natus erat in ea, et inde revertebantur Nazareth; * et expleto hoc biennio ascenderunt in templum, et statim descenderunt iuxta consuetudinem suam in Bethlehem, et Magi venerunt ad eum; et statim descenderunt in Aegyptum. *Reversi sunt in Galilaeam in Nazareth civitatem suam;* interpretes dicunt: Cum Dominus noster esset parvulus, Magi venerunt; et dicunt: Postquam obtulerunt sacrificia in templo reversi sunt Bethlehem et statim Magi venerunt ad eum; et a Bethlehem profecti sunt in Aegyptum; id omisit Lucas quia dictum fuerat a Matthaeo. Et postquam redierunt de Aegypto, venerunt in Nazareth Galilaeae. Lucas dixit eos a templo in Nazareth profectos esse. 25 30 35

* p. 289.

v. 40) *Puer autem crescebat et confortabatur Spiritu;* h. e. quemadmodum Verbum sibi suscepit ut fieret homo et incorporaretur, ita et crescebat sicut infans; et quemadmodum vere incorporatus est, ita vere crevit et transivit per omnes aetates;
5 itaque cum ipse in statura cresceret, nos, qui membra eius sumus, in statura spiritali crescere faciebat. *Confortabatur Spiritu*; h. e. nos, qui sumus debiles, confortabat. *Et implebatur sapientia;* nos stultos reddebat sapientes. *Gratia Dei erat super eo;* h. e. similiter et gratiam nobis donabat, gratiam
10 pro gratia: pro hac quam Adam perdiderat dedit nobis gratiam adoptionis filiorum, et pro gratia legis gratiam Evangelii. *Puer autem crescebat et confortabatur.* Haeretici dicunt: Non decet haec de Verbo Deo dici. Et dicimus: De nativitate eius ex Patre revera non dicuntur, quia non accepit incremen-
15 tum, nam non est compositus, nec confortatus est Spiritu quia non est infirmus; sed quia factus est homo haec dicta sunt de eo: Puer crescebat. Rursus, dicimus: Non facitis * sicut loquuti sunt praecones; hi a primis eius inceperunt et in novissimis eius desierunt. Angelus vocavit eum Virtutem Altissimi;
20 Iohannes (dixit): *In principio erat Verbum;* Paulus: *Filius Dei*, et: *Qui est forma Dei et aequalis;* et haec sunt prima eius. Et illa: *Habitavit in te*, et: *Factus est caro,* et: *Factus est ex muliere*, et: *Exinanivit semetipsum,* sunt novissima eius. Etenim etiam architecti mundani a fundamentis, quae sunt
25 prima (domus), incipiunt et in tectis, quae sunt novissima eius, desinunt. Vos estis adversarii praeconum et artificum laicorum; incipitis a novissimis eius et desinitis in primis eius, et dixistis: Puer est et crescit in statura, dum hoc est ex novissimis eius, et illud: Verbum Deus, ex primis eius. Ideo
30 non recte confitemini, quoniam iustum est ut intellegatis illud: Est antiquus, esse prius hoc: Est puer; visus est enim a Daniel ut antiquus dierum [1]. Ergo Deus antiquus est qui factus est iuvenis et puer, et ideo convenit ei crescere secundum gradus aetatis, etiamsi Lucas non dixerit: Hic puer est
35 antiquus, sed dixerit: Virtus Altissimi incarnata est et facta est puer. Ergo patet antiquum esse qui factus est puer. Pater

* p. 290.

[1] Dan., vii, 9,

vero et Spiritus, quia non incarnati sunt, non dicti sunt crescere et confortari; de Filio autem, quia incarnatus est, (dicitur). Cum esset aeternus factus est sub tempore, et cum esset antiquus factus est puer. Sed dicunt: Deo non convenit crescere et confortari. Et dicimus: Non quatenus Deus est crevit et confortatus est, quia est perfectus et non indigens, sed quatenus factus est homo. Etenim quemadmodum sibi suscepit ut se exinaniret secundum carnem cum esset superior passionibus et morte secundum naturam suam, et nasceretur *secundum carnem, ita sibi suscepit ut cresceret secundum staturam et confortaretur Spiritu cum esset dator eius, et impleretur sapientia cum esset sapientia Patris; nisi parvus factus fuisset non crevisset. Sed dicunt: Quemadmodum scriptum est de Iohanne: Crescebat, ita etiam de Christo, nec est discrimen inter eos. Dicimus: Iohannes propter seipsum crescebat, Christus autem propter nos; et quemadmodum Iohannes propter seipsum natus est et circumcisus est, ita et propter seipsum crevit et confortatus est; Christus autem propter nos, qui membra eius sumus, haec fecit. Rursus, novimus eum crevisse et confortatum esse Spiritu, et quis sit qui crescebat, et propter quem crescebat et confortabatur Spiritu, et quis sit qui conceptus est et factus est caro. Eum natum esse sine semine novimus, qua ratione autem et quomodo haec facta sint nescimus. Rursus, Deus Adam primum creavit perfectum; eum creavit perfectum in anima eius quia plenus erat sapientia spiritali qua nomina animalibus vocavit, et perfectum in corpore eius quia creatus est cum statura triginta annorum et expers erat morborum et infirmitatum et inaequalitatis temperamentorum. Rursus, perfectus erat in potentia spiritus quia vaticinatus est[1]: *Haec vocabitur mulier*, et: *Relinquet vir patrem suum et matrem suam.* In gratia quoque perfectus erat, quia species animalium reverebantur eum eique subiectae erant. In his quattuor perfectus erat: in anima sua qua vidit scientiam naturae suae, in corpore suo, in virtute, in gratia. Et quia per transgressionem haec amisit, ideo Christus in eis incepit a parva statura usque ad staturam triginta (annorum) ut emendaret et constitueret genus humanum in prima

[1] *Gen.*, II, 23-24.

statura quae fuit ante transgressionem. Quae ab haereticis reputantur infirma magis indicant magnitudinem honoris qui redditus est hominibus. Non ut * homo simplex crescebat sed ut Deus incarnatus. Et *confortabatur Spiritu*: non ut homo ex Maria, neque ut homo Verbi accepit Spiritum, neque ut homo accepit Spiritum, sed ut Verbum Deus, non quidem quatenus Deus est accepit Spiritum sed quatenus factus est homo. Neque post incarnationem accepit eum ne putaretur accepisse illum pro se, non pro nobis, sed Virtus Altissimi venit ad Virginem et Spiritus sanctus cum ea, et in utero Virginis Virtus Altissimi facta est homo dum Spiritus sanctus eam corpore induit. Et accepit eum primum in utero ut eum nobis in baptismo daret. Quemadmodum, quum plasmavit Adam, Spiritum in plasmatione eius adhibuit, ita Spiritus commixtus est incarnationi Verbi; et quemadmodum Spiritus discessit ab Adam in Eden, (ita) Christus dedit eum in baptismo.

* p. 292.

Confortabatur Spiritu; h. e. Spiritus sanctus confortabat eum in forma incrementi eius, in balbutie linguae eius, in gubernatione cogitationum eius. In illis confortabatur Spiritu non quatenus Deus est, sed quatenus factus est homo. Et quemadmodum in puero naturali, qui fit ex coniugio, quamdiu crescit, agnoscitur virtus coniugii, quia ex coniugio natus est, ita et in Iesu, quamdiu proficiebat et crescebat, agnoscebatur virtus Spiritus, quia incarnatus est per Spiritum. *Implebatur sapientia;* quomodo implebatur sapientia? Sanctus Evagrius: Cum corpus mundum est a passionibus carnis (homo) venit ad visionem mentis et scientiam quae est de materialibus; et cum anima munda est a passionibus venit ad contemplationem incorporeorum; et cum mens munda est a passionibus venit ad scientiam Trinitatis sanctae. De Christo autem * non ita dicimus eum impletum fuisse sapientia, quia purus est et numquam pollutus est passionibus corporis et animae quas peccatum gignit. Rursus, dicimus[1]: Est scientia quaedam animae apta ad (cognitionem) constitutionis mundi, et scientia luminarium et stellarum quae graece vocatur astronomia; et scientia mensurarum terrae et aliorum quae vocatur geometria; et scientia numerorum et computationum quae vocatur arithmetica; et

* p. 293.

[1] In margine: « Sententia Philosophorum ».

scientia et dispositio sonorum et cantuum quae vocatur musica; et scientia elementorum et mutationum temperamentorum et virtutis radicum quae vocatur physiologia et medicina; et scientia mensurarum et ponderum et dimensionum; et scientia poesis, et scientia rhetoricae, et scientia rectitudinis sermonis seu grammatica, et scientia decretorum iudicialium, et lectionis librorum, et varietatis linguarum; et scientia verborum et ratiocinationum quae ratione ordinantur, et ceterae partes omnis scientiae animae quae ad constitutionem huius mundi aptae sunt. Homines, qui partes de ea multis laboribus didicerunt, vocati sunt philosophi apud Graecos; quam scientiam Paulus stultitiam appellavit [1]. Rursus, Adam data est prophetia et ut nomina naturis vocaret; iis autem qui apud turrim fuerunt, donum linguarum; Moysi vero ut legeret scripturam quamvis non didicisset. Iacob Edessenus dicit: Eruditus est in sapientia et lingua Aegyptiorum. Salomoni data est sapientia et eruditio maior sapientia filiorum Orientis et Aegyptiorum, Apostolis donum linguarum et sensus mysteriorum divinorum, et ut legerent et scriberent quamvis litteras non didicissent.

Praeter illas sapientias et scientias, quas recensuimus, * existit sapientia alia spiritalis, quae est contemplatio eorum quae sunt in natura, quam non cognoscunt nec intellegere valent ratiocinationes animae, sed mens tantum illam per Spiritum sanctum assequitur. Haec sapientia sermone composito non discitur, nec oculis carnis videtur, neque apostoli eam discere potuerunt donec Spiritus super eos descendit. Paulo autem data fuit postquam raptus est, et Adamo quum creatus est, et nonnullis monachis qui operibus optimis seipsos purificaverunt, et sanctis dabitur in mundo futuro. Quanam ex his sapientiis Iesus implebatur? Nonnulli dicunt: Illa spiritali quae est contemplatio naturarum. Alii: Illa communi quam supra recensuimus cum speciebus eius. Implebatur autem non ab extra, sed ab intra, quia ab essentia sua accipiebat et cogitationes naturae Iesu humanae implebat sapientia. Hae sapientiae non in omnibus sapientibus inventae sunt;

* p. 294.

[1] I *Cor.*, III, 19.

in Christo autem omnes congregatae sunt. Illi per gratiam unam speciem aut duas aut tres acceperant; in Christo autem omnes sunt naturales et iuxta ordinem incarnationis suae eas revelabat. (Sapientia) data est Adam tanquam filio triginta 5 annorum, Moysi autem octoginta annos nato, et Salomoni quadraginta duos annos nato; Iesu vero ab initio aetatis eius, et in hac sapientia crescebat, et scriptum est eam manifestatam fuisse cum esset duodecim annos natus et sederet inter Scribas [1]. Utrum manifestata fuerit in alio loco, et non scrip- 10 tum sit, nescimus.

Et gratia Dei erat super eo; h. e. peccatum nullo modo tetigit eum, sive in actionibus eius sive in cogitationibus eius. Rursus: *gratia,* quia non ut Deus sed ut homo virtutes fecit; etenim quod facit virtutes ut Deus, non est * dignum admira- 15 tione. Si quis dixerit: Etiam prophetae virtutes fecerunt, dicemus: Hoc illis a Deo datum fuit, Iesus autem non ita; sed ipse ex seipso faciebat. Illi per orationem patrarunt miracula; Iesus autem per iussum; et dedit etiam apostolis suis ut id facerent [2]: *Omnis qui crediderit in me maiora his operibus* 20 (*faciet*). Quare vocatus est infans et puer? Et dicimus: Cum quis rem non considerat, nomina obliviscitur. Quia factus est caro et indutus est corpore per Spiritum et natus est ex muliere, convenit ei ut vocetur infans et puer. Si homo simplex fuisset, necesse non esset eum his nominibus appellari. 25 Etenim haec communia sunt omnibus hominibus; sed quia, cum esset Deus secundum naturam suam, factus est homo per gratiam suam, his nominibus appellatus est.

* p. 295.

v. 41) *Et homines eius quotannis abibant*; h. e. Ioseph et Maria; quia lex praecipiebat ut Pascha in Ierusalem 30 fieret. Propter duo populus in Ierusalem sacrificabat: primum quidem, ne in aliis locis daemoniis sacrificarent et dicerent: Domino sacrificamus; alterum autem, quia Deus aboliturus erat sacrificia et Pascha; et cum Ierusalem, in qua statutum erat victimas immolari, diruenda foret propter nequitiam 35 populi, etiam sacrificia necessario cessare debebunt.

[1] Cf. II, 46. — [2] IOH., XIV., 12.

v. 42) *Et cum esset filius duodecim annorum;* h. e. hac aetate passiones incipiunt in pueris concitari; in eo autem nulla passio reprehensibilis aut turpis ullo modo concitata est.

v. 43) *Reversi sunt;* h. e. de Ierusalem in Nazareth. *Iesus puer mansit*, h. e. in templo Dei, ut ostenderet nullam passionem reprehensibilem in ipso concitatam fuisse. 5

v. 44) *Quaesierunt eum apud homines [suos];* h. e. cognatos suos; sic scriptum est in graeco.

* p. 296. v. 45) *Nec invenerunt eum*; putaverunt enim * eum ascendisse in caelum ad Patrem suum, aut ab Archelao apprehensum 10 occisum fuisse.

v. 46) *Et tribus post diebus invenerunt eum;* hi tres dies figurabant tres dies sepulturae eius. *Et audientem ab eis;* h. e. de illis quae lex praedixerat et de adventu suo, etsi non cognoscebant ipsum esse, et notum est ex eo quod loquutus est cum 15 eis, Zacharia et Simeone et Hanna et Magis, et fama exierat adventum eius imminere. *Et interrogantem eos*; h. e. de novis rebus et de spiritalibus.

v. 47) *Sapientiam eius;* h. e. prudentiam eius qua verba eius plena erant. *Et responsa eius;* h. e. sermones eius. 20

Rursus, dicimus: Aetas duodecim annorum media est. Qui enim natus est, donec fasciae suae derelinquuntur, vocatur infans (ʿūlā); et donec completur lactatio sua appellatur parvulus (yallūdā); et usque ad annum septimum vocatur puer (šabrā), et usque ad duodecimum annum iuvenis 25 (ṭalyā), et usque ad annum decimum octavum adolescens (ʿalaimā); et usque ad annum vigesimum quintum dicitur iuvenis vir (ṭelē gebar); a vigesimo quinto anno usque ad quinquagesimum annum vir appellatur. David autem ad regnum unctus est quinque aut sex annos natus; Ieremias 30 octodecim annos natus prophetiam accepit; Daniel sexdecim annos natus Spiritum accepit et senes in Babylone iudicavit; sed apud neminem horum visum est quod duodecim annos natus Iudaeorum doctores in admirationem sapientiae suae rapuerit. 35

v. 48) *Et cum vidissent eum mirati sunt;* etiam Ioseph et Maria mirati sunt super loco ubi sedebat in medio doctorum, et super verbis eius. *Quoniam ecce ego et pater tuus cum*

anxietate multa; eum vocavit patrem eius dispensative, sicut opinio erat Iudaeis de illo. Necesse est inquiramus de diebus. Primum, iter unius diei fecerunt et postea quaesierunt eum nec invenerunt eum; postero die reversi sunt Ierusalem; tribus 5 diebus exploraverunt Ierusalem nec * invenerunt eum, quos (dies) vocat anxietatem; et deinde die sexto invenerunt eum cum venissent in templum. Rursus, anxietatem vocavit opinionem quae erat sibi et Ioseph de eo: eum a pueris Archelai apprehensum occisum fuisse.

* p. 297.

10 v. 49) *Quid quaerebatis me?* h. e. sicut devium; si cognosceretis me non quaesivissetis me sicut devium. *Quod in domo Patris mei oportet me esse;* non domum Ioseph vocavit domum suam; nec dixit: In domo nostra, nec: In domo vestra; sed domum Patris sui vocavit templum, et ostendit Ioseph non 15 esse patrem suum, sed esse sibi Patrem absconditum cuius domus est templum, et se natum esse non ut maneret in domo Ioseph sed ut oeconomiam adimpleret. Interroga haereticos: Patrem vocavit patrem naturalem an patrem gratiae? Si dicunt patrem gratiae, similis est Iudaeis secundum filiatio- 20 nem, nam etiam isti sunt filii Patris secundum gratiam; si vero filiatio eius diversa est a filiatione Iudaeorum, tunc Filius naturalis est etsi vocatur nominibus humanis propter oeconomiam.

v. 50) *Ipsi autem non intellexerunt sermonem*; verumtamen 5 quia Deum vocaverat Patrem suum naturalem non intellexerunt sermonem, nam contigit ut cogitarent de domo sua, non de domo Patris eius, h. e. de templo.

v. 51) *Et descendit cum eis;* h. e. ut etiam in hoc legem impleret. *Et erat subiectus eis;* ut nos doceret subiici parenti- 0 bus nostris et honorare illos. Et ostendit quod aetate duodecim annorum, quum filii in parentes insurgunt, ipse coepit subiici. Quare non dixit: Oboediens erat eis, quum oboedientia filiis conveniat, non autem subiectio quae de servis dicitur? Ut ostenderet eum, cum Deus esset secundum naturam suam, 5 sumpsisse formam servi, sicut dixit Paulus. Haeretici dicunt: Non convenit Deum * subiici parentibus qui sunt homines; si non subiicitur Patri suo naturali, quomodo hominibus? Et dicimus: Patri suo naturali merito non subiicitur, quia non

* p. 298.

est minor eo; hic autem, quia factus est homo et puer erat secundum nativitatem suam humanam, Mariae et Ioseph, qui natu maiores erant ipso, convenienter subiectus fuit, non tantum propter tempus et aetatem, sed etiam propter nativitatem suam. Rursus, non quatenus est Deus subiectus fuit, quia homines debent ei subiici, sed quatenus factus est homo subiectus fuit, et subiectio eius non propter ipsum fuit sed propter nos. Etenim quemadmodum propter nos factus est homo et oeconomiam adimplevit, ita et ut solveret debitum nostrum subiectus fuit. Praeterea, si Iesus Patri suo sicut omnis homo subiectus fuisset, necesse non fuisset Lucam scribere eum subiectum fuisse, sicut non scriptum est de Isaac et ceteris. Sed quia subiectio eius nova erat et insolita, eo quod cum esset Deus factus est homo, necesse fuit ut subiectionem ei adscriberet, sicut etiam Matthaeus de nativitate eius scripsit, quia intellexit eam esse novam, non solitam sicut (nativitatem) omnium hominum. Quidam autem dicunt: Maria non in doloribus nec in afflictionibus peperit, et lac eius, sicut conceptio eius, miraculum fuit. *Mater autem ipsius conservabat omnes sermones in corde suo;* h. e. quia novi et insoliti erant, et quia Deus factus est homo. Itaque illos conservabat et conferebat in corde suo, quia non cognoscebat eos; et ipsa et Ioseph mirabantur. Spiritus autem, postquam in caenaculo descendit, Mariam pariter atque Apostolos haec omnia docuit.

v. 52) *Iesus autem crescebat statura*; supra, 'puerum' dixit; hic autem 'Iesum', ut ostenderet quod ab hac aetate duodecim annorum et deinceps sibi consilium non est agnoscere eum ut puerum, sed *secundum ordinem alius aetatis. Crescebat autem statura sua, sicut Verbum Deus qui factus est homo; itaque accipiebat incrementum in statura sua corporali. *Et sapientia sua;* illud quidem: Crescebat sapientia, est: non gradatim incrementum accipiebat, sed iuxta aetatem revelabat illam quae abscondita erat; nec discebat nec accipiebat incrementum ab extra, sed iuxta staturam cum aetatibus corporis sui sapientiam suam et gratiam suam manifestabat. *Et gratia*; h. e. crescebat curationibus et auxiliis quae praestabat, et virtutibus et miraculis. Sed retorquent: Dictum est: Crescebat sapientia et gratia; non autem: Manifestabat sapientiam

* p. 299.

suam. Et dicimus: Quatenus Deus est non crescebat, sed quatenus factus est homo; si crescebat statura patet quod, ubi non est statura, non crescebat. Quod si, ubi est anima humana, crescebat sapientia, evidens est quod ubi non est anima non 5 crescit sapientia. Etenim statura eius et anima eius non ex Patre sunt, sed ex Maria et nativitate secundum carnem; et unde incepit in statura, inde quoque in incremento sapientiae incepit. Ergo quatenus factus est homo crescebat statura, non quatenus est Deus; in corpore suo accipiebat incrementum 10 staturae suae, et in anima sua accessionem sapientiae. Neque ab extra accessionem sapientiae recipiebat, sed ex essentia sua accipiebat gratiam sapientiamque et implebat cogitationes naturae suae humanae. Incrementum staturae Iesu naturam e qua incarnatus est innuit, et illud: Crescebat sapientia sua, 15 naturam spiritalium, et entia praedita anima, et entia non composita; et illud: (Crescebat) gratia Dei, (innuit) accessionem naturae nostrae ad contemplationem Trinitatis *sanctae. *p. 300. *Apud Deum;* quia circumcisus est, et obtulit sacrificia, et implevit legem. *Et homines;* h. e. (crescebat) statura sua gra- 20 datim. Iterum illud: *Apud homines,* providentiam et iudicium et gubernationem (innuit). *Sapientia sua;* h. e. audiebant doctrinam eius assidue, et gradatim manifestabatur esse Deus.

[Caput III]

v. 1) *Anno quinto decimo praefecturae Tiberii Caesaris;* 5 h. e. Romani quidem, postquam Iudaeos subiecerunt eisque tributum imposuerunt, constituerunt eis regem Herodem illum qui interfecit pueros. Et cum iste mortuus esset aut a regno suo eiectus propter stultitiam suam, Tiberius Caesar provinciam in quattuor partes divisit: uni parti, Iudaeae, praefecit 10 Pilatum, et regioni Galilaeae hunc Herodem, et regioni Ituriae et Trachonitidis Philippum, fratrem Herodis, et regioni Abilenis Lysaniam. Et unusquisque ex his quattuor ducibus tetrarcha appellabatur, h. e. princeps unius ex quattuor partibus. Alii: Regnum, quod regebat Herodes et post eum Arche- 15 laus, eius filius, Tiberius in quattuor partes divisit: regionem Galilaeae tradidit Herodi, et regionem Ituriae Philippo, et

regionem Trachonitidis viro cuius nomen non scriptum est, cuius regio, cum deliquisset et eiectus fuisset a principatu suo, data est Philippo; et ideo nomen eius non scriptum est; et regioni Abilenis praefectus est Lysanias. Et hi quattuor vocabantur reges, et unusquisque eorum tetrarcha, h. e. princeps 5 unius ex quattuor partibus. Pilatus autem in Ierusalem eiusque * p. 301. regione munere praefecti fungebatur, et quamvis * minor esset his quattuor secundum potestatem, tamen non subiectus erat eis. Hoc erat munus praefecturae: fungi munere iudicandi, et colligere aurum (i. e. tributum) secundum legem regum; 10 erat sicut gradus mobedatus apud Persas. *Pontius Pilatus:* Pontius interpretatur dexter, aut: unus ex his quinque — πέντε enim est quinque, — aut: duo nomina erant ei, h. e. Pontius et Pilatus, aut: e regione Ponti erat. *Herodes in Galilaea;* hic Herodes est qui Iohannem occidit, et in diebus 15 eius Christus passus est, et alius est ab eo qui pueros interfecit. Iste autem genuit Herodem qui cognominatus est Agrippa et regebat has quattuor partes; et in diebus eius Romani venerunt et templum diruerunt et cessavit regnum Iudaeorum. Titus vero templum tantum diruit et incendit; 20 Domitianus, frater eius, cum regnaret, etiam lapides eius evertit quibus templum idolorum aedificavit.

v. 2) *Factus est sermo Dei*, h. e. mandatum Dei.

v. 3) *Praedicans;* h. e. id quod lex non dabat, id est, paenitentiam. *In universam regionem quae est circa Iordanem*, h. e. 25 in universam Iudaeam et ad ripam fluminis. *Baptismum paenitentiae;* quia expiationem et remissionem peccatorum praedicabat, ideo Iudaei conveniebant ad eum ex omni regione.

v. 4) *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae;* h. e. aut Iohannes adduxit illud, aut Lucas adduxit, quia hic Iohannes, 30 qui baptizabat, is est quem Isaias prophetavit esse vocem. *Vox clamantis in deserto;* vocem vocat Iohannem, et desertum vocat proprie eremum, mystice autem animas Iudaeorum quae vacuae erant a cognitione Dei. *Parate viam Domini;* h.e. parate animas vestras ad novas leges. *Dirigite in planitie*, h. e. semi- 35 tas tortuosas morum vestrorum.

* p. 302. v. 5) *Omnes valles implebuntur:* * h. e. bona, quae desunt vobis, implebuntur. Rursus, Iohannes, cum dixisset illis:

Parate viam Domini, quasi auditores obiecissent: Difficile est nobis parare viam eius propter causas obstantes, h. e. diabolum aut passiones naturales, et quia leges divinae difficiles sunt servatu, respondit: Passiones naturales, quae vobis graves
5 sunt, sicut valles implebuntur et per Christum fient planae sicut valles quae impletae sunt. *Omnes valles*; h. e. omnes humiles implebuntur et exaltabuntur per Christum. *Omnes montes et colles;* h. e. peccata, quae magna sunt in vobis sicut montes, auferentur. Rursus, diabolus et exercitus eius, qui
10 assurgunt sicut montes, a Christo deprimentur. *Et erit tumulus in locum planum*; h. e. doctrinae durae quae atheismo sternunt viam. Rursus, leges divinae, quae arduae sunt et servatu difficiles, fient faciles per Christum, tamquam locus aequus et planities.

15 v. 5) *Et videbit omnis caro vitam;* h. e. gloriam divinam absconditam velamine carnis; vitam vocat Christum. In Graeco pro 'vita' scriptum est 'salutare', h. e. omnes homines videbunt salutare quod fecit nobis Christus Deus qui salvavit nos a Satana et morte et peccato.

20 v 10) *Et interrogabant eum turbae... Quid faciemus?* h. e. quomodo proferemus paenitentiam sicut dicis, et quomodo geremus nos postquam baptizati fuerimus?

v. 11) *Is cui sunt duae tunicae;* h. e. facite mandata novi testamenti; qui ex vobis habet indumentum et cibum det ei
25 qui non habet.

v. 12) *Et venerunt etiam publicani illi;* h. e. illi qui accipiunt taxationem seu decimam partem et tributum et vectigalia, et praecepit eis ut nihil ultra acciperent.

v. 14) *Et interrogabant eum colentes militiam;* h. e. perfi-
30 cientes militiam regibus. *Neminem vexetis;* h. e. neminem iurgio lacessatis; * lacessatio iurgium est. Neminem opprimetis, h. e. fraudetis; oppressio, h. e. iniustitia. *Stipendia vestra*; h.e. commeatus vestri seu desiderium eorum.

* p. 303.

v. 15) *Cum autem existimaret populus de Iohanne;* h. e.
35 ex multis: ex fama eius et scientia eius et ex sanctitate eius aliisque virtutibus existimaverunt eum esse Christum. *Et omnes cogitarent quod forte ipse esset* (*Christus*); h. e. Spiritus sanctus cogitationes eorum ei manifestavit.

v. 18) *Alia autem multa*, quae nobis non scripta sunt, docebat populum et annuntiabat. Graecus: Et alia exhortans, h. e. evangelizans et deprecans pro gentibus dabat eis spem bonam.

v. 19) *Herodes autem tetrarcha*, h. e. unus ex quattuor.

v. 20) *Inclusit Iohannem;* h. e. non eo tempore inclusus est, sed tempore quod dixit Marcus[1]. Verumtamen cum curae esset illi de historia eius, inclusionem adiunxit historiae eius.

v. 21) *Factum est autem [cum baptizaretur] universus populus [et Iesus quoque baptizatus est];* h. e. ultimus universi populi baptizatus est quia ablaturus erat ei sacerdotium legis. *Et cum oraret apertum est caelum;* non quo indigeret (oravit); Deus enim est et susceptor orationum, et audivit et suscepit orationem Chananaeae et aliorum, et etiam nunc suscipit orationes cum Patre et Spiritu. Et quemadmodum non pro seipso baptizatus est, sed ut esset primitiae fidelium qui baptizantur, ita non pro seipso oravit, sed ut esset primitiae sacerdotibus ut orent. Et quemadmodum Iesus, non ante baptismum suum nec in sua immersione seu baptismo, sed postquam baptizatus est, oravit, ita et sacerdos, postquam baptizatus est proficit et fit sacerdos et orat ad Deum qui mittat Spiritum sanctum super baptismum illudque sanctificet. Et quid sit oratio Domini nostri? Sanctus Mar Philoxenus: * Sic, ait, oravit: Ego quidem, o Pater, iuxta voluntatem tuam factus sum homo; et a tempore quo natus sum ex Virgine usque nunc implevi quae sunt naturae humanae, et servavi ac perfeci mandata et mysteria et typos legis; nunc baptizatus sum et paravi baptismum ut sit uterus spiritalis novae nativitatis hominibus; et quemadmodum Iohannes est ultimus sacerdotum Legis, ita videbor ego primus sacerdotum Evangelii. Tu autem, o Pater, per orationem meam, aperi caelum et mitte Spiritum tuum sanctum super hanc vulvam baptismi, et quemadmodum (Spiritus) habitavit in utero Virginis et induit me corpore ex ea, ita habitet in hac vulva baptismi et sanctificet illam et formet homines et procreet eos ex illa filios novos, et faciat eos filios tuos et fratres meos et heredes regni; et quod sacerdotes legis ab Aaron usque ad Iohannem facere non potuerunt, agere valeant sacerdotes novi testamenti quorum

* p. 304.

[1] Marc., vi, 17.

ego sum primitiae et primus per hanc orationem; et quotiescumque baptizaverint et oraverint te et petierint, mitte Spiritum sanctum super baptismum quo baptizantur; dum Spiritus nunc apud me aperte videtur, cognoscatur etiam ad eos
5 secreto descendere et implere per eos ministerium novi testamenti propter quod factus sum homo et oro coram te ut princeps sacerdotum. *Apertum est ei caelum*; h.e. Adam caelum praevaricatione clausit; Christus aperuit illud baptismo suo.

v. 22) *Et descendit Spiritus sanctus super eum;* si tanquam
10 super ceteros baptizatos Spiritus descendisset super Iesum, super eum, cum esset in medio baptismi, descendisset, non postquam baptizatus est et ascendit (de aqua), sed Spiritus descendit super eum ut ostenderet eum esse Filium Dei; etenim absconditus erat velatus carne. Rursus, *Spiritus descendit * p. 305.
15 et manifestavit eum esse Filium Patris naturalem, quia homines non cognoscebant eum, nec nuper fecit eum Filium Dei secundum garritum haereticorum. *In similitudine corporis columbae,* quia columba est quieta et pacifica et tranquilla et mitis et munda. Rursus, in similitudine columbae visus est
20 ut ostenderet maximam fecunditatem baptismi ex quo genuit millia et myriades; columba enim fecundior est aliis avibus, et etiam Spiritus pullos spiritales e baptismo generat. Rursus, hypostasis Spiritus non mutata fuit in similitudinem columbae, neque Spiritus sumpsit similitudinem columbae ex aere,
25 neque haec similitudo erat in caelo, sed Spiritus sanctus secundum revelationem visus est in similitudine corporis columbae iuxta revelationes quibus Deus visus est prophetis, nec Spiritus revera factus est corpus columbae. Ergo credamus tantum eum visum esse in similitudine corporis columbae sicut scrip-
30 tum est — non dixit eum mutatum esse in similitudinem columbae — nec exploremus quomodo (hoc factum sit) ne evagatio mentis pro scientia nobis occurrat et error pro veritate. Rursus, nonnulli dicunt: Omnes, qui illic congregati erant, viderunt caelos aperiri et Spiritum descendentem super
35 Iesum. Alii: Iesu et Iohanni tantum visi sunt, et notum est ex eo quod Pater dixit ad Iohannem[1]: *Super quem videris Spiritum descendentem.* Si Spiritus omnibus, qui illic erant,

[1] Ioh., I, 33.

visus esset, testimonium Iohannis non fuisset necessarium. *Et vox facta est de caelo;* ut ostenderet eum esse Filium Patris naturalem. *Tu es Filius meus dilectus;* non enim cum filiis, qui facti sunt Deo et rebellarunt, Pater eum comparavit, sicut dicunt haeretici. Quod si dixerint: Utique cum Iudaeis comparavit eum, adversus eos dicemus: Ne unus quidem ex christianis, qui factus est filius Deo per baptismum, comparatur eum illis; ergo neque Christus qui Deus est. Si * dicunt: Cum filiis baptismi comparavit eum, ecce tempore quo hoc verbum dictum est nemo adhuc baptizatus fuerat in Spiritu. Si dicunt: Filius adoptivus est is de quo Pater clamavit et super quem Spiritus descendit: quandonam et ubi cognitus est Filius naturalis Patris in nativitate sua ex Virgine, qui praedicatus est ab angelis et nuntiatus est a pastoribus et Simeone et Hanna, et cui Iohannes testimonium perhibuit? Si hi omnes de filio adoptivo testati sunt, ostendant nobis ubi id scriptum sit? Ergo non est filius adoptivus, sed Filius naturalis qui incarnatus est. Quia dixit: *Tu es Filius meus*, ostendit eum esse Filium naturalem et divinitatem in Filio agnosci. Etenim quemadmodum operatio Dei non ex artibus quas exercent homines cognoscitur, sed ex operibus quae fecit, ita et vera Patris paternitas non ex filiis adoptivis cognoscitur, sed e Filio eius naturali. Quia eum vocavit dilectum, ostendit eum esse aequalem ipsi in divinitate et natura. *In te mihi complacui;* per hoc ostendit eum potentiam et virtutem et sufficientiam habere faciendi voluntatem ipsius perfecte quia, quamvis scriptum sit de angelis et de sanctis quod faciunt voluntatem eius, tamen secundum partes (faciunt): Vox autem: *Tu es*, docet nos Christum esse unam naturam et unam personam et hypostasim, non duas, sicut Chalcedonenses dicunt, quia voces: Hic est, et: Tu es, in unam hypostasim cadunt, non in duas nec in plures; quod patet ex eo quod Aristoteles, qui invenit verbis mensuram ac pondus, dixit in Categoriis: Proprietas substantiae primae est ostendi voce illa: Hoc.

v. 23) *Ipse vero* [Iesus] *erat quasi filius annorum triginta.* Haeretici dicunt: Quomodo convenit Verbo, quod * est in principio, includi sub numero annorum? Et dicimus: Duae nativitates sunt ei: una ex Patre, altera autem ex Virgine. In

* p. 306. * p. 307.

nativitate sua ex Patre, non est ei initium; in altera sua nativitate inclusus est sub numero annorum. Et etiam Theologus dixit in Homilia de Nativitate: Qui est sine initio incipit, Verbum carne induitur. — *Quasi filius annorum;* quidam dicunt: Vocem illam *quasi* posuit quia numerum annorum eius plane non cognoscebat. Nos autem dicimus: Lucas cognoscebat, quia per Spiritum scripsit, sed per hoc significavit eum, qui in natura sua sine initio et sine fine est, assimilatum fuisse hominibus et inclusum fuisse sub numero annorum; et ideo dixit: *Quasi filius annorum triginta,* quasi quis dicat: Non in natura sua est filius, nam tempora eum non includunt nisi quatenus factus est homo. Huic simile est illud quod dictum est[1]: *Ascendit sicut infans,* et etiam illud[2]: *Pullulare faciet de civitate sua sicut herbam terrae.* Quia in prima sua nativitate, quae ex Patre est, non est de terra, ideo dixit: Sicut herbam. Ita et illud[3]: *Sicut agnus ad mactationem;* quia non ex infirmitate tradidit semetipsum morti, ideo dixit: *Sicut agnus.* Ita est illud quod dixit Iohannes[4]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti.* Quoniam dixit: *Quasi,* hoc ostendit: Etsi Verbum factum est caro, tamen gloriam eius vidimus, non tanquam gloriam carnis nec tanquam gloriam hominis, sed tanquam gloriam unigeniti ex Patre; quasi quis diceret: Etsi Verbum factum est caro, tamen gloria divinitatis eius mansit sicuti est absque mutatione aut confusione.

Quare natus annos triginta baptizatus est? Quia voluit legem veterem derelinquere et in nova incipere, ne putaretur non potuisse servare veterem, ideo usque ad aetatem triginta annorum exspectavit, quia * in hac aetate complentur omnia peccata. Pueritia incitat stultitiam et impatientiam, adolescentia voluptates ardentes, virilitas amorem pecuniae. Itaque exspectavit et servavit legem ut passiones peccati superaret. Baptizatus est in aetate perfecta ut significaret eum, qui nascitur ex baptismo, in aetate perfecta et spiritali nasci. Rursus, *filius triginta annorum,* ut per triplicem decadem ostenderet Trinitatem revelatum iri apud Iordanem.

* p. 308.

[1] Is., LIII, 2. — [2] *Ps.* LXXI, 16. — [3] Is., LIII, 7. — [4] Ioh., I, 14.

Filius triginta (*annorum*), ut depingeret typum Adam qui ut filius triginta annorum creatus est et factus est caput mundi. Et Adam verus filius triginta annorum factus est caput mundi novi, et Christus ex baptismo et deinceps vocatus est Adam secundus. Praeterea, nos docuit quod conveniebat ut in hac aetate perfecta fieret magister, quia usque ad annum trigesimum quum baptizatus est, non docuit nec fecit ullum miraculum, nec incepit docere praeter hoc quod sedit inter scribas et interrogavit eos. *Existimabatur filius Ioseph;* h. e. cum non esset nisi Filius Dei qui factus est filius Virginis; ita et homines existimabantur esse per hanc naturalem nativitatem ex muliere, cum non sint, sed per nativitatem hanc spiritalem ex baptismo facti sunt vere membra Christi, non secundum existimationem. *Filii Heli:* Lucas quidem Heli vocavit patrem eius legalem; Matthaeus vocavit eum filium Iacob patris eius naturalis, et angelus vocavit eum filium David, ortum eius a patre eius remoto repetens ut memoraret promissionem: Ex semine eius orietur Christus.

v. 24) *Filius Heli, filii Matthath,* [*filii Levi*]; a Melchi genitus erat Heli qui est 'Eli, sed memorat hos tres fratres qui mortui sunt et acceperant quisque uxorem fratris sui mortui. Et quia non erant eis filii, dixit: * Existimabatur filius Ioseph, filii Heli, filii Matthath, filii Levi, filii Melchi, secundum traditionem legis.

* p. 309.

v. 38) *Filii Adam;* h. e. in enumeratione generationum ab imo sursum usque ad Adam ascendit ut ostendat baptizatos ab imo sursum, post universalem resurrectionem, ascensuros esse. Rursus, ut ostendat Christum per nativitatem corporalem esse ex genere Adam. *Qui a Deo;* h. e. in serie genealogiarum ad Deum ascendit ut ostendat prophetiam Lamech adimpletam fuisse [1]. Quomodo? Cain, cum occidisset Abel, factus est tremens et vacillans, et nomen eius mutatum est; pro Cain, h. e. possedi hominem per Dominum [2], vocatus est e contrario Nod; et opprobrium eius diffusum est in familiam eius, et familia eius separata est a filiis Sem qui vocabantur filii Elohim, dum filii Cain vocabantur filii hominum. Et filii Seth

[1] *Gen.*, IV, 23-24. — [2] *Gen.*, IV, 1.

habitabant in terra Eden, et filii Cain in terra Nod quae ex vacillatione eius ita vocata est. Deinde Cain aedificavit urbem quam vocavit Henoch, nomine Henoch filii sui, ut auferret opprobrium nominis Nod et (filii eius) vocarentur filii Henoch, 5 nec potuit (illud auferre). Et post quintam a Cain generationem natus est homo ex familia eius cui nomen erat Lamech. Iste etiam, cum vellet auferre opprobrium familiae suae et commiscere familias unam alteri, interfecit Cain et familiae commixtae sunt una alteri commixtione illicita. Et Lamech, 10 cum vidisset se esse causam omnis huius malitiae, motus est paenitentia magna; et quia hoc tempore non erat sacerdos nec propheta per quem Deum obsecraret, et ipse non putavit se esse dignum qui orationem offerret propter delictum suum, rogavit uxores suas ut orarent pro ipso. Rursus, quia dixit: 15 *Virum occidi vulneribus meis et puerum allisionibus meis*, intellegimus eum occidisse (aliquem) etsi diversae sunt * de eo opiniones. Sunt enim qui dicant: Duos occidit, virum scilicet et puerum. Et sunt qui dicant: Unum occidit quem vocavit duobus nominibus, viro et puero. Et cum vidisset delictum 20 suum multo maius et gravius esse delicto Cain, quoniam non melior factus erat ex punitione illius, sed etiam factus erat causa commixtionis familiarum illicitae, non exspectavit sententiam a Deo sed ipse sua sponte sententiam tulit et verbis suis prophetiam quoque adiunxit dicens [1]: *Septuplum ultio* 25 *dabitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies*, h. e. Cain in generatione septima occisus est, in diebus Iobal filii huius Lamech. Quum numeras a Cain usque ad hunc, septem generationes seu patres invenis, et in tempore huius (septimae) Lamech occidit Cainum. *Lamech vero septuagies septies*; cum 30 numeras a Christo seriem genealogiarum in Luca et ascendis ad Deum septuaginta septem generationes invenis. Verbum, quum incarnatum est, abstersit et expiavit peccatum Lamech et universi mundi, sicut dixit Iohannes [2]: *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*. Rursus, quia dixit: *Filii Adam* 35 *qui a Deo*; h. e. quoniam multi cogitabant et dubitabant quomodo natus sit e Virgine absque semine, subiunxit illud: *Qui*

* p. 310.

[1] *Gen.*, IV, 24. — [2] Ioh., I, 29.

a Deo, ut ostenderet (Deum) plasmasse illum de terra et non opus habuisse masculo nec femina; itaque neque id quod hodie factum est difficile est. Praeterea, ut confunderet gloriationem Iudaeorum in hoc genere terreno si non sint bona opera, ideo ascendit ad Adam nec desiit in Abraham: Ecce omnes sunt ex 5 uno Adam qui a Deo creatus est.

[Caput IV]

* p. 311. * v. 1) *Iesus autem plenus Spiritu:* h.e. non ab Iordane impletus est; sed notum est ex eo quod postquam baptizatus est Spiritus descendit super eum; et ideo descendit illic ut osten- 10 deret eum esse Filium Dei; et in incarnatione sua accepit Spiritum; et quum illic accepit eum, (accepit eum) non quatenus Deus est sed quatenus factus est homo. Neque postquam natus est scriptum est eum impletum fuisse, sed in ipsa unione sua cum carne; et quod impletus fuerit in utero Vir- 15 ginis, non est quod indigeret, sed ut in sinu baptismi illum nobis daret.

v. 2) *Ut tentaretur a diabolo:* Satanas duas luctas cum Christo commisit: unam quidem quam commisit cum eo per totum tempus ante baptismum incitans eum ad peccatum; 20 alteram autem, hanc. De prima lucta Evangelistae non scripserunt. Sunt in nobis octo species passionum; prima gula; fornicatio, amor pecuniae, tristitia, ira, pigritia, vana gloria, superbia. Capita earum tria sunt, quibus Satanas cum Domino nostro luctatus est quibusque homines capiuntur, scilicet: 25 (primum) gula seu amor ventris qua ad voluptates et turpia eximus; hanc vicit quia diabolus dixit ei ut faceret panem. Secundum, amor mammonae quo ad iniuriam et fraudem aliorum eximus; quia statuit coram eo regna et petiit adorationem, abire fecit eum retrorsum se. Tertium, amor super- 30 biae et fastus quo ab honesto eximus et iactantia impellimur in Deum et homines; in casu de pinnaculo templi confudit eum. Tria certamina (seu) exercitationes passionum quae in * p. 312. nobis sunt Satanas ad Christum attulit secundum tres * partes animae: concupiscentiam, iram, rationem. Has tres partes 35 sanavit (Christus): concupiscentiam quidem per ieiunium,

iram autem per misericordiam, rationem vero per orationem. Si quis retorqueat: Si Satanas phantasma ostendit, quomodo reputatur victoria? Sciat ille Dominum nostrum non opus habuisse victoria, sed (hoc factum esse) ut Satanas revelaretur et detegeretur et condemnaretur. Praeterea, vera victoria haec est quae fit cum scientia, non cum viribus violentis, et quod homo praecognoscat artes inimici sui eisque illum superet.

v. 13) *Secessit ab eo aliquamdiu;* illo quidem: *Secessit ab eo,* non dixit eum secessisse usque ad tempus passionis; imo incitabat Iudaeos adversus eum; verumtamen voluntas eius non impleta est, nam cohibitus est a Domino nostro propter utilitatem auxilii nostri usque ad tempus quod (Dominus) voluit sicut dixit[1]: *Pater mi, venit hora.* In Harqlensi: Discessit ab eo [usque ad tempus]; h. e. (cum) completum est tempus oeconomiae et advenit passio et mors.

v. 14) *Et reversus est Iesus in virtute Spiritus;* h. e. a deserto, ubi tentatus fuit, in Galilaeam.

v. 15) *Et laudabatur ab omnibus;* h. e. propter virtutes quas faciebat, et doctrinas quas docebat.

v. 16) *Et venit Nazareth,* ut praestaret Nazarenis, inter quos educatus fuerat secundum carnem, beneficia curationis et doctrinae. *Et ingressus est, sicut solitus erat, in synagagam die sabbati*; ingressus est ut diem sabbati honoraret et ut commodum perciperent ex doctrina eius, quia die sabbati cessabant ab opere et congregabantur. Rursus, ingressus est ut doctrinam suam coram omnibus manifestaret. Illo: *Sicut solitus erat,* ostendit eum in synagogam saepe ingressum fuisse: primum quidem, ne reputaretur legi adversari; alterum autem, ut esset eis exemplum ut ad orationem venirent. *Et surrexit ad legendum.*

v. 17) *Et datus est ei liber Isaiae;* mos erat Iudaeis et hodie usque ut iis, qui eminentes erant scientia * ac moribus, darent legendos libros Moysis et prophetarum in sabbatis et festis ad populum; et quia Christus eminentior erat omnibus, dederunt ei ut legeret. Vide pulchrum eius institutum, quia non accepit librum donec dederunt ei ut nos doceret quod homo, etsi

* p. 313.

[1] Ioh., xvii, 1.

doctus sit et excellens, nihil extra ordinem suum aggredi debet donec iussus fuerit.

v. 18) *Spiritus Domini super me;* haec Isaias ad Patrem dixit [1] tanquam e persona Christi. Vere enim Deus Verbum in se suscepit ungi seu sanctificari a Spiritu sancto secundum carnem, cum ipse esset consubstantialis Spiritui et dator eius. *Unxit me*, h. e. sanctificavit me. *Ad evangelizandum pauperibus;* quasi quis retorsisset in eum: Propter quam causam unxit te? et respondisset: Ut evangelizem pauperibus, h. e. gentibus quae cognitionis Dei inopes sunt et vacuae ab omnibus bonis. *Ad sanandum contritos corde;* h. e. qui contriti sunt peccato. *Captivis dimissionem;* h. e. iis, qui captivi facti fuerant a daemoniis rebellibus quae in eos ingressa sunt, praedicavit dimissionem, quia eiecit ea ab illis. *Et caecis visum;* h. e. eos, qui caeci erant et obcaecati quoad cognitionem Dei, revelavit confessionem unius Dei ad Iordanem: Patris qui clamat, Filii qui baptizatur et Spiritus qui fovet. Rursus, quia dixit [2]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita et Filius et Spiritus qui de Patre procedit;* ecce tres hypostases. *Et ad confirmandum confractos per veniam*; h. e. confractos peccato confirmavit, quia peccata eorum dimisit iuxta illud ad paralyticum [3]: *Confortare, dimittuntur tibi peccata tua.*

v. 19) *Et ad praedicandum annum acceptum Domino;* h. e. annum trigesimum quo baptizatus est et incepit patrare miracula acceptum vocavit, quia in eo homines a peccato discesserunt et * ad paenitentiam accesserunt et accepti sunt a Deo. Rursus, ex illo anno usque nunc annus acceptus est, tempus acceptabile quia inde et deinceps Deus peccatores excipit sicut dixit Paulus [4]: *Ecce nunc tempus acceptabile.*

* p. 314.

v. 20) *Et convolvit librum;* h. e. quia in tegmine designatus erat propheta secundum morem Iudaeorum. *Deditque eum ministro,* h. e. famulo et curatori rerum ministerii. *Oculi eorum intuebantur eum;* h. e. exspectabant dum explicaret lectionem quam legerat. Etenim mos erat Iudaeis ut is, cui datus fuerit liber ad legendum, diceret προοίμιον seu initium

[1] Is., LXI, 1. — [2] Ioh., V, 26; XV, 26. — [3] Matth., IX, 2. — [4] II Cor., VI, 2.

et introductionem explicationis iis quae lecturus esset, et aliquando in media lectione aut in fine explicaret lectionem. Occludatur os Syris invidis quia visi sunt inferiores et humiliores Iudaeis; hi enim absque explicatione Scripturam non 5 legebant; nostris autem diebus gratis oderunt eum qui discit et aliquando interpretatur commentarium et litteram, et obturant et claudunt os ei.

v. 21) *Hodie impleta est scriptura.* Iudaei quidem existimabant Isaiam haec verba olim vaticinatum esse de uno ex 10 prophetis aut regibus qui mortui erant, quasi consummationem iam accepissent. Ideo dixit: Haec non secundum opinionem vestram facta sunt, sed Isaias de meipso ea praedixit et hodie in me impleta sunt quoniam evangelizo pauperibus. Rursus, non casu nec fortuito nec neglegentia inventa est illa lectio, 15 sed gratia divina.

v. 22) *Et testimonium dabant ei omnes;* h. e. haec verba de ipso merito sumpta esse tanquam e persona eius ad Patrem. Rursus, Scribae et Pharisaei erant qui testimonium dabant ei et iidem invidebant ei, h. e. cum invidia procul esset * ab eis * p. 315. 20 testimonium ei dabant; cum autem invidia erga eum ingressa esset in eos invidebant ei. Rursus, vel quidam erant qui mirabantur et assentiebant verbis eius, et quidam voluntatem malam erga eum habebant et ad irrisionem dixerunt: *Nonne hic est filius Ioseph?* Illud: *Testimonium dabant ei*, h. e. vera 25 sunt verba eius, et hodie impleta est scriptura et Isaias de eo vaticinatus est. Qui autem dicebant: *Filius Ioseph*, h. e. Spiritus Dei super me, et cetera non sunt vera, nec Isaias haec de eo praedixit, quia hic est filius Ioseph.

v. 23) *Medice, cura te ipsum;* h. e. iunge miracula et 30 opera verbis tuis ut confirmentur, et ea, quae dixisti Isaiam de te vaticinatum esse, opere manifesta de te dicta fuisse faciendo in civitate tua virtutes et miracula. Rursus, iustum est ut medicus, si aegrotans sit, curet se ipsum et domesticos suos qui in loco ipsius sunt; similiter tu quoque fac in civi- 35 tate tua. Quid autem Salvator noster? Quum voluit ostendere eos ex invidia ipsi loquutos esse duo respondit eis: primum quidem, non esse prophetam qui accipiatur in civitate sua, dum non seipsum vocavit prophetam, sed prophetam in argumentum

adduxit: non solum non recipitis verba mea, sed invidetis mihi et vocatis me filium Ioseph. Civitatem autem suam vocat Nazareth ubi educatus fuerat secundum carnem; h. e. quemadmodum Moyses non acceptus fuit a synagoga cum sexcentis signis quae fecit, nec Samuel a populo Ramatha, nec Elias a Thesbitis, nec Eliseus a populo Abel-Mehula [1], nec Ieremias a populo Anathoth, ita neque accipior a vobis. Rursus, ut ostendat quod, quamvis sint eiusdem generis et eiusdem civitatis, tamen quia fidem non habent, non digni sunt ut miracula faciat. Et adducit exemplum ad confirmanda verba sua: 15

* p. 316. v. 25) *Multae * viduae erant... in domo Israel*; h. e. prophetam non esse acceptum in civitate sua, accipite vobis argumentum ex Elia qui non missus est ad viduas Israelitides filias populi sui sed ad alienam Sareptanam quae erat ex gentibus, quia haec exceperat eum. Et a decem leprosis, quos Dominus noster mundavit, unus, qui erat ex gentibus, ad Dominum nostrum venit. Et Eliseus non leprosum populi sui mundavit, sed Naaman qui venit ad eum cum fide, qui ex gentibus erat. Itaque ad confirmanda verba sua adduxit viduam Sareptanam quae cibum prophetae dedit, et Naaman Aramaeum et Idumaeum qui mundatus est ab Eliseo. Et millia pauperum et leprosorum domus Israel non saturati sunt nec mundati sunt quia indigni erant, et per hoc argumentum redarguit malitiam eorum et culpam a se reiecit. Naaman Aramaeum Graecus vocat Syrum, quia a Syria Phoeniciae erat, non ab Antiochia. Ablutio Naaman in Iordane typum Christi gerebat, quia mundaturus erat nos a peccatis nostris in baptismo. Tu autem vide Iudaeos tortuosos ac perversos: nunc, cum sanaret, vocabant eum adversarium Dei et violatorem sabbati; nunc autem in sabbato rogant eum ut virtutes faciat. 30

v. 28) *Et repleti sunt ira omnes;* h. e. propter illud quod dixit: *Hodie impleta est scriptura ista*, et Isaias de me vaticinatus est, et quia suum fecit exemplum et honorem Eliae et Elisei.

v. 29) *Ad supercilium montis:* h. e. ad extremitatem montis seu prominentiam exteriorem extremitatis montis infra quem erat profundum et abyssus magna. 35

[1] III *Reg.*, XIX, 16.

v. 30) *Ipse autem transivit per medium eorum;* h. e. quia non advenerat tempus passionis eius, exivit a manibus eorum, ita ut ne discessum eius quidem animadverterint.

v. 31) *Et descendit in Capharnaum civitatem Galilaeae;* ad
5 Galilaeos assidue * veniebat, quia erant infideles et superbi, ut * p. 317. sanaret illos per doctrinam suam et signa quae faciebat. *Et docebat illos sabbatis;* h. e. prophetae de me olim vaticinati sunt. Rursus, docebat illos ut relinquerent mala et facerent bona, quod notum est ex illo [1]: *Omnis qui viderit mulierem*
10 *ad desiderandam illam*, etc., et [2]: *Intrate per portam angustam.*

v. 32) *Et potestate pollebat verbum eius;* h. e. tradebat doctrinas e sua persona: Ego dico vobis haec, non sicut prophetae qui dicebant: Sic dicit Dominus. Rursus, ferebat
15 leges propria sua potestate, et imperabat spiritibus immundis et discedebant ab hominibus.

v. 33) *Vir in quo erat spiritus daemonii impuri;* Marcus illud vocat immundum [3]. Impurus quidem erat ex operatione sua qui faciebat adulterium et fornicationem; immundus
20 autem est propter legem, ut diximus, sicut is qui tangit os mortui. Illud vero daemonium erat impurum et immundum.

v. 34) *Quid nobis et tibi?* Heri postulasti ab eo adorationem in monte et hodie clamas: Quid nobis et tibi? et vocas eum *Sanctum.* Nazarenum vocavit eum tanquam ex civitate eius
25 ubi educatus fuerat secundum carnem. *Venisti ad perdendum nos;* daemonium eiectionem suam ex hoc homine vocat perditionem suam. *Novi te quis sis;* h. e. eum quidem novit, non quod scientia naturalis huiusmodi esset ei, sed (novit eum) ex prophetia Zachariae et Simeonis et Iohannis, et ex voce Patris.
30 *Sancte Dei;* h. e. quia cognovit virtutem eius posse eiicere ipsum, laudavit eum clam expugnans eum amore vanae gloriae ut non eiiceret ipsum; verumtamen non occurret venatio viro doloso sicut sapiens dixit [4]. Et Paulus et Barnabas non acceperunt * laudem a daemonio quod in incantatricem ingressum * p. 318.
35 erat [5].

[1] MATTH., V, 28. — [2] MATTH., VII, 13. — [3] MARC., I, 23. — [4] *Prov.*, XII, 27. — [5] *Act.*, XVI, 16-18.

v. 35) *Occlude os tuum;* h. e. quatenus est Deus cum potestate increpavit illud; non autem rogavit a daemonio ut praedicaret ipsum, ne Scribae per illud ad invidiam traherentur; neque indigebat testimonio daemoniorum, quia opera eius testimonium perhibebant ei. *Et deiecit eum daemonium;* h. e. Christus permisit ut deiiceret eum, ut cognosceretur crudelitas daemonii illius et manifestaretur sanatio a Christo. Et *exiit ab eo quum non nocuisset ei quidquam*; h. e. illud daemonium parabat se ut damnum huic viro inferret et deinde discederet, sed non permisit illi Christus.

v. 36) *Et admiratio magna invasit:* h. e. quia Iudaei existimabant eum esse sicut unum ex prophetis, et cum vidissent eum tanquam Deum iussu eiicientem daemonia obstupuerunt et admirati sunt. *Quod est verbum hoc quia in potestate et in virtute...?* h. e. imperat spiritibus impuris et exeunt ab hominibus; evidens est hoc esse divinum.

v. 37) *Et exivit de illo fama;* h. e. quod verbo tantum imperabat daemoniis et exibant ab hominibus. *In universam regionem quae circa illos erat;* regiones circa Galilaeam dicit.

v. 40) *Et omnes quibus erant aegroti;* quia dixit 'omnes' multitudinem innumerabilem inclusit. *Manum suam imponebat et curabat*; h. e. dedit corpori suo operationem sicut operationem ferri cum igne divino et consumente.

v. 41) *Et increpabat ea et non permittebat;* h. e. ut proclamarent eum esse Sanctum et Filium Dei, etc. Haec proclamatio erat apostolorum, non daemoniorum nec daemonum.

v. 42) *Aurora diei egressus est ut abiret:* h. e. in locum desertum qui vacuus erat ab hominibus exiit ne existimaretur esse amator gloriae, et ut doceret nos, quum volumus colere virtutes, fugere turbam tumultuosam. *Et turbae quaerebant eum et venerunt ad eum*; h. e. quia plenus erat * misericordiae sive in doctrina sive in opere. * p. 319.

v. 43) *Etiam civitatibus aliis oportet me evangelizare*; h. e. propter beneficia non solum in una civitate praedicabat doctrinam et regnum, sed in multis. Et ideo, ait, missus sum ut legatus; verumtamen Filius naturalis Patris sum.

[Caput V.]

v. 4) *Proiicite rete vestrum;* h. e. quemadmodum cepit Magos stellis quibus assueti erant, sic apostolos cepit captura piscium.

5 v. 5) *Rabbi, nocte tota laboravimus;* h. e. fatigati sunt prophetae in populo Israelitico toto tempore afflictionum suarum quod nocti comparatur, nec (populus) eruditus est. *Ad verbum autem tuum proiiciam rete;* h. e. in nomine tuo.

v. 6) *Et cum hoc fecissent incluserunt pisces;* h. e. apostoli 10 straverunt praedicationem suam et ceperunt seu discipulos fecerunt populos multos. *Et disrumpebatur rete eorum*; h. e. prae pondere et multitudine piscium.

v. 7) *Et innuerunt sociis suis qui erant in navigio altero;* h. e. apostoli innuerunt praeconibus ut adiuvarent se in prae-15 dicatione, dum mare figurat mundum, et duo navigia typus sunt circumcisionis et praeputii, et rete symbolum praedicationis, et pisces symbolum hominum qui capti sunt praedicatione evangelica.

v. 8) *Discede a me quoniam homo sum [peccator];* h. e. 20 homines egregii, quum considerant infirmitatem humanam, recusant appropinquare ad Deum, sicut recusavit Manue [1] et centurio [2].

v. 9) *Stupor enim invaserat omnes;* h. e. quia miraculum magnum factum est, nam tota nocte laboraverunt nihilque 25 ceperunt et in verbo eius tantum ceperunt. Similiter stupor invasit Iacobum et Iohannem sicut invaserat Simonem.

v. 10) *Ne timeas... homines * capies ad vitam*; h. e. ad fidem quae est vita animarum vestrarum. * p. 320.

v. 27) [*Vidit*] *publicanum cuius nomen Levi;* h. e. Mat-30 thaeus; propter humilitatem suam posuit nomen quo cognitus erat, h. e. ut omnes scirent e quibus vocatus fuerat.

[1] *Iud.*, XIII. — [2] Matth., VIII, 8.

[Caput VI.]

v. 12) *Et illic pernoctaverat in oratione Dei;* h. e. oraverat ut auferret opinionem quam Iudaei de ipso habebant, h. e. eum esse seductorem et adversarium Dei.

v. 13) *Vocavit discipulos suos et elegit ab eis;* h. e. multi erant discipuli Salvatoris nostri; sed coniuncti amore erant octoginta duo, e quibus elegit duodecim iuxta duodecim menses anni et duodecim tribus, et septuaginta iuxta septuaginta duas palmas [1], et septuaginta seniores, et duos iuxta Eldad et Medad [2].

v. 15) *Matthaeum et Thomam;* h. e. Marcus et Lucas Matthaeum ante Thomam numerant; ipse autem propter humilitatem suam posteriorem posuit seipsum.

v. 14) *Bartholomaeum:* quidam dicunt: Vocabatur Iesus; alii: Ipse est Nathanael.

v. 16) *Et Iudam filium Iacobi;* dicunt: Hic est Lebbaeus. *Et Iudam Iscariotem;* propter nequitiam suam numeratus est novissimus, et post Simonem et Iacobum positus est.

v. 38) *Mensura bona et compressa;* ex iis quae apud nos fiunt vult indicare copiosam retributionem mercedis magnae. Solent enim ii, qui triticum aut aliquid aliud mensurant, cum volunt copiose dare, erigere mensuras suas, et non inclinant eas, et aliquando etiam manus eis super imponunt ut res abundet. Similiter etiam nobis retribuetur in mundo futuro propter misericordiam quam hic in alios fecerimus.

*p. 321. * v. 39) *Numquid potest caecus caecum ducere?* h. e. cum peccator sis, iustum non est ut eum, qui deliquerit, corrigas; alioquin uterque vestrum in foveam cadet; etenim ille non corrigitur propter actiones tuas malas, et tu quoque propter audaciam tuam quod te non decet fecisti.

v. 40) *Non est discipulus qui maior sit magistro suo;* h. e. quomodo alios quod ignoras docebis? Propositum enim discipuli est ut magistrum suum imitetur. Si autem tu, qui correctionis indiges, alium correxeris, id tantum ei lucraberis quod fiet sicut tu.

1 *Num.*, XXXIII, 9. — 2 *Num.*, XI, 24-26.

[Caput VII.]

v. 12) *Et quum appropinquasset ad portam civitatis:* quia ipse est ostium ovium. *Vidit deducentes mortuum;* h. e. hic mortuus dignus erat misericordia quia erat adhuc adolescens et unicus matri suae, et mater eius vidua erat; propterea misertus est eius ac *dixit ei: Ne fleas,* h. e. quia ablaturus erat fletum eius per resurrectionem.

v. 14) *Tibi dico: Surge;* non oratione sicut unus ex prophetis suscitavit eum, sed mandato sicut Dominus viventium et mortuorum.

v. 15) *Et coepit loqui;* h. e. cum suscitatus fuisset, turbae interrogaverunt eum: Quomodo suscitatus fuisti? Dixit: Tanquam e somno excitatus sum et experrectus sum.

v. 16) *Et invasit timor;* h. e. viderant mortuum subito surgentem. *Et propheta magnus surrexit in nobis;* h. e. cum existimarent se magnalia de eo sentire, tantum defecerunt a congruentia quantum est discrimen inter Deum et prophetam, et, dum Christus est Deus secundum naturam, ipsi putaverunt eum esse prophetam.

v. 17) *Et egressus est de eo sermo iste;* h. e. verbo tantum imperavit adolescenti et surrexit. *In universam * regionem circa illos;* h. e. etiam in aliis regionibus (auditum est): Verbo imperavit et (adolescens) surrexit. * p. 322.

v. 34) *Venit Filius hominis comedens et bibens;* quare Iohannes non comedebat nec bibebat, et Dominus noster comedebat et bibebat? Iohanni opus erat ieiunio; Domino nostro autem, quia sanctus est et sanctificator et non cognovit peccatum, opus non fuit ieiunio. Etenim si Dominus noster cibo abstinuisset dixissent: Ergo cibi sunt immundi, aut existimassent eum esse hominem simplicem et indigere operibus ascetismi sicut Iohannes, ut passiones reprimere posset.

v. 36) *Venit autem unus ex Pharisaeis, [rogavit eum] ut ederet;* hic Pharisaeus vocavit eum ut propter hoc ab hominibus laudaretur. Et putabat eum esse prophetam et hominem simplicem; ideo (Christus) adduxit parabolam (ostendans) se non esse hominem simplicem sed Deum incarnatum, et homines esse

debitores suos, et se esse iudicem peccatorum et propitiatorem delictorum eorum. Veniebat ad Pharisaeos ut sanaret eos, quia aegrotabant propter necem eius. Rursus, (venit) ne putaretur excusare seipsum ab illis propter fastum et superbiam.

v. 37) *Mulier peccatrix erat in civitate illa;* h. e. in Nain. *Accepit alabastrum unguenti:* h. e. quamdam ampullam vitream cuius os est obliquum aut vas vitreum seu lagunculam. *Unguentum;* h. e. oleum compositum et aromaticum vocat.

v. 38) *Et stetit post eum ad pedes eius;* h. e. si post eum stetit, quomodo potuit stare ad pedes eius? Et dicimus: Christus accumbens et recumbens erat, et pedes eius paulum retro extensi erant; ideo quum ipsa stetit post eum ad pedes eius stetit. Quum enim quidam recumbit extensis pedibus potest quis stare post eum ad pedes eius. Et quia ipsa timebat et erubescebat et dabat ei * honorem, stetit post eum. *Et flebat;* h. e. quia eam paenituit peccatorum suorum; alterum, ut ipse dimitteret ea; rursus, flebat quia timebat, eo quod ipse cognoscebat peccata eius. *Et coepit lacrymis rigare;* h. e. credebat in eum; quia petebat remissionem peccatorum suorum et timebat, ideo flebat. *Et capillis capitis sui abstergebat*, h. e. detergebat capillis suis ut sanctificaretur ab illo. *Et osculabatur pedes eius;* h. e. quia diligebat. *Et ungebat unguento;* h. e. tanquam homini sancto et divino, sicut etiam sacerdotes et reges ungebantur. (Christus) sibi suscepit ungi sicut sibi suscepit incarnari; et sicut Pater eius accepit odorem et fumum holocaustorum victimarum, ita etiam Filius eius. Ex eo quod loquutus erat cum Samaritana et acceperat petitiones omnium qui accedebant ad eum, ipsa confortata est ut accederet ad eum tanquam ad Deum inhumanatum, non tanquam ad hominem. Et hoc patet ex eo quod remissionem peccatorum petebat, nam proprietas dimittendi peccata non ad homines sed ad solum Deum pertinet. Ergo Christus est Deus qui incarnatus est, nec tamen mutatus est ab eo quod est Deus.

* p. 323.

v. 39) *Hic si propheta esset;* Pharisaeus in corde suo Dominum nostrum culpavit quia lex vetabat sanctos immundis commisceri, et Christus ut Deus cogitationes eius cognovit. *Quia peccatrix est*, h. e meretrix.

v. 40) *Simon, habeo aliquid dicere;* h. e. ex eo quod Christus cogitationem Pharisaei cognovit, patet eum esse Deum; nemo enim nisi Deus cogitationes noscit.

v. 41) *Duo debitores erant creditori,* h. e. feneratori. *Unus debebat denarios quingentos;* h. e. peccatores, quibus sunt peccata multa, sicut illa peccatrix. *Et alter * denarios quinquaginta;* h. e. qui habent peccata minora, sicut peccata Pharisaei gloriosi aut iustorum scilicet qui gloriantur in iustitia sua, quia et ipsi remissione indigent. * p. 324.

v. 42) *Quisnam ex eis* [*plus*] *eum diligit?* h. e. Dominus noster, ut significaret se non ignorare sicut Simon putabat, per parabolam ostendit se omnia cognoscere. Tu quidem cum gloriatione invitasti me, nec curae tibi fuit de oblectamento et de honore meo, et quia putasti satis esse quod vocaveris me.

v. 43) *Aestimo quia is cui plus donatum est;* h. e. Simon ex ore suo condemnatus est; ostendit quod peccatrix plus quam Simon Christum diligere debuit quoniam (Christus) plus ei dimisit.

v. 44) *Aquam pedibus meis non dedisti;* h. e. tanquam hospiti molestato. *Et dixit Simoni: Vides mulierem?* h. e. ne dicas neque putes me nescire quae sit. *Haec autem lacrymis suis pedes meos* [*lavit*]*:* h. e. propter timorem suum et paenitentiam suam de eis quae fecit.

v. 45) *Tu non osculatus es me;* h. e. sicut amicum. *Haec non cessavit osculari pedes meos;* h. e. quia multum dilexit me.

v. 46) *Tu oleo caput meum non unxisti;* h. e. tanquam ei qui languidus est et contritus aestu.

v. 47) *Propter hoc;* h. e. paenitentiam quam ostendit. *Dimittuntur ei sua peccata;* h. e. quia multum dilexit, dimittuntur ei peccata sua multa. *Is autem cui paululum dimittitur;* h. e. hunc Pharisaeum innuit qui gloriosus erat et propter hoc existimabat se minus indigere misericordiae divinae. Huic peccatrici permisit accedere ad se quia merito multum dilexit eum; et ipse vidit cogitationes eius ut Deus, quod propter remissionem peccatorum suorum accesserat ad eum.

v. 49) *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* Pharisaei in seipsis cogitabant solius Dei esse dimittere peccata; et quemadmodum existimaverunt, Christus ita peccata dimisit. * Ergo * p. 325.

Christus est Deus, et quia Deus est, more dominico peccata dimisit etsi incarnatus est et factus est homo.

v. 50) *Fides tua te salvam fecit;* h. e. mortua eras in peccatis tuis et facta es vivens. Sanctus Mar Ephraem: Haec peccatrix vocabatur Maria. 5

[Caput VIII]

v. 1) *Et circumibat Iesus;* h. e. ut multis prodesset. *Et evangelizabat regnum Dei,* ad institutionem et mutationem optimam nobis reservatam, qua fiamus immortales et incorruptibiles. 10

v. 2) *Et mulieres illae quae sanatae fuerant;* h. e. per illas Lucas indicavit multitudinem curationum quas fecit Iesus.

v. 3) *Et Iohanna uxor Chusae;* h. e. hae mulieres propter beneficia quae ab eo acceperant amorem erga eum ostendebant. 15

v. 38) *Ille homo e quo egressa fuerant daemonia petebat ab eo ut apud eum esset;* h. e. timebat ne daemonium rediret in ipsum; et ideo Christus non permisit ei (venire). Iterum, quia non aptus erat ad praedicationem, nam ex gentibus erat. Et ne ipse (Christus) reputaretur a Iudaeis adversarius legis. 20 *Narra id quod fecit tibi Deus;* eo loco appellavit seipsum Deum.

v. 43) *Mulier quaedam cuius eruperat sanguis.* Sanctus Eusebius dicit[1]: Haec mulier erat ex gentibus, de civitate Panaede quae est Caesarea Philippi. Haec mulier, cum sanata 25 esset, abiit et erexit iuxta portam domus suae lapidem magnum et super istum statuam seu imaginem aeream, similitudinem et figuram Christi erecti et stantis et induti pallio, et adversus hanc *imaginem erexit alteram in similitudinem suam, genibus flexis protensisque manibus. Et prope pedes imaginis 30 Christi sub columna lapidea germinavit planta quaedam bene olens, diversa adspectu suo ab aliis plantis, et ascendit usque ad fimbriam tunicae eius, et curabat morbos et infirmitates. Ipse Eusebius testatur se vidisse oculis suis imaginem et plan-

*p. 326.

[1] Cf. *Hist. eccl.*, III, vii, 18.

tam; mansit autem planta illa a tempore Domini usque ad tempus Iuliani tyranni, spatio trecentorum annorum, et a gentilibus et Iudaeis eradicata fuit et succisa.

[CAPUT IX]

5 v. 17) *Et collegerunt fragmenta;* h. e. Dominus noster iusserat eos colligere fragmenta; h. e. ne miraculum putaretur secundum phantasma magiae factum esse, sed ut, quoniam reliquiae uno aut duobus diebus servantur, haec crederentur revera facta esse.

10 v. 33) *Tria tabernacula;* veritus est dicere tres domos; antea enim didicerat [1]: Non possidendum aurum et relinquendas domos etc. Dixit: Tabernaculum, quia facilis est usus eius et brevi tempore manet et postea cito dissolvitur. *Nesciebat quid diceret;* h. e. nesciebat Dominum nostrum passurum esse et cruci-15 fixum iri. Rursus, nesciebat tabernacula non in hoc mundo esse sed in mundo lucis, quia tabernacula quae dixit Simon illic sunt [2]: *Recipient vos,* ait, *in tabernacula sua aeterna.*

v. 34) [*Cum vidissent*] *Moysen et Eliam ingressos nubem;* aliqui interpretes dicunt: Non decebat Moysen suscitari et 20 deinde mori. Et dicimus: Multitudo mortuorum suscitati sunt in veteri testamento et in novo; ergo ne eos quidem mori decebat. Sed illa * revelatio in monte typus est resurrectionis et regni; ideo suscitatus est Moyses et venit Elias. * p. 327.

v. 40) *Et petii a discipulis tuis ut eiicerent eum;* discipuli 25 quidem illud daemonium eiicere non potuerunt quia, dum apud Dominum nostrum essent, hoc donum prohibebatur eis, nam non decebat eos in praesentia eius facere signa; postquam autem misit eos binos, signa et virtutes multas faciebant.

v. 49) *Vidimus quemdam eiicientem daemonia in nomine 30 tuo;* h. e. dixerunt ei: Si vis facere virtutes in nomine Christi, veni, fias discipulus eius et sequere eum; sin minus, ne facias virtutes in nomine eius; propter hanc rationem prohibuerunt eum. Christus dedit apostolis potestatem super daemonia ut eiicerent illa; et ipsi existimaverunt quod non liceret alii

[1] Cf. MATTH., X, 9; XIX, 29. — [2] LUC., XVI, 9.

eiicere daemonia praeter seipsos, et propter hanc rationem prohibuerunt eum et accesserunt ut Christum interrogarent.

v. 50) *Ne prohibeatis eum;* h. e. quia non potest facere virtutes in nomine meo et deinde afficere me conviciis sicut Iudaei. Etenim, eo quod eiicit daemonia in nomine meo, non contra vos stat sed pro vobis, et confirmat praedicationem vestram. Vide autem oboedientiam illius hominis, nam postquam dixerunt: Prohibuimus eum, a re cessavit. Quis est ille? Nonnulli dicunt: Unus ex iis qui facti sunt discipuli Evangelii; alii: Unus ex iis qui a Christo sanati fuerant.

v. 51) *Et factum est cum implerentur dies ascensionis eius;* h. e. proxima erat eius passio et mors et ascensio.

v. 52) *Et misit nuntios ante faciem suam;* h. e. expositores et legatos, qui sunt Iacobus et Iohannes. Ut prodesset eis misit apostolos ad eos, et ut discipulos doceret, cum non reciperentur, patienter id ferre; nec *nesciens utrum acciperentur misit illos. Rursus, ne cum viderent eum patientem scandalizarentur; et ut exercitarentur longanimitate. Id autem (v. 54): *Cum vidissent*, de illis qui iam ab eo missi fuerant ad Samaritanos convenit dici, non de iis qui erant cum eo. Rursus, non id dixit: (v. 53) *non receperunt eum, quia mens eius erat versus Ierusalem;* erat enim voluntatis eorum ut reciperent eum aut non reciperent eum; sed (id dixit) quia Dominus noster omnino efficere potuisset ut reciperent eum nisi in animo habuisset in Ierusalem ire. Illo autem: *Cum vidissent Iacobus et Iohannes*, patet eum misisse illos.

v. 54) *Sicut etiam Elias fecit;* h. e. descendere fecit ignem super duos duces quinquagenarios et super copias eorum.

v. 55) *Et conversus est et increpavit eos;* h. e. ne irascantur illis qui peccant in eos. *Nescitis cuius spiritus vos estis;* h. e. utrum sitis spiritus legis quae peccatores secundum iustitiam ulciscitur, an evangelii quod patienter fert peccatores dum paenitentiam respicit.

v. 56) *Filius hominis non venit ad perdendum animas;* h. e. vos quoque, o discipuli mei, sic facite. *Et abierunt in pagum alium;* h. e. incolae pagi istius bonam voluntatem erga eum eiusque discipulos ostenderunt,

* p. 328.

v. 57) *Dicit ei alius: Veniam post te... Domine mi;* hic vir coniunctus erat cognatis suis, et volebat reddere eis quod decebat; et quia Dominus noster vidit intentionem suam non esse rectam prohibuit eum, adducens argumentum:

5 v. 62) *Nemo admovet manum suam ad vomerem aratri;* h. e. quemadmodum labor eius qui in cultura terrae mittit manum suam ad vomerem aratri, si respicit retrorsum, non recte procedit, ita qui discipulatum meum sequitur, si exspectet facere quae conveniunt ei, ne convertatur neque respiciat ter-
10 rena.

* [CAPUT X] * p. 329.

v. 1) *Separavit Iesus e discipulis suis alios septuaginta, et misit eos binos;* quia multi erant qui credebant, misit eos cum duodecim ut converterent illos ad fidem; et praedicabant:
15 Paenitentiam agite, appropinquavit regnum caelorum, et: Parate viam Domini. Quare misit eos binos? Ut consolarentur se alter alterum; et quia Dominus noster e duobus compositus est, h. e. ex divinitate et ex humanitate.

v. 4) *Pacem [ullius] in via ne petieritis;* non quo prohiberet
20 eos a pace, Dominus pacis haec dixit, sed fecit eos vigiles et studiosos in praedicatione. Quod simile est ei quod Eliseus dixit Giezi suo discipulo [1]: *Si inveneris quempiam, ne benedicas ei,* h. e. ne tardaret et detineretur narratione et loqueretur in via. Ita etiam hic Dominus noster discipulos hortatur
25 ut sint vigiles et diligentes et fortes animo.

v. 5) *Et quamcumque domum intraveritis prius dicite: Pax,* etc. *Si autem non fuerit digna;* h. e. etsi salutaveritis eos et excepti fueritis cum alacritate, si domus non fuerit digna pace, ad vos revertetur pax vestra. Per hoc eos innuit qui cum gloria
30 humana recipiunt et honorant (praedicatores), non cum consilio divino.

v. 7) *Neque transeatis de domo in domum;* h. e. ne videamini avidi et leves mente et inconstantes.

v. 17) *Et reversi sunt illi septuaginta... cum gaudio;* quia
35 facti fuerunt patratores signorum et miraculorum. *Domine*

[1] IV *Reg.*, IV, 29.

noster, etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo: quia dixerunt: *etiam*, comparatio instituitur, scilicet: Quemadmodum miracula fecimus in nomine tuo, h. e. sanationem
* p. 330. aegrotorum, etc., ita et daemonia per * nomen tuum subiecta sunt nobis et egressa sunt ex hominibus. Et in quo nomine? 5
Non in nomine Christi, nec in nomine Domini, sed in nomine Iesu. Illud: *Daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo*, non seorsim stat, sed cum alio iungitur secundum morem Scripturae et omnium, (sicut illud) [1]: *Neque altitudo neque profundum, neque etiam alia creatura poterit separare me*, et quasi 10
quis diceret: Non solum a te non timeo, sed nec etiam a rege quidem timeo. Ergo sententia incompleta est, et aliunde debemus aliquid ante *etiam* introducere, h. e.: Non solum miracula et signa fecimus in nomine tuo, sed etiam daemonia subiecimus in nomine tuo. 15

v. 18) *Videbam Satanam quod caderet sicut fulgur;* h. e. quemadmodum fulgur, quum fulget, adspectu suo illuminat, et quum transit lumen eius cessat et exstinguitur, ita et Satanas creatus est fulgens, et cum mutatus esset in malum, lumen suum perdidit. *Quod caderet sicut fulgur;* h. e. me non 20
latet daemonia subiici vobis; sed velim sciatis causam unde hanc potestatem accepistis. Quemadmodum, scilicet, quum fulgur fulget spectatores timent, et cum transierit non timent, ita et Satanas, quum creatus fuit, terribilis erat, et postquam cecidit timet ab hominibus optimis. Rursus, quemadmodum 25
fulgur repente fulget et transit, ita et Satanas, quum creatus est, non mansit in lumine suo sed cito mutatus est; et quemadmodum fulgur, quum fulget, desuper in caelo est, et cum exstinctum est descendit et cadit, ita et Satanas, quum creatus est, in caelo erat, et postquam declinavit, descendit et cecidit. Mar Ephraem: Non de caelo cecidit Satanas, neque fulgur 30
de caelo cadit, sed nubes generant illud tanquam de caelo; verumtamen sicut fulgur et in uno momento Satanas sub crucem cecidit. Et sicut fulgur cadit et in locum suum non
* p. 331. revertitur, sic Satanas cecidit et in * potestate sua non amplius 35
stat.

[1] *Rom.*, VIII, 39.

v. 19) *Calcandi serpentes et scorpiones;* h. e. daemonia; sicut serpentes et scorpiones hominibus nocent, sic et Satanas et exercitus eius nocent animae et corpori. *Et nihil vos laedet;* h. e. ex exercitibus diaboli nihil damni afficiet vos.

v. 20) *Ne gaudeatis quod daemonia subiiciantur vobis;* h. e. ne gloriemini, ne forte eveniat vobis quod evenit Satanae qui propter superbiam et elationem suam de caelo detrusus est. Non enim naturae vestrae est, secundum voluntatem vestram, sed virtutis meae potentis quod subiciantur vobis omnia nociva spiritalia et sensibilia. Neque Iudas proditor hoc gavisus est. *Sed gaudete quod nomina vestra scripta sint;* h. e. hic est fructus voluntatis vestrae strenuae et laboris vestri in virtute. Illud autem quod dixit: *Scripta sint*, non dixit quasi sint in caelo charta et atramentum et scriptores, sed per scriptionem significat memoriam Dei constantem et firmam et inoblitam. *Gaudete*, scilicet, quia adscripti estis heredes regni. Sed nonnulli dicunt: Quare non oportebat eos gaudere de dono miraculorum quod Dominus noster dedit eis? Dicimus: Non de dono miraculorum dixit: *Ne gaudeatis*, sed cohibuit eos a iactantia et amore laudis.

v. 25) *Et ecce scriba quidam magnus surrexit ut tentaret eum;* scribam hic vocat eum qui legit scripturam et docet scripturam, non eum qui scribit scripturam. Quidam dicunt: Hic diversus est ab eo quem Matthaeus memorat; et patet ex eo quod hic ut tentator accessit ad eum, ille vero non ut tentator, et ex eo quod scribam illum, quem dicunt Matthaeus[1] et Marcus[2], Lucas post hunc eventum memorat[3]; quod si unus esset non bis descripsisset illum. Alii: Unus est et bis accessit ad Christum ut tentaret eum: *prius id quod dixit Lucas; secundum, illud quod tres (evangelistae) pariter memorant. Prima vice ipse recitavit mandata; secunda vice ipse Christus dixit ea. *Doctor, quid faciam ut hereditate possideam vitam aeternam?* Eo tempore erant nonnulli qui circuirent regionem et culparent Iesum quod diceret legem nihil prodesse et introduceret doctrinas novas, h. e.: Qui crediderit in me hereditate possidebit vitam aeternam[4]. Unus ex istis erat

* p. 332.

[1] Matth., xix, 16. — [2] Marc., x, 17. — [3] Luc., xviii, 18. — [4] Cf. Ioh., iii, 36.

hic scriba qui amore gloriae et versutia occupatus interrogavit eum modo tentatoris: *Quid faciam?* Si respondebit: Fac id quod doceo et hereditate possidebis vitam, reputabitur amans gloriam; si dicet: Nihil utilitatis ex legibus percipies, similiter capiet eum. Vocavit eum doctorem sperans verbis lenibus seducere eum.

v. 26) *In lege quomodo scriptum est?* h. e. Iesus autem respondit secus quam ille exspectabat; ille quidem sperabat se auditurum: Relinque legem et amplectere doctrinam meam.

v. 28) *Hoc fac;* fac scilicet quod scriptum est in lege et vives vita aeterna.

v. 29) *Ipse autem cum vellet iustificare seipsum;* h. e putavit non esse similem sibi, neque accedentem ad se, et se esse supra omnes homines. *Et quis est proximus meus?* hic scriba amans gloriam existimabat virtutem in hoc consistere quod homo socium suum et amicum suum diligat; itaque cum interrogaret Christum: Quis est meus proximus? exspectabat eum responsurum esse: Amici tui et cognati tui, et se dicturum: Hos diligo, et laudatum iri a Domino nostro tanquam factorem legis. Dominus autem hanc parabolam adduxit ut (ostenderet) perfectionem legis non consistere in hoc quod diligamus amicos et cognatos, sed eos qui diligunt (nos) et eos qui non diligunt nos, cognatos et non cognatos. Rursus, *quis est meus proximus?* Filius proximum vocat seipsum. Illo: Dilige Dominum, Patrem significat, et illo: (Dilige) proximum tuum, seipsum indicavit. * Etenim quia sumpsit corpus, factus est proximus noster et congener noster secundum carnem. Pater enim et fratres et familia fallunt nos in nativitate aut in morte; Deus autem proximus est nobis; in nativitate ipse nos plasmat et spirat in nos animam. Rursus, propinquior est nobis quam membra nostra, quia spatium est inter membrum et proximum eius; ipse vero est cum anima et corpore, cum capite et pedibus.

*p. 333.

v. 30) *Homo quidam descendebat ab Ierusalem;* Dominus noster hac parabola usus est ut huic scribae ostenderet peritiam in lege, nisi dilectionem erga proximum suum habeat, nihil profuturam esse ei, nec opinionem quam de se habet: non esse similem sibi, sicut sacerdotium et officium levitae nihil profuerunt sacerdoti et levitae qui misericordiam erga eum qui

spoliatus fuit non ostenderunt. Rursus, hic scriba existimabat proximum suum esse cognatum et affinem suum; Christus autem exemplum adduxit ut illi ostenderet eum, qui particeps est eiusdem naturae, et est homo sicut ille, esse eius proximum. Praeterea, hic scriba tanquam amans doctrinam interrogavit: Quis est meus proximus? Christus autem attulit ei exemplum et parabolam hoc ostendens: Ne quaeras nec scruteris quis sit proximus tuus, sed interroga Christum: Quis sit qui philanthropia indigeat? *Homo quidam descendebat ab Ierusalem:* haec parabola est res gesta. Tempore Osee, filii Ela, Salmanasar ascendit obseditque Samariam[1]; et captivos fecit filios Israel et adduxit in Assyriam et collocavit in Ḥalaḥ et in Ḥabor ad fluvium Gozan, civitatibus Mediae. Et adduxit de Babylone et de Ḥemath et Sepharvaim, et collocavit (eos) in civitatibus Samariae. Et leones coeperunt occidere eos. Et dictum est ad Salmanasar: Gentes, quas adduxisti, ignorant legem et fidem Dei terrae, et ecce interficiuntur. Et iussit sacerdotem de * filiis Israel ascendere, qui doceret eos legem ut liberarentur a leonibus occidentibus. Et cum ascendisset sacerdos et levita cum eo et docuissent eos legem, servati sunt a leonibus occidentibus; et post paululum cum reversi essent ad priorem suum errorem, reversi sunt contra eos leones. Sacerdos autem et levita, cum vidissent leones reversos esse, fugerunt. Eo tempore homo quidam Iudaeus vineam in Ierusalem colebat; et accepta mercede coepit descendere ab Ierusalem in Iericho; et occurrerunt ei homines de gentibus quas debellaverat Iosue, filius Nun, qui cum cognovissent eum esse e genere Mosaïco, eo quod indutus erat quodam vestimento cuius manicae non assutae erant, et circumcisus erat, ceciderunt eum, et tulerunt vestimenta eius, et reliquerunt eum tanquam mortuum. Eodem die evenit ut sacerdos transiret in via, qui, cum vidisset eum iacentem, timens aufugit ne latrones venirent et apprehenderent ipsum in via. Rursus, venit levita qui, cum audisset sacerdotem fugisse a Samaritanis, fugit et ipse eodem die, et vidit illum in via percussum et transiens reliquit eum. Postea eodem die

* p. 334.

[1] IV *Reg.*, XVII.

vir quidam de gentibus Babyloniae, quae consederant et custodiebant regionem, descendebat ab Ierusalem in regionem Iericho ut cognatos suos inviseret aut commeatum suum acciperet. Is, cum vidisset eum iacentem, doluit et descendit e iumento suo, et eduxit vinum et oleum et infudit in vulnera eius, et pannis detritis quos habebat secum obligavit eum; et quia non poterat incedere, imposuit eum asino suo adduxitque in Iericho. Et ingressi sunt hospitium, et cum vellet abire vocavit hospitem deditque ei duos denarios quos pro illo solvit dicens: Si amplius in eum impenderis, cum rediero reddam tibi. Et probro fuit Israelitis quia ille, qui ex gentibus erat, eius qui percussus fuerat plus misertus est quam sacerdos et levita. * p. 335. Samaritanus lingua hebraica interpretatur custos, * quia ascenderunt de Babylone ut regionem custodirent. Rursus, vocatus est Samaritanus quia degebat Samariae, et ii qui degebant in monte Samariae appellabantur Samaritani, tanquam e nomine Samir, domini montis, quem emit Amri duobus talentis argenti [1].

Allegorice: *Homo*, Adam seu genus nostrum; *Ierusalem*, paradisus et vita beata; *Iericho*, vita aspera et terra maledictionum; *latrones*, daemonia et Satanas. *Spoliaverunt eum;* h.e. abstulerunt ei donum immortalitatis et sanctitatem et puritatem. *Percusserunt eum:* h. e. plagis idololatriae, fornicatione, passionibus, corruptione. *Sacerdos*, Melchisedech et lex Moysis; *levita*, universum agmen prophetarum qui post legem venerunt. Rursus, *levita*: Moyses; quia neque natura seu Melchisedec, sicut lex naturalis, neque lex scripta Moysis potuerunt sanare naturam humanam et terrenam a peccato. *Quidam autem Samaritanus;* Christum appellabant Samaritanum, secundum illud [2]: *Samaritanus es et daemonium habes.* — *Accessit et obligavit vulnera eius*; h. e. ipse obligavit vulnus naturae nostrae aegrotantis et expiavit peccata eius. *Et infudit in eum vinum et oleum;* vinum, sanguis eius sanctus; oleum, chrisma suave; vinum, symbolum amoris; oleum, symbolum misericordiae. *Et imposuit asino suo;* animal seu corpus quod ex nobis sumpsit vocat asinum; rursus, asinum, cui imposuit eum, dicit

[1] III *Reg.*, XVI, 24. — [2] Ioh., VIII, 48.

crucem salutiferam. *Hospitium*, h. e. 'excipiens omnes' interpretatur; pernoctatio eius in hospitio descensum eius ad inferos figurat. *Mane diei;* h. e. praedicationem suam mane assimilat. *Duo denarii:* duo testamenta, aut Corpus et Sanguis.
5 *Hospes,* h. e. principes sacerdotum et rectores Ecclesiae. *Et si amplius,* h. e. post doctrinam horum testamentorum quam doces. *Quum rediero;* h. e. in adventu meo secundo retribuam tibi.

v. 36) *Quis ex his tribus *videtur* [*tibi*] *quod fuerit proxi-* * p. 336.
10 *mus?* h. e. non affinis eius neque cognatus eius sicut tu existimasti.

v. 37) *Similiter facito;* h. e. quomodo diligis et facis bonum cognatis tuis: igitur omnes homines dilige.

v. 38) *Mulier cuius nomen Martha;* hae duae mulieres
15 castae erant, et Martha maior natu erat.

v. 40) *Martha autem occupata erat ministerio;* h. e. ciborum pro eo et discipulis eius. *Domine, non est curae tibi quod soror mea...?* Propter quam causam non dixit Mariae ut adiuvaret se, sed dixit Domino ut praeciperet ei? Et dicimus: Aut innuit
20 ei quae non annuit, et ideo coacta est dicere Domino nostro; aut, quia vidit eam sedentem ad pedes Domini nostri et audientem, et non congruum iudicavit ut diceret ei: Surge; ne sic videretur despicere doctrinam Domini. Etenim etiam quum aliquis narrat aut docet, sine iussu non discedimus ab eo donec finem
25 fecerit, ne videamur despicere eum.

v. 41) *Martha, Martha;* iteratio vocationis duplici modo in Scripturis dicitur: aut ad confirmandum id quod dicitur, sicut illud: *Amen, amen* [1] — nam si sunt credentes et non dubitantes unum Amen, h. e. vere, dicit; si autem non sunt credentes sed
30 dubitantes duo Amen dicit, ut firmet eos verbis suis ne dubitent; sicut illud [2]: *Vanitas vanitatum*, et sicut illud quod dixit David [3]: *Castigans castigavit me Dominus;* — aut quia res propter quam vocatio iteratur remota est ab eo quod congruit, sicut illud: Martha, Martha. *Et conturbaris circa multa;*
35 cibos multos qui non sunt necessarii.

[1] V. gr. Ioh., i, 51. Ubique in ev. Iohannis *amen* reduplicatur, nusquam in Synopticis. — [2] *Eccl.*, i, 2. — [3] *Ps.* cxvii, 18.

v. 42) *Unum est quod requiritur;* h. e. cultus Dei, aut: cibus moderatus. *Maria vero partem bonam elegit sibi;* h. e. doctrinam quae ducit ad regnum quod non auferetur ab ea. Etenim
*p. 337. non * ut comederet et biberet veniebat ad eos qui vocabant eum, sed ut doceret eos cultum Dei. Et quare culpavit Mar- 5
tham, cum occuparetur ministerio eius? ecce enim amor peregrinorum laudabilis est. Solutio: Quia Martha de corporeis sollicita erat, Maria autem de spiritalibus. Rursus, amorem pauperum non reiecit, sed (id fecit) ut ostenderet quod tempore doctrinae non debemus de corporeis curare. 10

[Caput XI]

v. 2) *Domine noster, doce nos orare, sicut etiam Iohannes docuit.* Quae est oratio quam Iohannes discipulos suos docuit? Quidam dicunt: Deus, fac nos dignos regno tuo et laetari in illo cum Filio tuo. Alii: Pater, ostende mihi diem baptismi 15
Filii tui; attamen aliquis dicet: Postquam baptizavit Filium et vidit Spiritum et audivit Patrem, quomodo necessaria fuit ei oratio ista? Alii: Orabat: Paenitentiam agite, appropinquavit regnum caelorum. Alii: Pater, fac audiam vocem tuam; Fili, ostende mihi faciem tuam; Spiritus, ostende mihi descen- 20
sum tuum et manifesta in me virtutem tuam; neque hoc verum est. Prima explicatio videtur vera.

v. 5) *Quis est ex vobis cui sit amicus...?* Propter duo hanc parabolam narravit: primum quidem, ne nos taedeat orationis, sed ut curae multae sint nobis de ea; alterum autem, ut, cum 25
saepe oraverimus nec auditi fuerimus, non desperemus. Amicus est Christus, quia omnes homines amat, eos etiam qui nondum crediderunt in eum, et salutem eorum desiderat. *Media nocte;* h. e. relate ad hoc quod ad fidem tarde venit. *Da mihi mutuo tres panes*; h. e. tres hypostases sanctas. 30

*p. 338. v. 6) *Quia * amicus venit ad me;* amicus, qui venit, angelus est qui in fine vitae nostrae veniet.

v. 7) *Et filii mei mecum sunt in lecto;* filios in lecto vocat eos qui crediderunt eum corde simplici et fuerunt sicut pueri. Lectus autem requiem significat. Et haec dixit: Qui currunt 35
ad fidem media nocte seu in fine vitae suae et pulsant ostium,

exaudiam, ait Dominus, propter importunitatem eorum, et dabo eis panem qui est fides in Trinitatem sanctam, dum etiam angeli, qui venturi sunt in fine vitae eorum ut ducant eos, gaudebunt in reditu eorum iuxta illud[1]: *Gaudium erit* etc. Alio modo haec parabola dicta est, de illo: Ne taedeat vos orationis[2].

v. 5) *Et proficiscetur ad eum media nocte;* h. e. tempore quo molestum est hominibus reddere petitiones amicorum suorum. *Amice mi, da mihi mutuo;* h. e. aut haec petitio aut alia quaecumque.

v. 6) *Quia amicus venit ad me;* h. e. haec est petitio propter amicum.

v. 7) *Et ille amicus eius intus respondeat;* molestum est mihi surgere et aperire ei. *Et filii mei mecum sunt in lecto;* h. e. ne forte suscitentur e somno. Hae sunt causae propter quas impeditur petitio rogantis.

v. 8) *Quod si propter amicitiam non dederit ei;* h. e. similiter et vos adhibeatis curam orationi, et habeatis perseverantiam et longanimitatem in ea donec petitiones vestrae, quas iuste rogatis Patrem vestrum qui est in caelis, exauditae fuerint. Alio modo: *Quis est ex vobis?* h. e. sacerdos. *Cui sit amicus;* h. e. Deus. *Et proficiscetur ad eum;* h. e. sacerdos qui venit ad Deum tempore necessitatis. *Amice mi, da mihi mutuo tres panes;* h. e. sacerdos petit a Deo nomen Trinitatis. — *Quia amicus venit de via;* h. e. peccatores qui petunt veniam. *Ne molestus sis mihi quia ecce ostium clausum est;* h. e. * Deus dicit sacerdoti mystice: Hi non sunt digni venia, quia multum in me peccaverunt. *Propter importunitatem eius surget;* h. e. deinde, quum Deus videt curam sacerdotis ex toto corde supplicantis, tunc gratia eius misericors surgit et dimittit delicta peccatorum et induuntur armis Spiritus. Alio modo: *Quis est ex vobis?* h. e. Adam. *Cui sit amicus;* h. e. Christus. *Et profisciscetur ad eum media nocte;* h. e. venit Adam ad Christum in medio sexti millenarii. *Da mihi mutuo;* h. e. Adam a Christo petiit baptismum et Corpus et Sanguinem. *Amicus qui venit,* filii Adam; *domus,* regnum Dei; *filii,* patriarchae et prophetae; *lectus,* obitus.

* p. 339.

[1] Luc., xv, 10. — [2] Cf. Luc., xviii, 1.

v. 24) *Spiritus impurus cum exierit ab homine.* Hic ingressus est in populum tempore servitutis eius et fugit ab eis per Moysen liberatorem eorum, et postquam circuierat inter gentes reversus est adducens secum septem alios spiritus nequiores se de quibus Ieremias dixit [1]: *Infirmata est genitrix septem;* peperit vitulum in deserto [2] et duas imagines Ieroboam [3], et Manasse imaginem cui quattuor facies erant [4]. Similiter videtur Dominum nostrum sanasse Mariam Magdalenam a septem daemoniis. 5

v. 27) *Beatus venter qui portavit te:* scilicet, beata est mulier quae talem virum parit. 10

v. 28) *Beati ii qui audierunt verbum;* h. e. accepit beatitudinem eamque dedit custodientibus mandata Dei. Videte quomodo eos, qui servant mandata eius, matri suae assimilaverit.

[CAPUT XII] 15

v. 6) *Nonne quinque passeres...?* Matthaeus dicit [5] duos passeres venire * duobus assariis; h. e. ostendit vilitatem passerum. Ea enim quae excellentiora sunt, singillatim venduntur; quae autem viliora sunt, coniunctim et sicut olera. * p. 340.

v. 10) *Is qui in Spiritum sanctum blasphemaverit;* hoc verbum de illo tempore dictum est, non de diebus nostris. Etenim viderunt eum carne indutum ac dubitaverunt; de Spiritu autem non erat dubitatio. Blasphematores nostra aetate haud ignoranter blasphemant. Omni homini paenitentia possibilis est in omni peccato quod fit cum cognitione aut absque cognitione. Non autem ipse haud dimittit si illos paenitet, sed eos qui in hanc blasphemiam cadunt Satanas non permittit resipiscere. 20 25

vv. 13-15) *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem;* hic vir avidus ac mundanus erat eique erat frater qui Dominum nostrum sequebatur. Et quia Dominus noster praecepit divitias contemni, putavit se ex hoc mandato occasionem habere defraudendi fratrem suum, scilicet (putavit Dominum) 30

[1] IER., XV, 9. — [2] *Ex.*, XXXII. — [3] III *Reg.*, XII, 28. — [4] *Cf.* IV *Reg.*, XXI, 7. — [5] MATTH., X, 29.

statim huic dixisse: Si discipulatum meum eligis, quidquid habes da fratri tuo. Dominus autem quia noverat tempus huius perfectionis non adesse, et iterum, si praeciperet ut res recte administrarentur, illum consilio impudenti usurum esse et dicturum sicut fratrem Moysi in Aegypto[1]: *Quis constituit te super nos iudicem et divisorem*, ideo responsum dedit quod ille dicturus fuisset: *Quis constituit me?* etc. Non diiudicavit inter eos nec divisit hereditatem eorum quia, ut Deus, noverat quod ille avarus non gratum haberet accipere partem. Rursus, venit non ut divideret hereditates terrenas, sed ut separaret et divideret fideles ab infidelibus. *Cavete ab omni avaritia;* h. e. sive parva est sive magna, et ab omnibus eius speciebus. *Non est vita in abundantia facultatum;* h. e. sive vita mundi huius, *sive mundi futuri; neque haec vita neque futura una cum incremento facultatum vobis augebitur.

* p. 341.

v. 16) *Homini cuidam diviti protulit terra eius proventus;* hanc parabolam Dominus noster non dixit ut ostenderet vitam longinquam non esse cum abundantia facultatum, sed propter eos qui avidi et avari sunt, dum omnes divites in hoc divite includit. *Terra eius;* h. e. quia divites cum curis et anxietate semper trahuntur ad congregandas facultates.

v. 17) *Ut coacervem proventus meos;* h. e. vult frui solus, non respiciens ad futurum neque eleemosynas erogans.

v. 18) *Destruam horrea mea;* h. e. ut aedificem ampliora.

v. 19) *Comede, bibe;* h. e. potestatem habes haec dicendi, sed annis multis vivere non in potestate tua situm est. Et cum ille in hac cogitatione versaretur, quid respondit ei Deus? *Carens rationis;* h. e. carentem rationis vocavit eum quia iudicium tulit de eis quae nesciebat quomodo fiant. Illud autem: *Dixit ei Deus,* non voce prolata dixit ei, sed in hoc quod dixit indicavit (Deum) habere potestatem in vitam nostram et nos, tempore statuto scientia eius, de mundo egressuros esse eumque cognoscere tempus finis nostri. *Hac nocte animam tuam;* noctem vocat cogitationem obscuram et tenebrosam, quia ille cogitabat ampliare horrea sua et coacervare in eis proventus ad annos multos. *Animam tuam requirunt a te:* illo autem

[1] *Ex.*, II, 14.

quod dixit: Requirunt, non: Sumunt, ostendit angelos animas divitum vi educere. *Haec quae parasti;* h. e. nunc cessabunt a te secundum illud David [1]: *Non sumet quicquam in morte sua.*

v. 21) [*Ita est*] *is qui reponit sibi thesauros et in Deo non* [*est dives*]*;* h. e. qui colligit pecuniam et dives est, et in eis quae placent Deo non est dives; nam sicut dives ille diripietur et possessiones eius aliis relinquentur.

* p. 342. v. 32) *Ne timeas, grex pusille;* omnes fideles vocat * gregem pusillum, non apostolos, comparans illos cum angelis qui non peccaverunt; quod patet ex illo: *Quia voluit Pater vester dare vobis regnum,* dum regnum non apostolis tantum dedit sed et omnibus fidelibus. Alii: *Grex pusille,* h. e. minor quam ii qui possident multa, et despectus est et contemptus, quia in initiis Evangelii pauper erat. Quare dicit: *Ne timeas?* Quia elegerunt sibi cum paupertate virtutem, retribuet eis divitias magnas, h. e. regnum suum. *Quia voluit Pater vester dare vobis;* h. e. propter hoc ne timeatis quia estis pusilli ac pauperes, nam Deus ditavit vos regno caelorum pro fide vestra et pro eo quod elegistis in paupertate vivere.

v. 33) *Vendite possessionem vestram;* omnibus fidelibus universaliter dicit, aut discipulis, ut paupertatem voluntariam amplectantur propter Evangelium.

v. 35) *Sint praecincti lumbi vestri;* h. e. duo lumborum praecinctus sunt, corporis et animae; praecinctus quidem corporis utilis est ad laborem et profectionem, praecinctus autem animae concupiscentiam puritate et sanctitate ligat; et quia concupiscentia in lumbis et ima parte dorsi et renibus posita est, merito dicit hanc non solutam fore sed ligandam puritate et sanctitate. *Et accensae lucernae vestrae;* similiter lucernae quoque duobus modis sumuntur, materiales et spiritales; materiales quidem, illae quae ardent; spiritales autem, mentes quae vigilant; eo loco de praecinctu lumborum animae et de lucernis spiritalibus loquutus est.

v. 36) *Et estote similes hominibus qui exspectant;* h. e. qui parant ei omnia quae amat. *Quando reversurus sit;* h. e. adventum suum secundum vocat convivium. *Ut cum venerit*

[1] *Ps.* XLVIII, 18.

ac pulsaverit, confestim...; h. e. qui excipiunt eum cum operibus bonis et fide vera, quod est illud: *aperiant ei.*

v. 37) *Beati sunt servi illi;* h. e. remoti a * peccato. *Amen,* * p. 343. *amen,* h. e. veritatem veritatem, *dico vobis. Et accumbere* 5 *faciet eos;* h. e. in regno suo faciet eos accumbere. *Et transiens ministrabit eis;* h. e. honorem quem dabit eis significat; iis enim, qui honorantur, ministratur.

v. 38) *Et si in vigilia;* vigilias vocat aetates. Quemadmodum ii qui custodiunt vigiliam dividunt noctem, et unam vigiliam 10 numerant tres aut quattuor horas, quum ternas horas vocant unam vigiliam, ita et apud genus nostrum vigilias vocat aetates: pueritiam, adolescentiam, senectutem. Ab aetate puerili usque ad annum quartum decimum post nativitatem peccata nobis non vindicantur, quia Deus novit infirmitatem mentium 15 nostrarum. Primam vigiliam, quae est aetas puerilis, non memoravit, quia non expetit ab ea paenas peccati. Ideo dixit: *Secunda vigilia,* h. e. adolescentes et senes, si coluerint virtutem, digni erunt regno; pueri quoque imperfecti cum eis digni erunt quia baptizati sunt; quod si evenit ut errent non 20 tribuet eis suos errores propter imperfectionem eorum. Rursus, primam vigiliam vocat tempus ab Adam usque ad Christum; secundam, tempus incarnationis suae usque ad ascensionem suam; tertiam, ab ascensione sua usque ad adventum suum secundum. Noctem vocat hunc mundum, diem autem 25 mundum futurum.

v. 49) *Ignem veni ut mittam in terram;* hic ignem vocat gratiam Spiritus sancti, quia non deficit transmissione de uno ad alium, sicut neque ignis deficit. *Et optarem ut iam arderet;* h. e. optarem ut initium dono iam fieret, secundum 30 desiderium quod mihi est de hominibus adiuvandis.

v. 50) *Baptismus est mihi quo baptizer;* h. e. valde propero * accipere passiones, sciens me parare bona multa hominibus, * p. 344. h. e. resurrectionem, immortalitatem, gratiam Spiritus sancti. Baptismum vocavit mortem suam quia per eam non retinen-35 dus erat, sed sicut ii qui baptizantur de aqua cito ascendunt, ita celeriter surrexit.

v. 51) *Putatis me venisse ut pacem mittam in terram?* [*Dico vobis*]*: Minime, sed divisiones;* h. e. propter fidem et bona

opera multi omnes cognatos in secundo loco ponunt genusque nostrum penitus contemnunt, dum patres et filios nihil reputant propter religionem.

[Caput XIII]

v. 1) *Venerunt quidam, dixerunt ei de Galilaeis illis quorum* [*sanguinem*] *Pilatus* [*miscuerat cum sacrificiis ipsorum*]. Nonnulli dicunt: Causa inimicitiae, quae fuit inter Herodem et Pilatum et (propter quam Pilatus) interfecit eos, est caedes Iohannis Baptistae; quod non potuit facere in Herodem fecit in Iudaeos. Alii: Iudaei a Romanis omnino prohibiti et cohibiti fuerant ab offerendis sacrificiis, et, quoniam transgressi fuerant mandatum et sacrificaverant, Pilatus misit et interfecit eos. *Venerunt quidam;* illud quidem: Venerunt, [h. e.] missi sunt ut tentarent eum et cognoscerent quid diceret. Si dixerit: Iniuste interfecti sunt, accusabunt eum coram Pilato quod sit inimicus legis Romanorum. Dominus autem aliter respondit eis: *Nisi paenitentiam egeritis similiter peribitis.*

v. 4) *Aut illi octodecim:* illam rem horrendam narravit Dominus noster et aliam terribilem quae facta est tempore quo turris in Siloe aedificata corruit super octodecim viros et occidit eos, et adiunxit sermoni suo utilitatem audientium, dicens: * Nisi paenitentiam egeritis et credideritis in me poena perditionis veniet super vos sicut super illos.

* p. 345.

v. 6) *Ficus erat cuidam plantata in vinea eius:* Dominus noster hac parabola ostendit providentiam suam erga Iudaeos, et eos numquam cogitasse quidquam dignum providentia eius. His autem relictum est etiam hoc tempus ut, ex adventu eius apud eos et ex providentia speciali quam erga eos manifestat, paenitentiam agant et fructus ferant mutati a malo in bonum. Quod si paenitentiam non egerint, paenas dabunt. Alii dicunt: Hoc dixit de tempore paenitentiae. *Ficus,* h. e. synagoga aut populus; *quidam,* Deus; *vinea,* terra promissionis; *fructus,* iustitia et iudicium; *cultor,* Filius eius dilectus. Alii: Cultor est lex aut angeli aut prophetae et apostoli.

v 7) *Tribus annis:* tribus vicibus, per sacerdotes, per prophetas, per reges iustos, quaero ab eis fructus virtutis et non

invenio. Rursus, *tribus annis:* tribus captivitatibus quibus educti sunt ut paenitentiam agerent, sed paenitentiam non egerunt. *Exscinde eam, quare otiosam reddit terram?* h. e. exscinde synagogam ut in loco eius plantetur Ecclesia quae
5 dabit fructus iustitiae.

v. 8) *Relinque eam etiam hoc anno;* h. e. tempore incarnationis usque ad ascensionem. Rursus, *relinque eam*, tempore septuaginta hebdomadarum. *Donec excoluero eam;* h. e. per curationes et virtutes quas faciam. *Stercoravero eam;* h. e. per
10 exhortationem.

v. 9) *Si fecerit fructus;* h. e. opera bona. *Sin minus in posterum, exscindes eam;* h. e. anno venturo. Etsi uno post anno exscissa sunt ab eis sacerdotium et sabbata et veritas, tamen anno post quadragesimo Romani per * Vespasianum exsciderunt et diruerunt eam totaliter. Interpretatio communis: Ficum vocat universam naturam humanam quam Pater cura propria plantavit; cultor est Filius; fructus, mandata eius; tres anni, longanimitas eius erga nos; annus, tempus incarnationis eius; fimus, minae et exhortatio eius; exscissio, poena
20 et supplicium futurum.

* p. 346.

v. 11) *Mulier cui erat spiritus infirmitatis annis octodecim;* hic spiritus ex operatione diaboli erat.

v. 12) *Mulier, soluta es ab [infirmitate tua];* non per orationem solvit eam neque ab alio petiit, sed potestate divina
25 (solvit eam) ut inde agnosceretur esse Deus inhumanatus.

v. 13) *Et posuit manum suam super eam;* h. e. ut ostenderet se dedisse corpori suo operationem divinam, sicut ferrus igni unitus acquirit virtutem illuminandi et consumendi. Non enim duae operationes sunt Christo, sicut Chalcedonenses
30 dicunt, una Dei, altera hominis, neque duae hypostases, neque duae personae, sed una operatio quae incipiebat a divinitate et perficiebatur in corpore anima et mente praedito. *Et glorificavit Deum;* h. e. retribuit ei actiones gratiarum pro erectione et sanatione sua huius (mulieris).

35 v. 14) *Princeps synagogae;* h. e. non propter sabbatum, sed ex invidia sumpsit sibi, ut velum, zelum sabbati. Dominus noster die sabbati praesertim sanabat quia in eo conveniebant ut signa viderent,

v. 15) *Hypocritae, unusquisque vestrum;* duobus modis hypocrisis dicitur: quod quis accipit faciem in iudicio, et quod quis unum habet in ore suo et alterum in corde suo, sicut hic princeps synagogae qui in corde suo invidiam habebat et in ore suo zelum. 5

v. 16) *Hanc autem quae est filia Abraham;* h. e. si vos die *p. 347. sabbati auxilium praestatis *pecoribus quae pascitis et adaquatis, quare culpatis me quod die sabbati beneficia hominibus contuli, et aegrotantem sanavi, et filiam Abraham solvi ab infirmitate? Filiam Abraham vocavit eam tanquam e patre 10 remoto. Duobus modis dicitur pater: proximus quidem, sicut Iesse erga David; remotus autem, sicut Iuda dicitur pater David. *Et ligavit eam diabolus ecce annos octodecim;* quaerunt nonnulli utrum diabolus homines ligare possit. Solutio: Absque permissione non potest, et patet ex eo quod non potuit 15 irruere in Iob nisi permissione Dei, ne in porcos quidem; si esset ei potestas multos destrueret. Deus autem daemoniis permittit nocere hominibus: primum, propter probationem, sicut apud Iob, ut tentaretur et innotesceret hominibus; secundum, propter delicta eorum, ut mutentur de malo in bonum, 20 sicut ille qui Corinthi[1]; tertium, aut quia paraverunt seipsos operibus suis; quartum, aut quia parati erant fieri habitatio daemoniis, per hoc malitiam eorum prius refrenat, sicut in casu puerorum qui a diabolo vexantur; quintum, aut propter alias causas quas ipse novit. Uno ex his modis Satanas hanc mulie- 25 rem annis octodecim ligavit.

v. 17) *Erubescebant omnes;* h. e. invidi et culpati, quum reprehenduntur, erubescunt. *Et universus populus laetabatur;* h. e. populus simplex et remotus ab invidia laetabatur in mirabilibus quae faciebat. Interrogemus Iudaeos: Quid 30 operatur observantia sabbati? Si dixerint: Iustitiam iuxta illud: Non occides, operatur, dicemus: Abraham et Isaac aliique non custodierunt illud, et iustificati fuerunt. Et quomodo, *p. 348. sicut *cognoverunt Deum, illud non cognoverunt? Ecce vero illud: Non moechaberis, et: Non furaberis, absque mandato 35 cognoverunt; quod si haec (observantia sabbati) virtus esset

[1] I *Cor.*, v, 5.

illam mandato aut sine mandato didicissent. Sodomi quoque propter abominationem culpati et puniti fuerunt, non quia sabbatum non custodierunt. Et Achab rex illud servavit et reiectus fuit; et Mathathias[1] die sabbati pugnavit et victo-
5 riam retulit. Rursus, si solutio sabbati est profanatio, ergo mortui, qui in illo mortui sunt, profanaverunt illud, et fluxus mulierum et alia accidentia, quae in eo eveniunt, (profanant illud). Ergo sabbatum non propter iustitiam datum fuit Hebraeis custodiendum, sed ut, cessantes ab opere, recorda-
10 rentur Deum eumque intra sex dies creasse creaturas et die septimo quievisse ab opere. Rursus, ut misericordiam erga servos suos haberent eosque requiescere facerent. Sabbatum enim interpretatur requies. Et quemadmodum Pater non culpatur quod in eo descendere facit imbres et dat incremen-
15 tum seminibus et occidit et vivere facit, sic Filius eius non culpatur quod aegrotos in sabbato curavit. Et quemadmodum Iosue filius Nun, non culpatus est ob circuitionem Iericho, neque extrahentes a puteo iumentum quod in illum cadit, neque sacerdotes qui offerunt sacrificia et accendunt lucernas in
20 sabbato, ita Christus non (culpandus) quod aegrotos in sabbato sanavit. Rursus, quis sabbatum honorat? Qui in eo bona facit an qui prohibet quominus fiant? Christus autem sanabat aegrotos et faciebat virtutes in sabbato, et Iudaei cohibebant eum ab illis. Ergo Christus magis quam Iudaei sabbatum hono-
25 rabat. Rursus, lex creaturis posita est; Christus autem in divinitate sua non est creatus nec factus, sed Creator et Factor qui factus est homo nec mutatus est; ergo non iustum erat ut diem sabbati servaret. Praeterea, Christus ipse legem dedit sicut dixit Mar * Severus in antiphona Deiparae: Ipse qui- * p. 349.
30 dem est Verbum Dei Patris quod descendit super montem Sinai ut legem daret. Iam dator legis legi non subiicitur. Et abstulit otium a die septimo et statuit illud in die primo, h. e. die dominica, quam Christiani servare debent.

v. 20) *Cui assimilabo regnum* [*Dei*]*? Simile est fermento:*
35 eo loco regnum Dei appellat praedicationem suam; mulierem, iuxta legem parabolae, divinitatem. Alii: Mulierem vocat gratiam Dei. Reliqua videas apud Matthaeum.

[1] I *Mac.*, II, 41.

v. 23) *Interrogavit eum quidam num pauci sint ii qui serventur?* h. e. per iustitiam et virtutem.

v. 24) *Iesus autem dixit eis: Contendite intrare per portam* [*angustam*]; Christus, cum interrogaretur de aliqua re, nunc iuxta verbum interrogationis respondebat; nunc, non iuxta verbum, sed iuxta cogitationem interrogantis. Et aliquando, cum tacerent, redarguebat cogitationes eorum; et haec omnia ad utilitatem eorum. Ita hic fecit; etenim non respondit: Utique pauci sunt, sicut interrogatus fuerat, quia hoc non erat utile audientibus, sed quod est utile respondit. *Contendite intrare per portam* [*angustam*]; portam vocat observantiam mandatorum. *Angustam;* h. e. quia fides non haesitans et opera sancta necessaria sunt eis qui observant et intrant per eam. *Quia multi quaerent intrare;* h. e. in mundum futurum, quando videbunt iustos intrantes in regnum cum gloria.

v. 25) *Ex hora qua surget dominus domus;* dominum domus appellat seipsum. *Et claudet ostium;* domus quidem et ostium claudentur. *Qui stant foris et pulsant,* ii sunt qui quaerunt intrare nec possunt quia non coluerunt virtutem. Et quemadmodum homo, qui facit convivium, familiares introducit, extraneos * autem foris relinquit, ita et Dominus iustos in regnum introducet, iniquos autem foris in supplicio sempiterno relinquet.

* p. 350.

v. 26) *Et incipietis dicere: Domine noster, Domine noster, aperi nobis;* iteratione vocatus: Domine noster, Domine noster, vehemens eorum desiderium significat. *Non novi vos;* h. e. quia non servastis mandata mea. *Coram te comedimus et bibimus;* h. e. tempus quo Iesus conversatus est cum eis indicat quum per cibum et potum eis sociatus erat. Rursus, Iudaei perficiebant sacrificia legalia quae coram Domino offerebant, et comedebant et bibebant. Et Christiani (quidam) perfecerunt solemnitates et intraverunt in Ecclesiam, nec servaverunt mandata eius nec fecerunt fructus iustitiae. *Et in plateis nostris docuisti;* non quia comederunt et biberunt coram eo et ipse docuit in plateis eorum, ideo necessario in regnum intrabunt, in quod non intrant nisi qui servant mandata eius.

v, 27) *Operarii falsitatis,* h. e. iniquitatis et mendacii,

v. 28) *Ibi erit fletus et stridor dentium;* fletum vocat supplicium, et stridorem dentium id quod gravius est illo, quia unusquisque iuxta peccata sua cruciabitur, et ii qui in gehenna cruciabuntur prae multitudine suppliciorum flebunt et stri-
5 debunt dentibus suis. *Quum videritis Abraham et Isaac;* h. e. ad eum qui interrogaverat: Num pauci sint electi? loquitur; cum seposuisset interrogationem eius et dixisset: *Contendite intrare,* dixit ei: Si non vultis intrare, illic videbitis Abraham et reliquos in regno et vos extra illud.

10 v. 31) *Exi, abi*[1] *hinc quoniam Herodes vult interficere te;* h. e. Pharisaei, qui invidebant Domino nostro propter patrationem virtutum et populum adhaerentem ei, rogabant ut exiret ex Ierusalem, et usi sunt praetextu: * *Herodes vult interficere te,* quasi miserantes super eum. Dominus autem
15 noster, dum cognoscit dolum mentium eorum, sermonem suum tanquam in Herodem intendit: * p. 351.

v. 32) *Abite, dicite vulpi huic;* h. e. per vulpem innuit cogitationem eorum astutam et callidam et dolosam, et invidiam eorum quae, tanquam vulpes, in caverna animarum eorum
20 insidiose observat. Itaque vulpem vocavit malam Pharisaeorum voluntatem. Et evidens est rem ita se habere; etenim si dixisset: Vulpes illa, verbum sumptum fuisset de Herode; sed quia dixit: Vulpes haec, voluntatem eorum denominat; vox enim ' ille ' in remotum, vox autem ' hic ' in propinquum cadit. Alii:
25 Pharisaeum stantem prope eum appellavit vulpem, dum omnes Pharisaeos ibi apud ipsum congregatos nomine ' pharisaei ' denominavit. *Ecce, eiicio daemonia;* verumtamen ad vos spectat sermo meus quia estis callidi: manebo eiiciens daemonia, quod vos contristat. *Et sanationes facio;* h. e. contrarium
30 voluntatis vestrae facio, quia non solum non exibo sed amplius faciam miracula et curationes quo magis devinciantur mihi turbae. *Hodie et cras;* diem primum vocat annum primum quo miracula patravit; *cras* autem, annum secundum. *Et die tertio consummor;* diem tertium vocat annum quo passus est et resur-
35 rexit. Consummor, ait, in completione oeconomiae; consummor, h. e. patior. Dicit: Consummor, h. e. ut ostendat passionem et

[1] Textus per lapsum in plur.: « Exite, abite ».

mortem non esse finem vitae suae, sed completionem oeconomiae et initium vitae novae.

v. 33) *Verumtamen oportet me hodie et cras operari;* h. e. dies paucos dicit. *Et die alio proficiscar,* h. e. ad passionem et mortem mea voluntate. *Quia fieri non potest ut propheta pereat extra Ierusalem;* h. e. omnis sanguis prophetarum in ea effusus est. * Illud autem: *Non potest*, non de rebus impossibilibus dicit, sed vult ostendere Ierusalem multum sanguinem prophetarum effudisse. Rursus: *Non potest*, h. e. sanctus Severus: Non omnes (prophetae) in Ierusalem mortui sunt, sed Daniel mortuus est in Babylone et Ieremias in Aegypto; ergo Dominus noster id non dixit collective de omni propheta, sed proprie de seipso, quia in Ierusalem crucifixus fuit. Alio modo: Omnis propheta Dei, qui interfectus est, non sine manu Iudaeorum interfectus est, quae est Ierusalem. Per Ierusalem significat Iudaeos, et ideo dixit: Prophetae Dei, nam Sedeciam et Achab [1], prophetas falsos, non Iudaei interfecerunt sed Nabuchodonosor.

* p. 352.

[Caput XIV]

v. 1) *Et factum est cum ingressus fuisset domum unius ex Pharisaeis;* vide astutiam eorum. Illuc adduxerunt virum hydropicum ut tentarent eum, h. e. si sanaverit illum, adversarius Dei reputabitur, sin minus, infirmus et gloriosus; alioquin, quomodo in sabbato et inter convivium et in domo Pharisaeorum et legis peritorum adfuisset homo ille hydropicus seu colligens aquam, et stetisset coram Domino nostro? *Et ipsi observabant eum;* hic autem Pharisaeus erat cum eis qui invitati fuerant.

v. 3) *Num licet in sabbato curare?* h. e. Iesus interrogavit eos ut patefaceret cogitationes eorum; ipse autem est sapientia Dei et novit cogitationes cordium.

v. 4) *Ipsi vero tacuerunt;* h. e. quia redarguit eos exemplo iumenti in foveam cadentis; alterum autem, quia cognoscebant opprobrium esse sabbati si bona opera in eo prohibeantur.

[1] Cf. Ier., xxix, 21.

Et apprehendit eum et sanavit eum, h. e. ut * Deus omnipotens qui factus est homo propter nos. * p. 353.

v. 5) *Quis est ex vobis cuius filius aut bos cadat in puteum;* h. e. apud illam incurvatam adduxit exemplum bovis et asini qui solvuntur a vinculis, et apud hunc virum exemplum filii et bovis quos de puteo extrahunt ne submergantur; et bene ligationi illius (mulieris) conveniunt vincula et hydropi huius (viri) aqua.

v. 6) *Et non potuerunt dare ei responsum;* mirati sunt ex omni parte quum ligavit et constrinxit eos; et isti manserunt muti ac tacentes magis quam pisces.

v. 7) *Et loquebatur in parabolis,* postquam fecit miracula, conspicientibus eum Pharisaeis. *Quia videbat eos eligentes loca;* h. e. causam ex hoc adduxit ut increparet eos et prodesset eis.

v. 8) *Ne abeas ut discumbas in primo discubitu;* h. e. hoc iussum si non servaverint, reputabuntur superbi et stulti, aut eiicientur et adhaerebit eis pudor quum surgent inviti a locis primorum accubituum.

v. 10) *Vade, discumbe in novissimo* [*loco*], ut lauderis a discumbentibus et videaris omnibus humilis; et ad hoc confirmandum subiungit:

v. 11) *Omnis qui se exaltaverit;* h. e. regulam universalem posuit pro omnibus hominibus in omnibus rebus.

v. 12) *Ne vocaveris amicos tuos;* non dicit quod non debemus vocare amicos et cognatos, etc., sed quod si illos tantum, qui vocant nos, vocamus, nullum commodum inde percipimus. Sed cum facimus epulas, h. e. convivium, vocemus pauperes, peregrinos et alios similes qui non habent unde retribuant nobis, et Deus retribuet nobis in mundo futuro. Alii: neque pauperes neque mutilos debemus vocare si mores eorum pravi sunt; sed id vult indicare: Cum facis convivium, ne respicias amorem humanum nec cognationem naturalem, sed eos vocare debes qui noti sunt virtute, etiamsi * ab omnibus hominibus despiciantur et contemnantur. * p. 354.

v. 13) *Sed cum facis prandium*[1], h. e. convivium, quia

[1] Ad litt. « receptionem » (δοχή), lusus verborum cum « excipis ».

excipis eos qui vocantur ad comedendum et bibendum. *Mutilos* vocat mutilatos membris; *claudos*, h. e. mancos.

v. 14) *Et beatus tu quia non habent unde retribuant tibi;* per hoc Christus significat quod Pharisaeus ille vocaverat ipsum et eos qui cum eo erant propter amorem gloriae et dignitatum. *In resurrectione iustorum;* h. e. ille qui vocat pauperes, mercedes recipiet in resurrectione iustorum, h. e. in resurrectione universali.

v. 15) *Beatus qui comedet panem in resurrectione in regno Dei;* h. e. Iudaei enim existimabant iustos post resurrectionem, cum facti fuerint digni regno, cibum et potum materialem accepturos esse; cum autem audissent Dominum nostrum dicentem Pharisaeo: Voca mutilos et pauperes ut retributio tua fiat in resurrectione iustorum, putaverunt mercedem esse materialem sicut panem et vinum et carnem. Dominus vero adduxit parabolam hominis qui fecit caenam, et ostendit mercedem non esse materialem sed spiritalem.

v. 16) *Homo quidam fecit caenam;* hominem vocat Deum; caenam, convivium mundi futuri, aut Corpus et Sanguinem. *Et vocavit multos*, h. e. Iudaeos.

v. 17) [*Et misit*] *servos suos*, h. e. apostolos. *Tempus cenae;* tempus adventus eius, quia in adventu eius omnia verba prophetarum consummationem accipient.

v. 18) *Villam emi;* h. e. possessionem recenter adquisitam innuit.

v. 19) *Quinque iuga boum;* quod enim quis curat de abundantia facultatum facit eum longe a gaudio futuro.

v. 21) *Iratus est dominus domus;* dominum domus vocat seipsum. *Exite cito in plateas;* h. e. significat se primum non appetiisse familiam gentium. *Et introducite huc pauperes;* h. e. publicanos [1] et meretrices.

v. 22) *Adhuc locus est;* h. e. multitudinem bonorum, quae coram omnibus posita sunt, innuit.

* p. 355. v. 23) * *Et dixit dominus servis suis;* h. e. praecepit apostolis ut vocarent gentes. *Et compellite ut ingrediantur;* h. e. non

[1] In textu, per lapsum, scriptum est meskīnē *pauperes*, pro *maksē publicanos;* cf. MATTH., XX, 31.

quod vi signorum venerint ii qui crediderunt. *Ut impleatur domus;* h. e. Ecclesia.

v. 24) [*Dico enim vobis*] *ne unum quidem ex his hominibus qui vocati fuerant;* Iudaei qui vocati sunt per prophetas.

5 v. 28) *Quis est ex vobis qui vult aedificare turrim...?* In hac parabola et in parabola sequenti de rege, qui in bellum proficiscitur, duobus exemplis docet nos quod is, qui vult fieri eius discipulus, primum id considerare debet: si omnia corporalia reliquerit et in spiritalibus mundi futuri occupatus sit, 10 accedat et fiat discipulus eius; quod nisi fecerit, non accedat ne, cum inceperit in discipulatu nec compleverit illum, erubescat et illudatur ei hic ab hominibus et illic torqueatur. *Quis est qui vult aedificare turrim?* h. e. qui dispensatione insigni ducitur et discipulatum meum suscipit debet cogitare solidam 15 turrim aedificandam, quae ex perfectione iustitiae componitur, cuius fastigium caelo proximum est et per quam illuc ascendere debet, et gerere bella adversus passiones naturae et tentationes quae ex Satana eum impetunt. *Turris;* h. e. iustitia est turris. *Sumptus autem eius,* h. e. voluptates corporis. *Num* 20 *sit ei ad perficiendum ipsam,* h. e. perfectio eius est cursus iustitiae.

v. 29) *Ne quum posuerit fundamentum;* h. e. operationem virtutis; ne, cum inceperit in iustitia, desinat in malitia.

v. 31) *Aut quis est rex qui proficiscatur in bellum;* h. e. qui 25 vult fieri discipulus meus pugnare debet cum voluptatibus corporis et cum diabolo eiusque exercitibus decem sensibus suis; sin minus, invenitur piger. *Quis est rex?* h. e. intellectus. *Ad certandum cum rege;* h. e. cum diabolo, principe aeris, et exercitibus eius vult pugnare. *Num possit * cum decem milli-* * p. 356. 30 *bus occurrere;* h. e. num intellectus possit cum decem sensibus animae et corporis vincere et pugnare cum voluptatibus.

v. 32) *Sin autem minus, dum adhuc procul est;* h. e. qui remoti sunt a virtute.

v. 33) *Sic unusquisque vestrum qui non relinquit omnem* 35 *possessionem suam;* h. e. omnis, qui non relinquit possessiones materiales et non occupatur spiritalibus, non potest fieri mihi discipulus.

v. 34) *Bonus est sal;* h. e. omnis qui versatur in moribus insignibus si ab eis declinaverit, plus quam multi sceleribus famosus erit, dum non recipit correctionem, utpote qui assuefactus est despiciendo virtutem. Quemadmodum sal ad omnes cibos exquisitos necessarius est, sed si mutatus fuerit a natura sua nihil proderit et magis quam terra et stercus despicietur, ita et vos: quamdiu eritis mei discipuli sicut oportet, magni et mirabiles apud omnes eritis; sin autem mutati fueritis, viliores omnibus eritis sicut Iudaei qui reprobati fuerunt.

[CAPUT XV]

v. 8) *Aut quae est mulier cui sunt decem drachmae;* quemadmodum haec mulier non culpatur quod quaerat drachmam quam perdidit, sed multi cum ea gaudebunt cum invenerit illam, ita et nulla reprehensio mihi est quod excipiam peccatores paenitentes, sed e contra gratiarum actione dignus sum. Ita et oportet vos gaudere super peccatoribus paenitentibus. *Et perdiderit unam ex illis;* h. e. homines exire de ovili divinitas permisit nec cohibuit libertatem a sua voluntate. Mulierem vocat divinitatem; drachmam, quae perdita est, naturam humanam peccato perditam; novem drachmas, quae perditae non sunt, angelos. * Lucernam vocat corpus suum quod divinitati eius unitum illuminavit homines errore obcaecatos. *Et mundat* (ḥāmā) domum, h. e. verrit (kānšā), quod notum est ex eo quod in lingua orientali et aramaea scopas (maknaštā) vocant ḥummīta. Domum vocat mundum. *Et quaerit diligenter;* h. e. Verbum, quod incarnatum est, peccatores sollicite quaerit et vocat ad se.

* p. 357.

v. 9) *Vicinas* vocat angelos quia propinqui sunt Deo.

v. 10) *Sic erit gaudium;* h. e. angeli sunt amici hominum et gaudent super peccatoribus paenitentibus. Cur erit gaudium propter peccatores magis quam propter iustos? Quia gaudium post tristitiam venit; et quia (angeli) contristati sunt quum (homines) peccaverunt, nunc in reditu eorum gavisi sunt. Rursus, momentum rerum est ex raritate earum; de rebus, quae ad manum sunt, non est tristitia; perditae, etiamsi non sit pretiosa, multum placet inventio. Et si ita est de ove et de

drachma, quanto magis de homine, imagine Dei! Alio modo: *Accendit lucernam:* Filium eius dilectum super Gogultha. *Mulier,* h. e. synagoga israelitica. *Drachmae decem,* h. e. decem mandata. Perdidit autem (synagoga) primum (mandatum) in
5 quo pendent novem, h. e. (perdiderunt) Deum creatorem suum qui eduxit eos de Aegypto. *Lucerna;* h. e.: Accendite vobis lucernam et quaerite Dominum [1]. Vide quomodo Christus in cruce obscuratus est eis spiritaliter et illuxit inter gentes.

v. 11) *Homini cuidam erant duo filii;* Christus hominem
10 vocat Patrem suum. Filius senior est agmen iustorum propter perfectionem cogitationum sanctarum et morum optimorum. (Filium) iuniorem (vocat) agmen peccatorum, quia conscientia debilis, quae convenit pueris, peccatoribus inest. * In Harqlensi pro parvo (minore) scriptum est « magis iuvenis » * p. 358.
15 (yattīr telē). Patrem suum vocavit patrem eorum secundum gratiam, non secundum naturam; ipse enim est Filius naturalis Patris, qui incarnatus est ex Virgine et factus est homo. Rursus, quia sunt creatura eius et dotavit eos adoptione filiorum per baptismum, Patrem suum vocavit patrem eorum.

20 v. 12) *Da mihi portionem quae contingit mihi;* portionem [2] vocat animas quas creavit, et legem naturalem, et legem scriptam, et sapientiam et scientiam quas dedit eis. Illud: *Da mihi,* non de voce dixit, quia nondum creati erant, sed sumpsit de mente Dei erga illos qui creandi erant; quod simile est illi [3]:
25 *Nemo nos conduxit.* Alii: Quomodo is, qui nondum creatus est, hereditatem petit? Verumtamen (dicitur) de eis qui iam creati sunt, in quibus positum est iudicium et libertas et inclinatio ad bonum et malum simul. Illud quod dixit: *Da mihi,* non de verbo (accipiendum est) sed de cogitatione et voluntate,
30 sicut illud [4]: *Quis videbit nos?* h. e. hoc cogitabant. *Da mihi portionem;* quia in dono naturae et voluntatis iusti et peccatores aequales sunt. *Et divisit eis possessionem suam,* h. e. libertatem quam dedit eis.

[1] Cf. Soph., II, 3. — [2] Portio, secundum Išoʿdad, intellegitur de dono existentiae. Cf. M. D. Gibson, *The Commentaries of Ishoʿdad of Merv. Horae Semiticae,* VII, p. 55. — [3] Matth., XX, 7. — [4] Ps. LXIII, 6.

v. 13) *Paucis post diebus;* h. e. significat transitum de pueritia ad adolescentiam. *Quidquid contigerat ei;* h. e. sub libertate eius posita sunt omnia quae pertinent ad personam humanam. *Abiit in regionem longinquam;* h. e. non natura, sed cogitatione ac mente discessit a Deo eiusque mandatis. *Et ibi disperdit possessionem suam;* h. e. libertatem suam liberumque suum arbitrium disperdit per mores exosos et abominandos. In Harqlensi: Absumpsit substantiam (ousia). Rursus, dissipavit possessionem suam: possessionem eius appellat eius prudentiam quam dissipavit nuditate a sanctitate et dispersione (* p. 359.) honestatis. * *Cum viveret prodigaliter;* h. e. luxuriose et intemperanter; neque cogitavit de iudicio Dei.

v. 14) *Et cum consumpsisset quidquid erat ei;* h. e. libertatem suam consumpsit moribus malis. *Facta est fames* [*magna*] *in regione illa;* h. e. factus est esuriens propter peccatum quod in eo ardebat mala eius voluntate. Rursus, *et cum consumpsisset,* h. e. omnem virtutem quam possidebat. *Facta est fames;* inopiam, quae apprehendit eum, innuit. *Et coepit egere,* h. e. spoliatus est omnibus virtutibus, et egebat et opus habebat aliis.

v. 15) *Et abiit, adhaesit cuidam ex incolis civitatis;* h. e. Satanae. Abiit enim, subiectus factus est cuidam ex daemoniis. Omnis quidem, qui ad peccatum declinat, secundum speciem peccati sui, cuidam speciei (daemoniorum) subiicitur: fornicator daemonio fornicationis, fur daemonio latrocinii. Civitatem eius vocat turbam daemoniorum quae requiescunt et habitant in domibus fornicatorum et homicidarum, etc. Rursus, civitatem vocat species malitiae et eos qui sequuntur malam eius voluntatem, h. e. fornicatores et dissolutos. *Et ipse misit eum* [*in agrum*] *ad pascendum* [*porcos*]; h. e. accendit in eo passiones fornicationis. *In agrum,* h. e. in officinam peccati. *Ad pascendum porcos;* h. e. porcos vocat fornicationem, et fornicatores et stultos luxuriosos. Rursus, *porcos,* h. e. luxuriosos sicut illum et avidos et libidinosos; porcus enim est exemplar omnis luxuriae, et adspectu et cibo et moribus turpior est et immundior ceteris animalibus. Sapiens dicit guttur et virgam, organum luxuriae, in porcis ampliora esse quam in ceteris animalibus.

v. 16) *Et desiderabat implere ventrem suum*, h. e. appetebat turpe desiderium fornicationis; etenim desiderium fornicationis insatiabile est iis qui illo detinentur. *Ex siliquis illis;* siliquae sunt nuclei difficiles fractu et pars earum interior
5 suavis est; ita peccatum initio suo suave est. In Harqlensi scriptum est: qeraṭē (fructus ceratii), in eis quoque sunt nuclei. Alii: Siliquas vocant * eas quas ferunt vivaces vepres, * p. 360. et in his siliquis sunt nuclei difficiles fractu, et gustus earum suavis est; ita peccatum initio suo suave est; sed
10 postquam (homo) consummavit illud, eum paenitet et vexatur. Allegorice: Siliquas vocat actiones impuras quia vanae sunt et vacuae a virtute. Siliqua enim est species secundum nomen suum, nam siliqua [1] denotat maciem et privationem ab omni bono. Id quod siliqua secundum similitudinem et symbolum
15 nomine suo affert, non solum non nutrit corpus sed nocet comedentibus se. Talis est etiam lascivia. *Et nemo dabat ei;* h. e. quamdiu operabatur abominationem, non satiabat desiderium suum quia paenitentiam non habebat.

v. 17) *Et quum venisset ad seipsum*, h. e. ad felicitatem pri-
20 mam in qua erat apud patrem suum. *Quot sunt [nunc] mercenarii?* h. e. peccatores paenitentes qui sedent ad portas ecclesiarum. *In domo patris mei;* h. e. Ecclesiam vocat (domum). *Qui abundant pane;* h. e. etsi in mysteriis nondum participant, tamen panem, h. e. doctrinas religionis abundanter habent.
25 Mercenarios vocat eos qui operantur iustitiam. Omnis enim, qui hic iustitiam operatur, uno ex his tribus modis operatur: aut propter ipsam virtutem et non propter aliquid aliud sicut filius laborans in domo patris sui; aut ut detur ei merces in mundo futuro sicut mercenarii; aut propter timorem paenae
30 sicut servi. *Et ego hic fame mea pereo*, h. e. vacuus sum a timore Dei et operibus bonis.

v. 18) *Proficiscar ad patrem meum;* h. e. in cogitationibus (dixit). *Pater mi, peccavi*, h. e. peccavi in te et in creaturam tuam; tam magnum est peccatum meum ut ad caelum attingat.
35 v. 19) *Ut filius tuus vocer;* propter peccatum meum * non * p. 361. sum dignus ut vocer filius tuus sicut antea. *Ut unum ex*

[1] Syr. ḥarrūbā; vox ḥereb significat « *vastatus est, exsiccatus est* ».

mercenariis tuis; h. e. ut eos qui baptismum nondum receperunt nec fiunt filii donec paenitentia eorum compleatur.

v. 20) *Et surrexit, venit ad patrem suum;* h. e. reversus est ad Deum per paenitentiam. *Et cum adhuc procul esset vidit eum pater ipsius:* h. e. cum haec in mente sua revolveret, pater eius misericordiam in eum effudit. *Et accurrit, cecidit super collum eius:* h. e. non abhorruit eum qui volutaverat se in luto porcorum. Sed vide amorem eius, quia non exspectavit dum filius eius paenitens veniret ad se, sed accurrit ad eum et inclinavit se usque ad collum eius et cecidit super collum eius qui arrogantia sua humerum suum rebellem fecerat. *Et osculatus est eum;* h. e. osculatus est labia polluta quibus irriserat filiationi, nec abhorruit odorem porcinum et asperitatem corporis eius quod asperum factum erat frigore et aestu peccati.

v. 21) *Et dixit ei filius eius: Peccavi in caelum et coram te:* h. e. quia sanctus es et ego sum peccator. Rursus, adiecit confessioni suae peccatum in caelum, quia noverat regionem suam et hominum iustorum esse caelum, quod cum reliquissent peccaverunt. Etenim quum aliquis homines iustos relinquit peccator videtur. Et propter quam causam, cum procul esset, dixit: Dicam patri meo: *Fac me ut mercenarium*, et cum venisset sic non dixit? Solutio: Quia praevenit eum amor eius patris qui non sivit ut diceret ipsi; etsi pater eius haec ex verbis eius non audivit, tamen ex humiliatione eius novit ea quae paratus erat dicere.

v. 22) *Et dixit servis suis*, h. e. angelis qui gaudent super paenitentibus. Rursus, dixit sacerdotibus qui baptizant. *Proferte stolam*, h. e. baptismum. *Praecipuam;* h. e. propter sublimitatem eius, et quia dimittit peccata. *Annulum*, h. e. fidem et adoptionem filiorum * et pignus vitae futurae; rursus, reditum iuris hereditatis et gratiam Spiritus. *Calceis*, h. e. moribus bonis et viis iustitiae iuxta illud [1]: *Calceate pedes vestros praeparatione Evangelii.*

* p. 362.

v. 23) *Bovem saginatum;* h. e. ipse est filius eius dilectus. Alii agnum vocaverunt eum: ipse bovem denominavit seipsum ut convivium eius omnibus gentibus sufficeret. Alii Corpus et

[1] *Eph.*, VI, 15

Sanguinem eius vocaverunt bovem. *Saginatum;* h. e. nutritum et pinguem vocavit eum propter sublimitatem et divinitatem eius. *Et comedemus:* h. e. participationem eius in mysteriis annuntiat. *Et oblectemur;* h. e. filius prodigus oblectatur in 5 remissione peccatorum et in donis illis, et nos oblectamur in conversione eius.

v. 24) *Mortuus erat*, h. e. per peccatum. *Et revixit*, per opera bona. Mortuum vocavit eum quia non diversus erat a mortuo qui sensibilitatem non habet, propter multitudinem malitiae 10 in quam eeciderat. *Quae inservit voluptati;* h. e. deliciis, *mortua est vivens* [1], quasi quis diceret: Qui versatur in deliciis et oblectatur in voluptatibus mortuus est. *Et perierat et inventus est;* h. e. propter mores malos perierat, et inventus est quia convertit se.

15 v. 25) *Filius eius senior in agro erat;* h. e. agmen iustorum in mundo virtutem operabatur; aut agrum vocat locum ubi virtus colitur; et quemadmodum ii qui in agro vivunt, vita dura et moribus asperis vivunt, ita et ii qui iustitiam operantur. [*Et appropinquasset*] *domui*, h. e. Ecclesiae. Rursus, 20 *domum* vocat hunc mundum. *Audivit vocem concentus;* h. e. praedicationem prophetarum et apostolorum; aut innuit gaudium angelorum et hominum super reditu peccatoris.

v. 26) *Et vocavit unum ex pueris*, h. e. unum ex iis qui causam concentus et gaudii noverat.

25 v. 27) *Frater tuus venit*, h. e. de peccato ad iustitiam. *Et mactavit pater tuus bovem * saginatum*, h. e. fecit eum participare in mysteriis sanctis. *Quia sanum recepit illum;* h. e. postquam mortuus erat peccato. *p. 363.

v. 28) *Et iratus est et noluit ingredi;* (innuit) malam mentem 30 Scribarum et Pharisaeorum qui aegre ferebant conversionem publicanorum et meretricum; rursus, etiam iustos temporis nostri, qui scilicet aegre ferunt recipere peccatores quum recitant opera sua mala. *Et egressus pater eius petiit ab eo;* h. e. ne aegre ferat paenitentes, sed gaudeat sicut gaudent 35 angeli.

v. 29) *Ecce tot annos servio tibi servitutem;* h. e. per longum

[1] *1 Tim.*, v, 6.

tempus servavi mandata tua et diligens sum in operibus quae placent tibi. *Nunquam transgressus sum mandatum tuum:* h. e. non moechatus sum, non furatus sum, etc. *Nec unquam haedum dedisti mihi:* h. e. passiones peccati denominavit haedum, h. e. quia hae passiones commoventur in nobis per modum et similitudinem haedi; color haedi plerumque obscurus et niger est, moribus autem protervus et impudens est; errant enim huc et illuc et vi congregantur; quapropter Dominus noster haedo assimilavit malos quos a sinistra sua statuet. Illud vero: *Non dedisti mihi:* non quasi ipse Deus det (passiones), sed non dereliquisti me per sollicitudinem tuam et per mandata tua quae passiones coercent, iuxta illud[1]: *Dedit eis spiritum litigiosum*, et[2]: *Tradidit eos in mentem vanam*, et[3]: *Ego induravi cor Pharaonis.* Rursus: *Haedum non dedisti mihi*, h. e. non permisisti mihi in Scripturis ut firmiter ambulem in passionibus et in peccatis quae sunt haedi; et, sicut iussisti servavi (mandata) diligenter non explevi voluntates cordis mei et amorem mei ipsius tanquam oblectationem quaerens, sed e contrario. *Ut oblectarem me cum amicis meis*, h. e. cum cogitationibus meis malis et passionibus et blandimentis; etsi passiones ad insipientiam nos adducant, tamen gratae sunt nobis, quia passiones carnis carnem amant et valde alliciunt et turbant sensus; sed *cum invenerint voluntatem suam, molestant.

*p. 361.

v. 31) *Fili mi, tu omni tempore mecum es*; h. e. omni tempore mandata mea custodis, assiduus in ecclesia et studiosus ieiunii et orationis. Rursus, *mecum es*, quia in cogitatione tua non discessisti a me; rursus, aut quia cum Deo laetabitur in bonis caelestibus sicut in suis. *Et omnia mea tua sunt:* is, qui rediit, eis tanquam per gratiam utitur; tu autem qui non peccasti ea tanquam tua dispensas. Rursus, tu in omni bono tanquam filius participas, hic autem per gratiam exceptus est. Per hoc ostendit quod peccatores, etsi paenitentiam agant, tamen fiduciam iustorum non omni modo habent, quia, etsi vulnus sanetur, tamen maculae et cicatrices eius in corpore manent.

[1] *Rom.*, XI, 8. — [2] *Rom.*, I, 28. — [3] *Ex.*, X, 1.

v. 32) *Oblectari autem* [*nos*] *oportebat*, h. e. me et te et angelos. *Quod iste frater tuus;* explicatum est superius. Pater filio suo seniori quattuor dicere potuisset nisi usus esset humilitate et pace. O fili mi, quis est qui videat mortuum redi-
5 vivum et non clemens sit ei? Et: Quid respondissem ad verba eius quum dicit: Peccavi in caelum et coram te? verba enim eius moverunt me ad misericordiam, nam crudelitas non est naturae meae. Rursus: Numquid spoliavi te ut eum induerem, aut tuli annulum tuum de digito tuo ut digito eius imponerem?
10 Ex meis dedi ei sicut tibi. Et: Quemadmodum pater tuus sum, ita sum pater eius; te honoro propter virtutem tuam et fratris tui misero propter paenitentiam eius. Alio modo: Mos est Domino nostro ut, cum benignitatem erga nos ostendit, Deum appellet Patrem; et cum ultionem et correptionem et casti-
15 gationem delicti, Iudicem; et cum potestatem et largitionem doni, Regem; et cum curam et providentiam, Dominum domus. Eo autem loco vocatus est Pater propter suam erga nos benignitatem.

* [Caput XVI] * p. 365.

20 v. 1) *Homo quidem erat dives et erat ei oeconomus;* Dominus noster hanc parabolam dixit de divitibus qui habent possessiones easque dure administrant. *Hominem divitem* vocat Patrem suum qui est plenus et dat dona hominibus. *Oeconomum* vocat omnem qui habet divitias et possessiones. Oecono-
25 mum vocat illum quia omnia, quae habet, non ad eum pertinent sed ad Deum qui dixit alicubi[1]: *Meum est aurum et meum est argentum.* — *Et delatus est;* h. e. coram Deo quod possessiones eius iniuste distribueret. Rursus, aut delationem vocat questum oppressorum quos oppresserat, et quia non
30 gerebat (possessiones) secundum iustitiam.

v. 2) *Et vocavit eum dominus eius;* h. e. per legem naturalem et scriptam quae loquuta erat ei. *Quid est quod audio de te?* h.e. aperta sunt coram me abscondita et cognosco mentem avidorum et iniquorum iuxta illud[2]: *Clamor Sodomae ingressus est*
35 *coram me.* — *Redde mihi rationem;* h. e. sic vocat poenam quam accepturus erat. *Non potes* [*deinceps*] *esse mihi oeconomus;*

[1] Agg., II, 9. — [2] *Gen.*, XVIII, 20.

h. e. propter duritiem tuam in pauperes separabo te a possessionibus tuis. Rursum, exitum eius a vita innuit, aut quod adhuc vivens separabitur a divitiis suis.

v. 3) *Et dixit oeconomus;* h. e. cum audisset se accusari iustitia et culpari a Deo per legem; quod simile est illi filii prodigi: *Venit ad se ipsum* [1]. Etiam hic (oeconomus) cogitavit in seipso cogitationem misericordiae. *Quid faciam, quia dominus meus aufert...?* h. e. quam viam inveniam qua possim vivere? Rursus, aut innuit cogitationem divitum in die exitus eorum. *Fodere non possum;* h. e. arare terram et vivere ex labore manuum mearum non possum; id dixit * per similitudinem cum eis qui fodiunt puteos, dum effossionem vocat laborem, quia labor ille est mercedis, non ministerii. Rursus, in mundo misericordiam faciam pauperibus, h. e. in mundo futuro non potero, quia illic merces datur. Alii: Fodere in terra et abscondere pecuniam domini mei non possum, quia egredior ex ea. *Et mendicare pudet me;* h. e. si mendicabo eleemosynam a misericordibus, non erit qui illic det mihi. Neque virgines sapientes dederunt de oleo suo fatuis.

v. 4) *Novi quid faciam;* h. e. (novi) viam: hic dabo parva et illic recipiam magna, et per haec quae hic sunt allevabo pondus peccatorum meorum. *Ut cum egressus fuero,* h. e. ex vita mundi huius, *recipiant me in domos suas,* h. e. in gaudia aeterna.

v. 5) *Et vocavit unum ex debitoribus;* h. e. oppressum quem oppresserat, aut unum ex pauperibus qui debebant accipere id quo defraudaverat eos. Nomen quidem ḥayyābā (debitor) in duos cadit: in eos qui solvunt et in eos quibus solvitur; hic vero sumit illud de eo cui solvitur seu de eo qui habet creditum. — Quare vocavit eum domini sui debitorem cum esset debitor ipsius? Quia divitiae non pertinent ad eum sed ad dominum eius. *Quantum debes domino meo?* h. e. quantum debet tibi dominus meus? aut: Quantum debeo tibi? meum est solvere illud cum oeconomus sim.

v. 6) *Centum metretas olei.* Graecus autem et Harqlensis pro metretis seu μετρητάς, quas Syri vocant reb'īn (quadrantes), legunt badē (batos). De metretis explicationem

[1] Supra, xv, 17.

dabimus apud Iohannem. Oleum vocat misericordiam. Centum metretas vocat totam misericordiam quam vult erga pauperes ostendere. *Scribe quinquaginta;* h. e. ostendi erga te * dimidium misericordiae quam debui erga te ostendere; etenim quia minuit centum metretas easque fecit quinquaginta dimidium emendationis quam debuit facere ostendit.

* p. 367.

v. 7) *Et tu quid debes domino meo?* h. e. quantum debet tibi dominus meus? meum est solvere tibi quia sum oeconomus eius. *Centum coros tritici;* corus est mensura. His duabus speciebus tritici et olei innuit fructus quos divites a pauperibus rapuerant, quia hae species magis necessariae sunt nobis ad vitam.

v. 8) *Et laudavit Dominus noster oeconomum iniquum;* h. e. dedit ei laudem quia, etsi in initio deliquit, tamen in fine delictum suum emendavit. *Oeconomum iniquum;* h. e. qui per iniquitatem adquisivit divitias; nec divitias denominavit iniquitatem, sed eum qui illis male usus est. *Quod prudenter egisset;* h. e. quod mutatus esset de duritia in misericordiam et quod cum prudentia emendasset delictum suum. Allegorice: Hominem quemdam vocat Christum iuxta illud [1]: *Homo ex Deo visus est apud vos.* Oeconomum vocat intellectum qui potestatem habet super animam et corpus eaque regit. *Et delatus est;* h. e. quia homo est sicut domus, et habet sensus [2] et fenestras et exitus ut domus, et intellectus tanquam dominus domus regit eum. Et delatus est intellectus coram Deo, h. e. quod odiose et stulte obsecundaret voluptatibus. *Quod possessionem dissiparet;* h. e. libertatem et liberum arbitrium quae in malis operibus perdit. Et Deus in intellectum iratus dixit: Nolo te esse mihi oeconomum; h. e. reprimit et non sinit eum regere animam et corpus. Et quum petiit ab eo rationem, h. e. puritatem corporis et consilia bona animae, intellectus ait: *Quid faciam?* h. e. tempore senectutis non possum operari bona, *et mendicare pudet me,* * h. e. erubescit, quia per longum tempus mansit apud Deum et non operatus est bonum. Et si petierit ab aliis non dabunt ei, quia quisque de seipso curat. Et intellectus ad se reversus, vocavit debitores domini sui, animam et corpus, puritatem et observantiam mandatorum, et debenti

* p. 368.

1 *Act. Ap.*, II, 22. — 2 Sic. ms. Locus mutilus videtur.

centum metretas dimisit quinquaginta et debenti centum coros dimisit viginti. Centum metretae olei faciunt mille mensuras, iuxta illud[1]: *Mille tibi Salomon, et ducenti custodientibus vineam;* cum centum reduplicatur, ducenti[2] generantur, symbolum mandatorum spiritalium et corporalium Christi. Christus[3] est symbolum misericordiae; concessit quinquaginta, dum unicuique sensui hominis decem mandata dantur quibus purificatur; hoc mandatum decem sensibus invenitur. Et remisit quinquaginta, hoc est quinque sensus corporales, quia ii qui sunt terreni difficile sanctificantur sine adiutorio divino, nam gratia solet remittere debitum eorum. Munditics sensuum animae hominis est purificatio propria, propter libertatem quae non cogitur. Centum cori tritici ex quibus remisit viginti: Si quattuor quinquies ducis fiunt tibi viginti, symbolum purificationis quattuor elementorum quibus constat corpus, quae gratia sanctificantur. Et cum octo decies ducis inveniuntur tibi octoginta. Octo sunt passiones, et unamquamque passionem malam mandata decem, qui numerus est integrae perfectionis, purificant. Intellectus vocatus est oeconomus iniquus, quia voluntate sua ad malum inclinat.

Filii enim saeculi huius prudentiores sunt; h. e. divites vocat qui convertuntur ad misericordiam. *Filios lucis* vocat optimos qui habent sanctitatem. *In sua hac generatione;* h. e. facilius est divites iustificari eleemosyna quam *sanctos progredi ad virtutem per mores arduos. Rursus, divites facilius quam ascetae operibus misericordiae regnum assequuntur; divites enim dispensatione facultatum suarum iustificantur, sancti autem ieiunio et oratione et bello adversus daemonia. Etenim iustitia, quae fit per donum, facilior est quam ea quae est per labores; illa enim ab extra est, haec autem interiorem luctam habet cum daemoniis et voluptatibus naturalibus quae in nobis sunt. Rursus, laus sequitur eos qui misericordiam faciunt magis quam eos qui possident mores; misericordia enim aperta est coram omnibus; mores autem absconditi sunt et ignoti. Ergo illud: *prudentiores*, est: Facilius est divitibus facere

* p. 369.

[1] *Cant.*, VIII, 12. — [2] Id est, anima et corpus. — [3] Sic ms. per lapsum; pro mešīḥā *Christus*, legendum est mešḥā *oleum*.

voluntatem suam quam ascetis (facere suam). Aut (vocat) eos aptiores in sua hac generatione non quia sunt meliores illis virtute aut retributione, sed superant illos in hoc mundo; generationem eorum vocat hunc mundum. *Filios mundi* vocat
5 divites quia maiorem partem quam ceteri in eo possident, h. e. magis participant in bonis eius. Alio modo: Dixit: *prudentiores,* quia maior pars hominum, quum vident eos qui erogant divitias suas in egenos, rem mirantur et laudant eos qui hoc faciunt; quum autem vident homines cum moribus asperis,
10 non multum laudant eos, quia labores eorum optimos revera considerare non possunt; quia divites magis quam ascetae laudantur, ideo dixit: *prudentiores.* Alio modo: Prudentiores sunt filii mundi quia student induere mundum et acquirere possessiones in eo; ascetae autem student exuere illum et fieri
15 alieni ab eo, quia est eis mundus alius. Rursus, prudentiores sunt filii mundi, h. e. homines. Filios lucis vocat daemonia, quia sunt creaturae Lucis, Christi, et dixit: Prudentiores sunt * homines, quia cum peccaverint paenitentiam agunt; filii lucis, h. e. daemones, qui erant filii lucis, non sunt prudentes, * p. 370.
20 quia postquam peccaverunt paenitentiam non egerunt.

v. 9) *Et etiam ego dico vobis;* h. e. per comparationem cum parabola oeconomi id dixit. *Facite vobis amicos ex mammona;* h. e. suadeo vobis ut ex possessionibus mammonae huius, h. e. pecuniae, aut materiae omnium mundi voluptatum, faciatis
25 vobis amicos, h. e. pauperes et egenos. *Iniquitatis;* h. e. quia etiam iniuste colligitur. Rursus, iniquitatem vocat eam (mammonam) comparans eam cum divitiis mundi futuri, quia illic non est qui opprimat. Et illud: *Ut recipiant vos in tabernacula sua,* h. e. in gaudia futura quae dabuntur eis qui hic paupertatem
30 secundum regulam servaverint.

v. 10) *Qui in modico fidelis est,* h. e. in his divitiis quae sunt modicum per comparationem cum divitiis futuris quae sunt multum. Ergo divitias terrenas vocat modicum, et divitias iniquitatis et alienas. *Qui in modico;* h. e. in possessionibus
35 mundi huius. Et *multum* et verum bona mundi futuri et indeficientis.

v. 12) *Et si in eo quod non est vestrum,* h. e. (in his) divitiis quae transeunt et non permanent. *Non fueritis fideles;*

h. e. non gesseritis illas secundum voluntatem Dei. *Quod vestrum est quis dabit* [vobis]? h. e. divitias mundi futuri in caelo recervatas. *Quod vestrum non est*, seu alienum, vocavit illud, quia non permanet apud hominem; is, qui hodie dives est, cras pauper erit. 5

v. 14) *Pharisaei autem cum audivissent haec;* h. e. Pharisaei, quia amabant pecuniam et superbia comitabatur eos, irridebant eum. Etenim lex divitias et potestatem promittebat; ipse autem docebat ut pecuniam darent pauperibus et fierent egeni ut regnum in retributionem reciperent. 10

* p. 371. v. 15) * *Vos estis ii qui iustificant se ipsos;* h.e. abominandus est coram Deo ille qui exaltat se et indicat se meliorem et maiorem aliis.

v. 19) *Homo quidem dives erat et induebatur bysso;* per hanc parabolam ostendit quod divites, nisi misericordiam in 15 pauperes fecerint, igne cruciabuntur et pervenient ad infructuosam paenitentiam. Quidam dicunt: Haec parabola non est res gesta, sed Dominus noster finxit eam de divitibus et pauperibus. Alii dicunt: Pars eius est res gesta, et pars eius nondum facta est, et instituit eam de tempore praeterito et de 20 futuro. In tempore praeterito duo homines revera fuerunt: unus dives, cui nomen Nephtali de tribu Dan, et alter quidam Lazarus. Ii qui tenent hanc parabolam non esse rem gestam in argumentum adducunt quod iusti felicitatem nondum receperunt nec iniqui supplicium, dum parabola dicit Lazarum 25 laetari et divitem cruciari; etenim nondum retributionem acceperunt, teste Paulo qui dicit [1]: *Non sunt adepti promissionem ne sine nobis consummarentur.* Ii autem qui tenent eam esse rem veram dicunt partem eius revera factam esse et partem eius nondum (factam esse) et (Dominum) instituisse 30 illam de duobus temporibus, sicut supra diximus. Dicunt: Dives erat ex filiis Israel, quod notum est ex eo quod vocavit Abraham patrem suum, et Abraham vocavit eum ‘filium meum’ et ex eo quod (Dominus) dixit [2]: *Habent Moysen et prophetas.* Rursus, erat e sacerdotibus quia induebatur bysso et 35 purpureis; Lazarus autem est homo quicumque. De tempore

[1] *Hebr.*, xi, 39-40. — [2] Luc., xvi, 29.

futuro dixit eam, quia iusti et iniqui retributiones nondum receperunt. Ergo pars eius facta est et pars futura est. Sanctus Cyrillus: Dives, cui nomen Nephtali erat de tribu Dan; Lazarus autem de familia Gabaonitarum erat, et iacebat in
5 sterquilinio quod proximum erat * ianuae divitis, quod sterquilinium Lazari adhuc vocatur; et quicumque ulcera habet et demergit pedes suos in hoc sterquilinio sanatur. — Divitiae autem per se neque bonae sunt neque malae, similiter et paupertas; sed ex usu vocantur bonae et malae. Divitiae enim
10 quibus iungitur nequitia, malae sunt habenti se; si autem misericordia eis unitur, bonae sunt possidenti se. Similiter paupertas, cui iungitur patientia, optima est; si autem impatientia et murmuratio (ei iunguntur), mala est ei quem opprimit. De his fuse scripsimus in libro quem composuimus de
15 providentia erga nos, et de aliis rebus huiusmodi. *Homo quidam dives erat;* non memoravit nomen eius quia indignus erat propter nequitiam suam, iuxta illud [1]: *Non memor ero nominum eorum per labia. — Et induebatur bysso et purpureis;* superbiam et elationem eius indicat. *Et sese oblectabat magni-*
20 *fice;* luxuriam et delicias eius ostendit.

* p. 372.

v. 20) *Et pauper quidam erat cuius nomen Lazarus;* istius nomen memoravit ut ostenderet fortitudinem eius et patientiam eius in afflictione eius. Lazarus autem lingua hebraea interpretatur egenus. Alii qui comprobati sunt: Hanania, h. e.
25 miseratione dignus. Alii qui veri sunt: Lazarus (significat) auxilium Dei; hanc ultimam explicationem probamus. *Et proiectus erat ad portam* [*illius divitis*]; h. e. per hoc ostendit ne unam quidem excusationem esse ei ut Deo diceret: Non vidi eum. *Et percussus erat ulceribus;* h. e. aut elephantiasi;
30 diviti autem erant divitiae necnon sanitas corporis.

v. 21) [*Et cupiebat*] *implere ventrem suum,* h. e. ex micis quae foras proiiciebantur; quapropter reptabat manibus et pedibus, et pro cibo (eas) habebat. *Sed etiam canes veniebant et lingebant ulcera eius;* h. e. canes, cum viderent eum,
35 * cibum suum relinquebant et putredinem quae manabat de corpore eius lingebant, non ut affligerent eum, sed ut recrea-

* p. 373.

[1] *Ps.* xv, 4.

rent; canes enim, quum ulcus est eis, lingunt illud et sanatur. Indumento divitis opponit lambitum pellis Lazari a canibus qui vices spongiae supplebant.

v. 22) *Portaverunt eum [angeli] in sinum Abraham;* sinum vocat societatem et gaudium cum eo; etenim, etsi animae gaudium reapse nondum receperunt, tamen cognoscunt bona sibi reservata. *Etiam ille dives mortuus est et sepultus est,* h. e. sepultura asini[1]; transivit enim de rebus laetificantibus ad contristantia; nam etsi animae reapse nondum receperunt supplicium, tamen cognoscunt et contristantur.

v. 23) *Et cum torqueretur in inferno;* h. e. id nondum factum est. *Elevavit oculos suos:* per hoc ostendit iustos esse separatos a peccatoribus.

v. 24) *Et clamavit voce magna;* gravitatem supplicii significavit, sicut ii qui hic torquentur clamant et ululant. *Pater mi, Abraham;* pater duobus modis dicitur, naturalis et adventitius. Naturalis, sicut Iesse relate ad David; ⌈remotus, v. gr. David filius Iudae. Adventitius similiter duobus modis dicitur[2]: qui docet doctrinam pater vocatur. Iste autem Abraham vocat patrem suum remotum secundum naturam, cum secundum mores non esset pater eius; Abraham enim pauperes diligebat, iste vero oderat eos. Quidam dicunt: Quia « patrem meum » vocavit Abraham, patet eum ex Israelitis esse. Memoravit Abraham, non David, nec alium: primum quidem, quia (Abraham) divitiarum et paupertatis usum intellexerat; secundum, quia multam misericordiam habuit in pauperes; tertium, quia ille, qui omnes misericordia superaverat, non annuit misericordiam facere erga * eum qui absque misericordia fuerat. *Et Lazarum in sinu eius;* de motu animi dictum est, aut de pelluciditate substantiarum per quas visus transit nec impeditur. *Ut intingat extremum digiti sui;* h. e. magnitudinem aestus ex tormentis significat.

* p. 374.

v. 25) *Fili mi;* h. e. eum vocavit « fili mi » aut propter naturam, aut quia cognatio quam iusti ad iniquos habent nihil prodest. *Recordare quod receperis bona tua,* h. e. voluptates tuas et delicias tuas. *Et Lazarus mala sua,* h. e. paupertatem

[1] Cf. IER., XXII, 19. — [2] Locus corruptus; cf. supra p. 382, l. 11.

et infirmitatem. Illo: *Recordare* ostendit memoriam et cognitionem animae servari etiam post mortem. Etiam malum duobus modis dicitur: primum quidem, iniquitas et peccatum, et hoc est malum; alterum autem, infirmitas et castigatio, quod, etsi existimatur malum, non est revera malum. *Nunc ecce requiescit,* h. e. quia vexatus fuit; *et tu torqueris,* h. e. quia ibi requievisti et gavisus es.

v. 26) *Abyssus ingens posita est inter nos [et vos];* abyssum vocat vocem Domini quae separabit iustos ab iniquis, aut hoc firmamentum quod videtur supra nos, super quod iusti ascendent dum iniqui hic infra manebunt et non amplius commiscebuntur (cum iniquis). *Ut ii qui volunt hinc transire;* ostendit partes separatas esse nec amplius commisceri.

v. 27) *Rogo a te, pater mi, ut eum mittas;* h. e. in hoc mundo curam sui ipsius non habuit, et illic vult curam fratrum suorum habere.

v. 28) *Quinque enim fratres sunt mihi;* per hoc ostendit etiam fratres suos secundum carnem esse scelestos sicut ipsum. Rursus, quinque fratres vocat divites scelestos, aut omnes Iudaeos. Quidam autem falso dicunt: Quinque fratres vocat quinque sensus. Etenim quinque sensus, quos vocat quinque fratres, cessaverunt per mortem, et ecce per quinque sensus animae loquebatur. Praeterea, corpus absque anima non iustificatur, neque similiter anima absque corpore. Quod si de * sensibus fratrum viventium loquebatur, iam unusquisque ex his decem sensus corporis et animae habebat. Ergo haec (opinio) non est vera, sed eam retulimus ad correptionem indoctorum qui falso loquuti sunt.

* p. 375.

v. 29) *Habent Moysen,* h. e. legem, *et prophetas,* h. e. libros eorum.

v. 30) *Sed si quispiam ex mortuis;* et ecce filius viduae surrexit, et filia Iairi, et Lazarus; et viderunt eos nec crediderunt.

Alio modo: Dives, populus Hebraeorum; pauper, gentes; ulcera, mores pagani gentium. Per allegoriam canes vocat prophetas qui peccatum a gentibus eradicaverunt; Lazarum, qui venit in regnum, gentes quae ingressae sunt in Ecclesiam; divitem, qui punitus est, populum qui longe a Deo factus est; guttulam aquae, mysterium Evangelii quod (populus) deside-

ravit et quo privatus est, et ecce errat inter gentes et cupit videre regnum et prophetiam. Alio modo: Dives, populus Hebraeorum; Lazarus, symbolum Christi qui cupiebat accipere de populo opera bona pro micis; canes, symbolum gentium quae lingunt vulnera Christi, h. e. Corpus et Sanguinem eius. 5
Rursus, Lazarus apostolos figurat; canes, qui lingunt, figurant gentes quae osculantur cicatrices seu vulnera apostolorum.

[Caput XVII]

v. 5) *Et dixerunt apostoli Domino nostro: Adauge nobis fidem;* quia assidue de fide loquebatur et dicebat nihil esse 10
maius fide in Deum, ideo rogaverunt ut adaugeretur eis. Ipse autem respondit:

v. 6) *Si esset vobis fides sicut granum sinapis;* h. e. quemadmodum istud minus est omnibus oleribus et, cum creverit,
* p. 376 videtur maius omnibus, sic et vos, etsi * infirmiores estis omni- 15
bus hominibus, tamen cum veram fidem in Deum habueritis, poteritis facere signa. [*Diceretis*] *ficui isti: Eradicare,* h. e. quum fidem habebitis poteritis verbo ficum de terra eradicare et plantare in mari. Quia ficus plures radices et venas et stirpes habet quam omnes arbores, ideo illam in exemplum adduxit. 20
Rursus, *si esset vobis fides* dicit, non quo non esset eis; etenim calcaverunt passiones et fecerunt virtutes. Quod si Chananaeam et centurionem propter fidem eorum laudavit, quomodo in apostolis non esset fides? Si quis dixerit: Non potuerunt sanare eum qui daemonium habebat [1], dicemus: Non decebat eos in 25
praesentia Domini nostri sanare illum. Verumtamen confessi sunt [2]: *Etiam daemonia subiiciuntur nobis.* Ergo hoc in loco non defectum fidei eorum reprehendit, sed vult eos ab opinione superbiae arcere. Etenim non cum humilitate petierunt: Da nobis fidem, aut: Adiuva nos, sed: Adauge nobis, 30
sicut homines qui confidunt se habere aliquid et indigere incremento et perfectione completa. Ipse vero, sicut scrutator cordis, pueritiam eorum emendavit exemplo grani sinapis. Quaerunt nonnulli: Quare difficilis est operatio virtutis? et

[1] Matth., xvii, 18. — [2] Luc., x, 17.

quare daemonia acceperunt licentiam pugnandi nobiscum? Solutio: Difficile est operari bona, ut anima nostra exerceatur in scientia religionis. Secundum, ut amor noster erga Creatorem probetur per sustinentiam afflictionum quae sunt pro 5 amore eius. Tertium, ut cognoscamus infirmitatem nostram quia non possumus vincere daemonia nec perficere voluntatem Dei absque auxilio eius. Quartum, ut manifestetur malitia daemoniorum et odium eorum in homines, et ut, quum torquebuntur sine fine, iustitia Dei non culpetur. Quintum, in mundo 10 futuro possidebimus regnum et laetabimur * in eo, et bona videbuntur suaviora per comparationem cum afflictionibus huius mundi.

* p. 377.

v. 7) *Quis est ex vobis cui sit servus?* h. e. per servum qui ducit iugum boum aut pascit oves vult auferre nobis pigritiam 15 et vanam gloriam; et quemadmodum imponitur servo necessitas laborandi, sic et nobis operatio virtutis, et ut ne vespere quidem, h. e. in fine vitae nostrae, cessemus ab operando iustitiam. *Et si venerit ex agro,* h. e. postquam duxit iugum et ad vesperam venit, dominus eius non dicit ei: Recumbe et 20 requiesce.

v. 8) *Et cinge lumbos tuos et ministra mihi;* h. e. postquam laboravit toto die iussit eum laborare domi; ita et nos omnibus diebus vitae nostrae non debemus cessare ab operando iustitiam.

25 v. 9) *Num gratias aget illi servo?* Ita et nos, quum laboramus, non debemus gloriari et occupari vana gloria.

v. 10) *Sic etiam vos cum feceritis,* h. e. propter amorem pauperum, *dicite: Servi sumus inutiles;* per hoc enim abigetis a vobis gloriationem.

30 v. 11) *Et factum est ut quum proficisceretur Iesus Ierusalem;* h. e. regiones circuibat ut converteret et evangelizaret multos. Dum omnia divinitus implet et infinitus est, quatenus est Deus, non dicitur quidem transire de loco ad locum; quatenus autem factus est homo, circuibat et transibat de loco ad 35 locum.

v. 12) *Occurrerunt ei decem viri leprosi;* h. e. quia eiecti fuerant e civitatibus et pagis occurrerunt ei in via. *Et steterunt procul,* h. e. quia lex vetabat eos appropinquare ad homines.

v. 13) *Domine noster*, h. e. magister noster, *miserere nostri*, h. e. propter hoc demisisti te et incarnatus es ut omnium hominum miserearis.

v. 14) *Ite, ostendite vos ipsos sacerdotibus;* h. e. statim ac reversi sunt sanavit eos voluntate et virtute sua. Et patet 5
*p. 378. * quod non misit illos ad sacerdotes qui viderent utrum mundi essent an non, sicut lex praecipiebat, nisi cum prius sanasset eos. Rursus, neque ipsi credidissent nisi, statim ac loquutus est eis, vidissent pulchra signa in corporibus suis. Antequam autem pervenirent ad sacerdotes mundati sunt ut scirent causam sana- 10 tionis suae esse a Christo, non a Lege nec a sacerdotibus.

v. 15) *Glorificabat Deum;* h. e. unus ex eis, qui Samaritanus erat, reversus est et glorificavit Deum Patrem et gratias egit Iesu, filio eius.

v. 17) *Ubi sunt novem?* Hi novem Iudaei non reversi sunt, 15 et ille qui non educatus fuerat in lege venit ad Iesum, non autem legis periti: quod majorem reprehensionem super eos adducit.

v. 19) *Fides tua te servavit*, h. e. a mortalitate leprae tuae. Duo servaverunt hunc leprosum qui e gentibus: gratia Iesu 20 in eum, et etiam fides eius; illos autem novem unum servavit, h. e. gratia Iesu tantum.

v. 20) *Quando venturum esset regnum Dei;* quia saepe audierant eum praedicantem regnum interrogaverunt eum; non autem sincere interrogaverunt eum, sed astute et irrisoris 25 modo, h.e. quando venturum sit regnum quod praedicas, dum nos parati sumus, antequam veniat, interficere te. *Non veniet regnum Dei cum observationibus;* h. e. non veniet ad vos neque eritis illo digni eo quod observatis purificationes, quia existimatis illud esse hic in hoc loco aut illic in alio loco. Quod 30 enim facitis voluntates vestras, libertatis vestrae est; quod observatis tempora et epochas et dies, inutile est.

v. 21) *Ecce enim regnum Dei intra vos est*, h. e. intra voluntatem vestram est, et post resurrectionem universalem in eo lae-
*p. 379. tabimini * si receperitis doctrinam meam; si volueritis et 35 obtuleritis opera bona, regnum statim dabitur vobis.

v. 22) *Venient dies quum desiderabitis videre;* dies vocat mundum futurum in quo regnum eius revelabitur. Rursus,

unum ex diebus [*Filii hominis*], vocat diem quo apparebit et veniet de caelo. *Et non videbitis;* hoc non de discipulis dictum est, sed de Pharisaeis propter malam eorum voluntatem. Alio modo: Hoc de discipulis dicit; h. e. adeo graves erunt afflic-
5 tiones quibus hic persecutores vos vexabunt post ascensionem meam in caelum, et etiam afflictiones quae fient fidelibus tempore consummationis, ut desideretis videre unum ex diebus dum eram et conversabar vobiscum. Et quomodo desiderarent tempore ascensionis eius aut tempore consumma-
10 tionis mundi dies conversationis eius apud se, cum etiam diebus quibus fuit cum eis in afflictione fuerint? Solutio: Ita quidem graves fuerunt afflictiones tempore ascensionis eius; et eae, quae fient tempore consummationis, si comparantur cum afflictionibus et persecutionibus tempore conversationis
15 eius cum eis, desiderabiles videbuntur, quemadmodum febris, si comparatur cum lepra, levis videtur, et panis hordeaceus, si comparatur cum pane ex milio aut siliquis, desiderabilis videtur. Ita dura erit affictio quae eveniet fidelibus in fine ut, si comparatur cum illa oeconomiae, desiderabilis videatur,
20 nec molesta est per comparationem cum illa. Ergo illud: *desiderabitis*, per comparationem dixit.

[Caput XVIII]

v. 2) *Iudex quidem erat in civitate quadam;* haec parabola multis modis explicatur. Nos vero sermonem prolixum
25 *omnium contrahemus et vim ac sensum scribemus. Dominus noster in exemplum sumpsit iudicem iniquum et viduam ut ostenderet quod si ille iudex iniquus, qui Deum non timebat, viduam vindicavit ab inimico eius, quanto magis Deus, qui est iustus iudex, electos suos a Satana vindicabit si oraverint
30 coram eo et rogaverint eum assidue. Utique, dico, magis retribuet, quia ille quidem est iudex iniquus, Deus autem est iudex iustus et rectus. Ille quidem odit homines, Deus autem homines amat. Ita potest quis totam parabolam per partes perpendere; et patet hanc interpretationem veram esse ex eo quod Dominus
35 noster dixit (v. 7): *Deus autem non vindicabit electos suos?* Iudicem vocat voluntatem humanam quae inclinat ad malum ab

*p. 380.

initio. Alii: (Iudicem vocat) collectionem passionum interiorum et exteriorum quae semper pugnant nobiscum; civitatem vocat corpus. *Qui Deum non timebat:* h. e. ferae sunt passiones quae in nobis oriuntur, et ii qui dissoluti fiunt per eas Deum contemnunt. Rursus, voluntas humana, quum inclinatur ad malum, vacua est a timore Dei et pudore coram hominibus. 5

v. 3) *Vidua,* h. e. genus humanum, natura nostra misera. Viduam vocat genus nostrum humanum propter duo: quemadmodum vidua privatur auxilio viri, sic ii quibuscum passiones pugnant privantur auxilio et unusquisque per seipsum 10 superat et superatur; et quemadmodum vidua necessitatem viduitatis sustinet, sic homo purus et excellens pugnam passionum sustinet. *Vindica me ab adversario meo;* h. e. genus humanum petit liberationem a passionibus. Rursus, adversarius eius est motus constans et naturalis qui inclinat ad mala 15 et incitat nos ad completionem eorum, et in eis versatur natura nostra tanquam in agone.

* p. 381. v. 4) *Nolebat tempore multo;* h. e. adventus viduae * seu generis humani ad iudicem est oratio quam casti Deo offerunt ut liberentur a pugna passionum. Illud autem: *nolebat,* h. e. 20 dilatio iudicis relate ad clamorem eius, est permanentia passionum per longum tempus.

v. 5) *Vindicabo eam, ne omni tempore...* h. e. oboedientia iudicis propter perseverantiam viduae significat nobis quod nos, quum in afflictione versamur, debemus perseverare in 25 oratione in domo Dei, h. e. (in) ecclesia.

v. 7) *Deus autem non potius vindicabit electos suos?* h. e. dicit: Vindicabit, quia electos, non omnes homines, ab hoc bello liberabit.

v. 8) *Vindicabit eos cito:* h. e. quum orant eum cum bona 30 voluntate. Alii dicunt: Iudicem durum posuit ut confidamus Deo suavi; viduam sine auxilio scripsit ut ostenderet laborantes in agone virtutis indigere auxilio Dei. Rursus, iudicem iniquum posuit ut innueret blandimenta quae nos a iustitia deiiciunt; viduam instantem apud iudicem, ut doceret quod boni 35 orationibus assiduis passiones suas superant. Posuit autem longanimitatem, ut ostenderet quod hic in hoc mundo Deus longanimis est, nec mercedem bonis retribuit nisi in mundo

futuro. Hippolytus dicit: Iudicem iniquum vocat Antichristum; viduam, synagogam Iudaeorum; adversarium eius Ecclesiam vocat; h. e. synagoga veniet ad Antichristum et suos ab Ecclesia reducet. Moyses Barcepha: Iudicem vocat
5 intellectum contemptorem et impudentem et non assentientem timori Dei; civitatem vocat hominem propter sensus in eo coniunctos; viduam vocat animam privatam ac viduatam operibus bonis; adversarium vocat corpus et passiones quae anima vult subiici ipsi, et ideo anima semper rogabat intellec-
10 tum ut cogeret * corpus venire ad virtutem. Intellectus autem *p. 382.
cogitavit dicens: Etsi Deum non timeo qui virtutem semper praecipit, neque homines qui studiosi sunt castitatis, tamen propter animam pauperem et viduam vim corpori inferam ne ministret malis desideriis. Titus Bostrensis aliter dicit et inter-
15 pretatur: Iudex iniquitatis est Deus; Deus enim vere est iudex iniquitatis et peccati, non iustitiae; iudex est iniquorum, non proborum; lex non posita est iustis. *In civitate quadam*, h. e. in creatione et mundo. *Et Deum non timebat;* h. e. non est super eum Deus quem timeat neque homo quem veneretur. Viduam
20 quamdam vocat omnem animam ecclesiasticam cuius dominus Satanas aliquando fuit, et ipsa eiecit eum et in Christo firmata est. Adversarius est Satanas. Dixit enim apostolus[1]: *Ecce adversarius vester Satanas tanquam leo rugit et obambulat quaerens quem devoret.* Illud: *Nolebat* (v. 4), h. e. quia
25 (anima) ab impietate non perfecte redierat; deinde Deus clamorem animae audivit eamque a violentia Satanae liberavit. Tu autem, o homo, quando audis Deum iudicem iniquitatis, ne confundaris; etenim iudex est et ultor iniquitatis, non iustitiae.

30 Alio modo: Iudicem unum[2] vocat Satanam qui non est iustus in iudiciis suis; et *unum* vocavit eum quia non fuit ullus ante eum nec erit post eum qui tam pervertat iudicium et opprimat facientem bona. Dicit: *Erat,* h. e. tanquam in tempore praeterito, quia nunc non habet munus iudicis, nam
35 extrusus est a potestate sua. *In civitate*, h. e. in creatione.

[1] I Petr., v, 8. — [2] Sic Syrus ubique reddit graecum τίς; hoc autem loco auctor « unicum, singularem » intelligit.

Quamdam (viduam) dixit, quia ipse non potest creare novam creationem seu mundum. *Deum non timebat:* in hac creatione cognitum est * quod supra non timebat Deum creatorem suum. *Et homines* [*non verebatur*]: h. e. infra super terram non verebatur homines qui in imagine Dei creati sunt. Viduam quamdam vocat humanitatem nostram quae gratiam Spiritus praevaricatione perdidit, donec Christus desponsavit eam sibi eamque fecit sponsam. Derelicta erat in civitate seu in terra maledicta, et erat ei inimicitia cum exercitibus Satanae. Venit autem vidua seu humanitas ad Satanam a quo oppressa erat, dum animadvertebat cogitationem suam et afflicta erat in conscientia sua per daemonium idololatriae et daemonia fornicationis et amoris ventris, quae vocavit « adversarium meum », petens ut liberaretur ab illis; et quia non cognoscebat Deum, petebat ab hoc duce malitiae ut liberaretur ab eis et ut faceret ipsi iudicium; et iste nolebat tempore multo. Et quare diabolus voluisset humanitatem liberari a peccato toto tempore vitae nostrae? Cum enim defessus esset, sicut is qui cruciatur ab humanitate, tanquam superbus dixit (v. 4): *Etsi Deum non timeo*, probabo philanthropiam Dei. Etenim etsi humanitas peccavit, tamen servavit in ea vim superandi et cruciandi diabolum eiusque exercitus. Cruciabuntur daemonia quia Deus sumet vindictam creationis suae a iudice diabolo; et notum est ex eo quod anima Balaam, cum discessisset ab ea daemonium erroris, agnovit Deum [1]; et Saul quoque, cum spiritus malus affligeret eum, eiiciebat illud per David pulsatione citharae [2], (Deo) miserante plasmationis suae. Lazarus episcopus Bagdadensis: Iudicem quemdam allegorice vocat Pharaonem aut Nabuchodonosor qui captivam fecerunt synagogam; et (synagoga) vocata est vidua quia facta est captiva et in terra aliena; adversarium vocat servitutem et afflictiones quas passa est; et ipsa causam dixit apud Pharaonem per Ioseph * et apud Babylonium per Daniel. Quod si hi iudices iniqui supplicationem synagogae (seu) viduae per Ioseph et Daniel susceperunt, et adiuvarunt captivos iniustitiae, quanto magis Deus, qui ut pater miseretur creationis suae, vindicabit electos suos

[1] Cf. *Num.*, XXII, 31. — [2] *Reg.*, XVI, 23.

sicut vindicavit et liberavit illos! *Veniet Filius hominis, et num inventurus est fidem?* Fides tribus modis cognoscitur: quod credimus unum Deum esse tres hypostases, et quod credimus Deum existere, et quod credimus et non dubitamus eum adim-
5 pleturum esse promissiones suas. Aut eo loco fidem vocat labores patientiae et constantiam animae in amore Dei. Illo quod dixit: *num*, paucitatem indicat, h. e. in adventu meo pauci invenientur credentes in Deum. Fidem hic vocat quod homo credit Christum redditurum esse iustis bona promissa
10 et vitam aeternam quae promisit, h. e. in adventu eius secundo pauci invenientur credentes mercedi quam promisit iustis.

v. 10) *Duo homines ascenderunt in templum;* haec parabola de duobus dicta est: primum quidem, de bonis ut fugiant gloriationem, ne virtutem amittant; alterum autem, ut
15 doceret nos, quum surgimus ad orandum, mentem nostram observare ne, dum quaerimus commodum ex ea, casum detrimenti lucremur. Aequales fecit hos duos unum alteri, quia ambo homines sunt, nam ipse respexit neque in divitias neque in potestatem. *Unus Pharisaeus et alter publicanus;* agmen
20 Pharisaeorum est una e septem sectis quae ortae sunt in Israel post reditum; scilicet separaverunt se ipsos Deo ut servarent mandata eius, et assidui erant in ieiunio et in oratione, et in observantia mandatorum existimabantur perfectiores omnibus Iudaeis. * *Pharisaei*, h. e. separantes se; *publicanus;* h. e. colli- * p. 385.
25 gens decimas, aut caupo qui est oppressor et raptor, et omnia quae tollit iniuste tollit.

v. 11) *Et ille Pharisaeus stabat seorsim*, h. e. virtutes suas in oratione recitabat. *Quod non sim sicut ceteri homines, raptores.* Oppressores et raptores vocat eos qui tollunt quod non
30 iustum est; et hic publicanus e talibus erat. Verumtamen oportet sciamus non omnem, qui non sit raptor et oppressor et adulter, necessario esse bonum. Recitatio autem criminum aliorum nocet, non prodest; omnis enim res ex vi sua iudicatur, ait quidam e sapientibus. — Ille Pharisaeus debuisset compa-
35 rare se cum hominibus iustis, v. gr. cum Moyse et aliis, non cum publicanis et oppressoribus, sed quia iustificavit seipsum et alios condemnavit, ipse humiliatus est et condemnatus est.

v. 12) *Sed ieiuno bis in hebdomade;* h. e. die secundo et die

quinto. Pharisaei ad hunc modum ieiunabant: uno die ieiunabant et duobus diebus solvebant ieiunium; ieiunabant secundo die hebdomadis et solvebant ieiunium tertio et quarto die; quinto die ieiunabant et ieiunium solvebant die parasceves et primo die hebdomadis; diem sabbati requiem communem existimabant. Alii: Ieiunabant die quarto et die parasceves; sed hoc non convenit. *Et decimas do:* h. e. decimam partem omnium quae possidebat domui Dei dabat.

v. 13) *Ille vero publicanus stabat procul:* h. e. retrahebat se nec appropinquabat ad Pharisaeum, sed procul stabat. [*Et nolebat*] *vel oculos suos attollere in caelum:* h. e. conscientia sua eum arguebat, et ideo non suspiciebat in caelum dum orabat, sicut mos est quibusdam ut suspicientes in caelum orent. *Sed percutiebat pectus suum:* h. e. quia pectus eius seu cor eius est habitaculum cogitationum malarum, ideo percu- *p. 386. tiebat * et feriebat illud; cor enim est fons et horreum cogitationum malarum, et ideo afflictabat illud percussionibus et doloribus secundum morem et consuetudinem hominum qui, cum lugent, illud percutiunt. *Deus propitius esto mihi peccatori;* haec est supplicatio peccatorum qui Deum ad iram provocaverunt, et ideo ille publicanus redarguebat cogitationes suas et animam suam.

v. 14) *Descendit is iustificatus in domum suam:* quia Pharisaeus gloriabatur et hic humiliabat se, ille condemnatus est et hic iustificatus est. Et Dominus noster ostendit peccatorem, qui agit paenitentiam et humiliat se ipsum, meliorem esse sancto glorioso et superbo. Etenim humilitas peccatoris peccata eius paenitentia delet; superbia autem iusti sanctitatem eius elatione perdit. *Omnis qui extulerit se ipsum humiliabitur:* per haec verba, quae posuit universaliter, ostendit se hanc parabolam ut regulam quamdam omnibus hominibus statuisse.

[Caput XIX]

v. 2) *Homo quidam, cuius nomen* [*erat*] *Zacchaeus, dives* [*erat*] *et princeps publicanorum;* h. e. publicanus (non) in abscondito furatur, sed aperte defraudat et opprimit; et hic erat princeps eorum.

v. 3) *Et volebat videre Iesum:* h. e. desiderabat videre eum; quod desiderabat videre eum fuit initium mutationis eius. *Non poterat videre prae turba;* h. e. primum quidem, quia turbae copiosae sequebantur eum; alterum autem, quia pusillus erat
5 statura.

v. 4) *Et conscendit ficum insipidam (sycomorum)*; h. e. (ficum) morum malorum quos habebat. *Ficum insipidam* conscendit quia Iesus ad hanc ficum praeteriturus erat. Per ficum intellegimus insipiditatem morum malorum quos habe-
10 bat. Cum Dominus noster per Iericho transiret Zacchaeus, qui pusillus erat statura * corporali et spiritali, cucurrit, conscen- * p. 387. dit ficum ut Iesum videret. Dicebat in corde suo: Beatus homo cuius domum hic vir ingredietur. Dominus autem noster ut Deus cogitationem eius noverat dixitque ei:

15 v. 5) *Festina descende, Zacchaee.* Ille autem, cum intellexisset eum nosse nomen et cogitationem ipsius, quia dixit: *Hodie in domo tua ero,* dixit: Sicut haec cognovit, ita omnia quae feci noscit. Illo autem, Oboedivit ei *et festinavit et descendit,* et illo: *Cum gaudio excepit eum,* ostendit mutationem
20 eius ad bona.

v. 7) *Et murmurabant et dicebant;* quia non cognoscebant id quod absconditum erat in mente Zacchaei et mutationem eius felicem.

v. 8) *Quadruplum retribuo:* ita lex praecipiebat: Fur non
25 occidatur, sed quadruplum reddat domino rei furtivae[1]. Zacchaeus ergo fur erat, etsi non fur absconditus, sed publicus.

v. 9) *Hodie facta est salus domui huic;* salutem domus vocat emendationem habitantium in ea. Rursus *salus*[2]: corpus Zacchaei vocat domum, quia mortuus erat propter peccatum;
30 etiam anima eius similiter perdita erat peccato et liberata est a perditione decimarum. *Etiam hic filius est Abraham.* Veni enim ut salvem de peccato filium Abraham et omnes qui fidem eius imitantur, iuxta illud[3]: *Venient ab Oriente*, etc. Et Zacchaeus est unus ex istis; ergo vere filius est Abraham.

35 v. 10) *Ut quaerat et servet id quod perierat*, h. e. eos qui in iniquitate perditi erant et in peccato mortui erant.

[1] Cf. *Ex.*, XXII, 1. — [2] Ad litt. « vita ». — [3] Luc., XIII, 29.

v. 11) *Putabant fore ut eo tempore manifestaretur regnum Dei;* multa enim ex eis quae Dominus noster dixit non intellexerunt donec Spiritus descendit et docuit eos; quapropter quum dixit [1]: *Ascendimus Ierusalem, et haec quae scripta sunt de me perficientur,* existimaverunt regnum eius statim revelandum esse; et ideo hanc parabolam instituit ut ostenderet * hoc revelandum esse non eo tempore sed in fine in adventu secundo, et unumquemque retributionem iuxta laborem suum accepturum esse, et (ut ostenderet) odium Iudaeorum in ipsum et poenam quam crucifixores dederunt.

* p. 388.

v. 12) *Homo quidam, filius stirpis [nobilis];* Christus hominem vocavit seipsum; filium stirpis (nobilis) vocavit seipsum quia est Deus naturaliter sicut Pater eius; et ideo incarnatus est de stirpe (nobili) domus David. *Profectus est in regionem longinquam;* ascensionem suam in caelum innuit; et per regionem longinquam significat regnum Dei non nunc revelandum esse sed tempore longinquo. Verumtamen hodie prope est et ad ianuam stat, et nemo est qui recogitat corde [2]. — *Ut acciperet sibi regnum;* etenim quatenus factus est homo de eo dicitur quod accepit regnum et quod vita datur ei, etc.; quatenus autem est Deus, naturaliter regnat, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus aequales sunt in regno. *Et reverteretur;* h. e. postquam ascenderit, revertetur ad nos in adventu secundo.

v. 13) *Et vocavit decem servos suos;* servum vocat omnem cui dona Spiritus largitus est, sive apostolus sit, sive episcopus, sive doctor, sive sacerdos, sive diaconus. *Decem minas;* h. e. mina [3] usurpatur pro drachmis et pro lino et serico. Haec autem mina est pondus unius drachmae cum dimidio, et ipsa est obolus quem vidua iniecit. Rursus, minas vocat munera Spiritus et dona quae dedit eis ut prosint hominibus iuxta illud [4]: *Huic datur sermo sapientiae,* etc. Numero autem *decem* usus est propter perfectionem eius; etenim quum numeras decem, ad decem reverteris illudque duplicas et triplicas. Et beatitudines sunt decem, et decem sunt sensus animae et corporis! et littera Iod, quae est in principio nominis Iesu, decem

[1] Luc., XVIII, 31. — [2] Cf. Is., LVII, 1. — [3] Confundit auctor vocem monīn (plur. ex mana vestis) cum mnīn (plur. ex mānīa drachma). — [4] I *Cor.*, XII, 8.

valet. Etsi beatitudines novem sunt * apud Matthaeum et decem apud Lucam, tamen decima beatitudo est Corpus et Sanguis. Rursus, viam suam figuravit per mulierem quae habebat decem drachmas. Hic in illo *decem*, non est ei cura de numero definito sed de multitudine, sicut illud prophetae [1]: *Propter tria scelera Damasci et quartum non avertam ab eis*, ubi per ter et quattuor multa innuit. *Negotiamini donec veniam;* h. e. operamini cum donis, unusquisque prout accepit. * p. 389.

v. 14) *Concives eius;* h. e. Iudaeos vocat qui oderant eum: — *Nolumus hunc regnare super nos*. Coram Pilato clamaverunt [2]: *Non est nobis rex nisi Caesar*.

v. 15) *Et quum accepisset regnum et reversus esset;* h. e. revelationem suam ultimam innuit. *Dixit ut vocarent ad se servos suos;* per hoc significavit se iudicaturum esse omnem hominem iuxta opera eius.

v. 16) *Domine mi, mina tua decem minas lucrifecit;* h. e. dono, quod dedisti mihi, lucrifeci mihimetipsi et aliis.

v. 17) *Euge, serve bone;* bene vocavit eum *servum* quia ad negotiationem separatus est, *bonum* autem quia negotiatus est cum dono quod datum est ei, per comparationem cum illo quod illic sanctis datur. *Potestatem habebis super decem oppida;* h. e. cum donis praesentibus etiam illic accipies mercedes bonas, quas vocat oppida.

v. 18) *Et venit secundus;* etiam hic secundus iuxta negotiationem suam recepit mercedem.

v. 20) *Posita in sindone;* h. e. non negotiatus sum cum ea.

v. 21) *Timui a te quod homo sis durus;* id magis condemnabat eum. Cum sciret dominum suum esse durum, quare non proiecit pecuniam domini sui super mensam nec adimplevit id quod iussum est ipsi, et dominus eius exegisset suum cum usuris eius?

v. 22) *Ex ore tuo te iudicabo;* h. e. primum manifestavit culpam eius et deinde iudicium in eum tulit. *Noveras me quod homo sim [durus];* h. e. postquam haec noveras, oportebat te perficere mandata mea. *Et tollam id quod * non posui;* h. e. reprehendit mentes eorum qui recusant aggredi utilitatem * p. 390.

[1] Am., i, 3. — [2] Ioh., xix, 15.

aliorum, quia existimant se pro alio rationem reddituros; igitur merito arguit illum sicut eum qui (acceperat) unum talentum.

v. 23) *Quare non dedisti pecuniam meam?* h. e. dona et munera. [*Ad*] *mensam;* h. e. aures fidelium; h. e. mentes discentium oportebat te docere et admonere et exhortari. 5
— *Et exegissem illam cum usuris suis;* usuras eius vocat opera bona et sancta quae fiunt ex doctrina; h. e. si auditores fecerunt quae docuisti, id est quod requiritur; sin minus, tu mea adimplevisti, quia fuisti sicut speculator apud Ezechiel[1]. *Et venissem et exegissem;* h. e. doctrinam quam docuisti cum 10 operibus optimis quae debebantur doctrinae tuae et donis tuis.

v. 24) *Illis qui stabant;* h. e. angelis facientibus voluntatem eius. *Accipite ab eo minam*, donum manifestum quo usus est iniuste; primum auferetur eis gratia Spiritus et deinde iudicio tradentur. *Et date ei cui sunt* [*decem minae*], h. e. dona multa. 15

v. 26) *Omni cui est dabitur ei;* h. e. omni, qui habet donum et hic negotiatus fuerit et lucrifecerit cum eo, illic dabitur merces. *Et ab eo cui non est;* h. e. servo, cui non est negotiatio nec lucrum, auferetur munus et donum quod accepit quia nihil operatus est cum eo. 20

v. 27) *Adducite eos et interficite eos coram me;* h. e. desolationem duram, quam Iudaei a Romanis propter audaciam suam passi sunt, innuit. Rursus, innuit audaciam eorum et supplicium eis in fine reservatum. Oportet intellegamus quod, cum hic dicat unicuique eorum minam datam fuisse et ab uno 25 in decem auctam fuisse, dum apud Matthaeum qui quinque talenta accepit quinque alia lucrifecit, vult docere magnitudinem et parvitatem doni nihil facere ad operationem * virtutis; et testes sunt illi quia, etsi unusquisque ex eis unam minam accepit, decem adduxerunt. 30

* p. 391.

v. 41) *Et cum appropinquaret et videret civitatem flevit super eam;* h. e. veni ut visitem te quiae miserrima facta es, ut redeas ad virtutem et mala tua finem accipiant et laeteris in pace profunda; et quia non recepisti me sed eiecisti me, sine mora experientiam horum (malorum) sumes, innuens mala 35 quae passi sunt a Romanis, h. e. Francis.

[1] Ez., III, 17.

[Caput XXI]

v. 1) *Intuebatur autem Iesus divites illos qui iniiciebant in gazophylacium*, h. e. arcam, in quam iniiciebant aurum et argentum et ceteras alias res, quisque iuxta facultates suas.

5 v. 2) *Quae iniecit chalcos duos;* Graecus: Duo minuta, h. e. duos quadrantes, aut duos denarios, aut duos obolos.

v. 3) *Iniecit plus quam quivis;* per haec ostendit donum non propter parvitatem suam aut magnitudinem suam accipi, sed propter promptam voluntatem et animum alacrem. Et accipe 10 exemplum operariorum novissimorum [1] qui, quia voluntate aequales erant cum primis, parem mercedem receperunt; Deus enim consilium et voluntatem respicit.

[Caput XXII]

v. 8) *Ite, parate nobis Pascha;* h. e. inter festivitatem 15 Paschatis Hierosolymitae potestatem in domos suas non habebant, quia illi qui veniebant e regionibus Iudaeae, ubicumque possibile erat, degebant; et non solum domus, sed etiam plateae * implebantur. Dominus autem noster fecit ut dominus caenaculi servaret illud, quia aptum erat ad celebrationem 20 mysteriorum et ad auditum doctrinae et receptionem gratiae Spiritus; et illud tanquam ecclesia fuit apostolis eo tempore usque ad eversionem Ierusalem.

* p. 392.

v. 15) *Desiderio desideravi comedere.* Sanctus Mar Ioannes in Commentario in Iohannem, Mar Ephraem, Andreas in 25 Chronico Typorum, homilia sexta, Hippolytus, Eusebius, Epiphanius, et ceteri doctores dicunt: Quum Dominus noster crucifixus est, Iudaei Pascha et azyma nondum comederant. Et Iohannes sic scripsit [2]: *Ipsi non introierunt in praetorium ne pollueerentur donec comedissent Pascha.* Rursus [3]: 30 *Ante sex dies Paschatis venit Bethaniam in sabbato;* et sex dies sunt: primus dies hebdomadis, et secundus, et tertius, et quartus, et quintus, et sextus qui est parasceves dies Paschatis, quia in exitu non in ingressu huius diei comedebant. Rursus,

1 Cf. Matth., xx, 10. — 2 Ioh., xviii, 28. — 3 Ioh., xii, 1.

dicunt: Si Iudaei non tempore sepulturae Domini nostri Pascha comedebant, dicant nobis cuiusnam mysteria figurabant per agnum quem comederunt et quare eum ad occasum solis mactabant? Alii: Dominus noster Pascha legale suo die comedit, quod patet ex illo Marci[1]: *In die primo azymorum quo immolant Iudaei Pascha.* Quod si non comedisset Pascha suo die, occasio fuisset eis accusandi illum. Iudaeos autem non comedisse Pascha illucescente parasceve etiam nos confitemur, sicut dixit Ioannes et Hippolytus: Quod comederint illud suo tempore, illucescente sabbato, ostendite nobis testimonium de hac re. *Dies enim magnus erat dies sabbati illius,* dicebant[2]. Primae sententiae doctorum supradictorum, praesertim Hippolytus, (fautores) dicunt: Iudaeos Pascha suo tempore comedisse, * et Christum hac vespera Corpus et Sanguinem tantum comedisse, et diem Paschatis fuisse in sabbato. Rursus, Mar Ioannes in Commentario in Matthaeum et in homilia Proditionis, et maior pars doctorum Graecorum et Syrorum dicunt: Christus Pascha legale suo tempore vespera parasceves[3] comedit, et Iudaei illud non suo tempore comederunt ut crucifigerent Christum. Sententiam autem veram Dominus novit.

* p. 393.

v. 19) *Et accepit panem et gratias egit;* h. e. quia maledictus fuerat ut in maledictione comederent illum, benedixit ei ut per eum expiationem nobis daret, et promissionem nobis dedit se ita in eo, tempore Eucharistiae, habitare ut auferat maledictionem[4]: *In sudore vultus tui,* et dolores parturitionis Hevae.

v. 20) *Hic est calix novi testamenti:* per illud: Novum, priorem ad vetustatem redegit.

v. 24) *Fuit autem contentio inter eos quis esset inter eos maximus;* stupore dignum est quod hoc tempore tremendo permisit eis talia cogitare, et quod ceciderunt in contentionem de principatu. Verumtamen contentio eorum non erat mala; sed quia viderunt magistrum suum mox discessurum ceciderunt in cogitationem num esset inter eos qui posset regere eos. Et videtur quod obliti erant illud ad Petrum[5]: *Tu es Cephas,* et *Tibi*

[1] Marc., xiv, 12. — [2] Ioh., xix, 31. — [3] i. e. ante parasceven. — [4] *Gen.*, iii, 19. — [5] Matth., xv, 18, 19.

dabo claves. Etenim ante passionem deficientes erant; Dominus autem pueritiam eorum non reprehendit, sed ex contentione causam sumpsit emendationi eorum aptam per doctrinam de humilitate, quam confirmat exemplo sui ipsius, et mystice 5 redarguit eos quod dereliquerint Simonem quem elegerat eis in ducem, et per historiam quam adduxit confirmat principatum Simonis, et dimisit eos, et se ad Simonem convertit:

v. 31) *Simon, ecce Satanas petit ut cribraret vos sicut triticum;* h. e. petit a me ut deseram vos * sicut Iob derelictus est, * p. 394. 10 ut cribret vos et tentet vos et turbet vos et terreat vos sicut triticum in cribro; et quemadmodum triticum cribratur, ita petit ut afflictione et passionibus turbet vos. Rursus, petit ut iustos a praestantia eorum mutet. Verumtamen Deus neminem deserit neque Satanas potest cuiquam nocere absque permis- 15 sione Dei; patet ex historia Iob, et ex eo quod sine iussu non intraverunt in porcos. Et propter quam causam Deus permittit Satanae ut homines tentet? Ut probentur et meliores fiant et electi cognoscantur ab omnibus, ut si maculae peccati in eis sint mundentur, ut sint imago et exemplar aliis qui 20 etiam afflictiones sustinent. Satanas a Christo petiit ut tentaret discipulos, et Legio quoque ut intraret in porcos. Illo quod dixit: *Ecce,* significavit eum antea non tentasse nec cribrasse eos, quia Dominus noster non deseruit eos. Ad Simonem respexit et direxit verba sua ut ostenderet lapsum eius gra- 25 viorem futurum esse lapsu aliorum; alterum, quia erat dux, ut per hoc socios eius terrefaceret. Ante passionem remissi fuerunt et deseruit eos ut sentirent infirmitatem suam; quod notum est ex eo quod dereliquerunt eum et fugerunt et dux eorum negavit (Christum). Ne, cum Spiritus veniret in caena- 30 culum et doceret eos et fierent in his rebus magnificis, exaltarent seipsos et obliviscerentur infirmitatem suam, ideo gratia ordinavit ut tempore passionis sentirent infirmitatem suam. Quapropter ad Simonem loquutus est: Ego enim ex parte deseram vos ut sciat vos esse infirmos quia fugietis, non autem 35 malos esse, sicut Iudaeos, quemadmodum ipse (Satanas) de vobis opinatur.

v. 32) *Et ego rogavi pro te ut non deficiat;* h. e. illo: *Rogavi pro te,* demisse loquitur; id enim non dixit propter indigen-

* p. 395. tiam, * sed, quia passio prope erat, humano modo loquebatur. Rursus, propter infirmitatem audientium, quia honorem ei convenientem nondum praestabant. Et ex verbis humilibus divinitas eius manifestatur: primum quidem, quia cognovit cogitationem Satanae eamque revelavit, et quia praemonstravit Simoni eius negationem. *Et non deficiat fides tua*, h. e. tu negabis me, sed ego non deseram te ut perpetuo in negatione permaneas. Simon duo habebat: amorem et fidem; fides perdita est et amor mansit; quod si derelictus fuisset a Domino nostro, omnino periisset. Rogavit pro eo ut fides, quam perdiderat, redderetur ei et ut non amitteret eam. *Etiam tu quandoque convertere et confirma fratres tuos;* h. e. quia sicut homo experiendo didicisti quanta sit infirmitas naturae humanae, necessario debes demittere te ipsum ad alios qui, etiamsi optimi sint, ad peccatum declinant. Rursus, si in afflictiones inciderint et de me dubitaverint sicut tu dubitasti, confirma et sustine eos per fidem in me et excipe eos sicut et ego excepi te et confirmavi te. Dominus autem voluntate sua passus est, non necessitate; quod patet ex eo quod praecognovit se passurum esse idque Simoni et fratribus eius saepe significavit, et ex eo quod iniecerunt ei manus ut apprehenderent eum et transivit per medium eorum; notum est etiam ex eo quod alios salvos fecit, sicut filium viduae et filiam Iairi et Lazarum, et ex eo quod postquam comedit ivit ad locum quem cognoscebat Iudas.

v. 36) *Et is, cui non est gladius, vendat vestimentum suum et emat sibi gladium;* de auxiliis significavit. Vult enim per gladium eos admonere quod, quemadmodum olim per benignitatem ipsius sine timore fuerunt et necessitas eorum absque cura impleta est, nunc autem propter passionem brevi tempore * p. 396. debiles fient, * ut sentiant infirmitatem suam. Et quare, quum misit eos in Iudaeam ad populum, iussit eos non accipere marsupium; hic autem iussit eos accipere etiam gladium? Solutio: Quia illic dedit eis donum patrandi miracula et propter ea honorabantur, quod patet ex eo quod infirmos sanaverunt, etc.; hic autem, quia dies passionis aderant et privavit eos a patratione miraculorum, praecepit ut sumant gladium usque ad tempus quo acceperunt Spiritum, gladium vero non

ad bellum sed ut significaret fore ut bella surgant eis a crucifixoribus. Ergo per marsupia et peras et calceamenta innuit utilia; per gladium autem et baculum contra nociva. Iterum, alio modo: Aliquando loquutus est eis dum respiceret ipsos et sic iussit eos non sumere marsupia; rursus, quia desolatio ventura erat super Iudaeam iussit eos sumere possessiones et fugere. Et quod iusserit eos sumere gladios, innuit caedem et bellum quae annis post quadraginta ventura erant super eos a Vespasiano. *Vendat vestimentum suum et emat sibi gladium;* h. e. is, cui est otium, derelinquat illud et apprehendat laborem. Permisit eis ut acciperent gladium ut, cum Simon amputaverit aurem faceret miraculum restituendo illam suo loco, et per hoc reprehenderet Iudam et crucifixores, et ostenderet eis se voluntate sua pati, et doceret discipulos suos, h. e. patientiam.

v. 37) *Etiam hoc quod scriptum est oportet impleri in me: Cum sceleratis* [*numeratus est*]; quia crucifigent me cum sceleratis, propter hanc causam Romani venient et perdent eos. *Haec enim quae de me impleta sunt,* h. e. apprehensio et passio et crucifixio et mors.

v. 38) *Ecce hic sunt duo* [*gladii*]*;* discipuli quidem non intellexerant; ideo dixerunt: Ecce duo gladii. Et undenam fuerunt? Ioannes[1] dicit: Cultri erant Paschatis, et cum *cognovissent homines venire contra ipsos, acceperunt eos secum; cultros vocat gladios. Alii: Gladii erant domini caenaculi, et cum licentia domini eorum acceperunt eos secum. Alii: Quia audierant Iudaeos paratos esse, iverunt, paraverunt gladios ut pugnarent pro magistro suo. *Dicit eis: Sufficiunt;* h. e. si incitasset eos ad pugnandum, non dixisset: Sufficiunt duo adversus multos, sed quia non intellexerant quid dixerat eis: *Is cui non est gladius,* etc., dixit: Sufficiunt, ut cohiberet sermonem eorum.

* p. 397.

v. 50) *Et percussit quidam ex eis servum principis sacerdotum;* h. e. Simon, amore incensus, experimentum (eius) dedit, volens amputare non aurem, sed caput. Sed quia ille

1 Cf. CHRYSOST., *Hom. LXXXIV in Matth.; Patr. gr.,* t. LVIII, col. 751.

cervicem suam ab ictu declinavit, accidit ut auris praecideretur. Etenim quum manum more militis movit a priore in posteriorem partem, et ille ab ictu declinans inclinavit se, gladius aurem abstulit. Percussit eum ictu ab infra sursum et ideo aurem dexteram amputavit, non autem aurem sinistram ex adverso abstulit, quia oppositi stabant, h. e. dextera huius ad sinistram illius, et versa vice. 5

v. 53) *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum;* h. e. quemadmodum vos tenebrosi estis in mentibus vestris, sic decet vos tempore noctis explere malam vestram voluntatem. Tempus enim tenebrarum quo venistis proclamat nequitiam vestram, quia sicut latrones et fures perficitis malum vestrum negotium, et tempore potestatis tenebrarum ostenditis etiam potestatem vestram. *Tenebrae;* quia in eis cruciabimini propter audaciam vestram. Rursus, *haec est hora vestra;* nunc et in hac hora datum est vobis, et Satanae magistro vestro, ut voluntatem vestram malam expleatis. 10 15

* p. 398.

* [Caput XXIII]

v. 12) *Et illo die facti sunt amici Herodes et Pilatus;* inimicitia enim erat inter eos propter caedem quam fecit Pilatus in convivio Herodis quum Iohannes interfectus est [1]. Alii: Interfecit eos quia invenit eos sacrificantes cum prohiberentur a sacrificiis. Et reconciliati fuerunt in passione Domini nostri pacificatoris iratorum. 20

v. 34) *Pater, remitte eis.* Remissus fuit eis an non? Si remissum fuit eis, ubi ponemus illud [2]: *Qui acceperint gladios gladiis morientur,* et [3]: *Inimicos eius adducite et interficite, quia noluerunt illum regnare super eos?* Si non remissum fuit, tunc supervacanea est petitio. Quidam autem interpretantur: Quod vult docere verbo, in seipso fecit, iuxta illud [4]: *Benedicite persecutoribus vestris,* et sicut docuit humilitatem et lavit pedes discipulorum, etc. Alii autem contrarium dicunt: Si remissio non vere facta est eis, tunc simulata mente 25 30

[1] Cf. Išōdad in h. l. (*Horae sem.*, VII, 3, p. 87). — [2] Matth., xxvi, 52. — [3] Luc., xix, 27. — [4] Matth., v, 44

hoc verbum dixit; si autem Filius petiit et Pater non remisit, id etiam magis difficile est. Solutio: Sunt verba quae ad confirmationem ipsorum dicuntur, et sunt quae ad confirmationem aliorum, sicut illud [1]: *Orate ne sit fuga vestra in sabbato.* 5 Quid coegit ut de sabbato praeciperet quum ipse solvit illud vellendo spicas [2], et aliis locis? Sed ad confirmandam desolationem Ierusalem introduxit rem sabbati, et de afflictione illi futura quae tam gravis erit, ut grave est tempore hiemis fugere ab afflictione et (difficile est) Iudaeis in 10 die sabbati. Et simile est hoc quod dixit Ieremias [3]: *Orate pro civitate * in qua vos captivos feci,* quamquam David dixit [4]: *Beatus qui apprehendet parvulos tuos et allidet ad petram.* Et quare prophetae maledixerunt eis et Ieremias eos habet dignos oratione? Solutio: non de istis sollicitus est, sed quia 15 sciebat eos per longum tempus futuros esse captivos in Babylonia haec dixit, ut propter pacem regionis etiam ipsi pacem haberent, neve audirent falsos prophetas qui dicebant: Biennio post liberabuntur a captivitate. His simile est illud: *Pater, remitte eis.* Itaque dicunt: Fac eum remisisse illis; illud alte- 20 rum quod dixit: *Non enim sciunt quid faciunt,* h. e. quomodo stabit? nam dixit [5]: *Si non venissem et loquutus fuissem eis, non esset eis peccatum;* nunc viderunt et oderunt, et [6]: *Hic est heres, venite, occidamus eum.* Solutio: Etiam haec ad verba metaphorica pertinent. Iudaei enim Dominum nostrum 25 ut seductorem reputabant, et Dominus noster eos per hoc redarguit: *Pater, remitte eis.* Nam seductor, quum apprehenditur, aut confugit ad quietem et silentium aut rogat captores ut misereantur ipsius. Dimittere autem suis persecutoribus et ad Deum faciem suam intendere et dirigere, proprium est 30 Christi qui hoc tempore veniam pro crucifixoribus suis petiit. De illo autem: *Non sciunt quid faciunt,* (dicimus): Vox quidem scientia duobus modis accipitur. Primum quidem, de illo qui perfectus est scientia; alterum autem de illo qui scientia minor est socio suo, qui cum sciente comparatus dicitur igno- 35 rans. Neque dixit eo loco: Nesciunt se peccare, sed nesciunt

* p. 399.

[1] MATTH., XXIV, 20. — [2] Cf. MATTH., XII, 1. — [3] IER., XXIX, 6. — [4] *Ps.* CXXXVI, 9. — [5] IOH., XV, 22. — [6] MATTH., XXI, 38.

profunditatem mysteriorum rerum quae facta sunt nec mysterium crucis.

Alio modo: *Pater, remitte eis*, simile est (illi): Homo quidam vult contra iudicem rebellare, et unus ex amicis istius, audiens de rebellione, dicit amicis suis: Remittite ei miserrimo, nescit enim quid facit; quod si sciret quid faciat sciret se ad detrimentum suum * contra iudicem rebellare et forsan non rebellaret. Et simile est illi quod dixit propheta nomine Dei[3]: *Particeps idolorum est Ephraem, dimitte eum.* Hoc non est remissio, sed (dictum est) quia per breve tempus peccator relinquetur et castigatio illum cito apprehendet. Ita et hic. Non ut condonaret Iudaeis dixit: Remitte eis; quod si res ita se haberet, ergo omne peccatum remittendum esset, quia istud peccatum maximum fuit. Alio modo: *Pater, remitte eis;* noverat enim ut Deus Patrem non condonaturum crucifixoribus, nec illos paenitentiam acturos. Rursus non restitit voluntati Patris qui vellet non condonare crucifixoribus. Si quis dixerit: Quid profuit oratio eius si absque paenitentia non remittet eis? Solutio (erit): Docuit eos non desperare nec neglegere paenitentiam, et ut ostenderet eis remissionem esse paenitentibus, quia lex non accipiebat paenitentiam. Quod absque paenitentia remittatur eis, hoc est impossibile et contrarium voluntati Dei. Rursus, *Pater, remitte eis:* h. e. (permitte eis) ut voluntatem suam ad effectum adducant; etsi puto eos ignoranter uti ea, exspectant tamen se utilitatem percepturos dum damna non cognoscunt. Alii: Pater accepit orationem Filii an non? Si quis dicit: Ita; dicunt: Ergo non est eis peccatum. Si autem dicit peccatum eorum non remissum fuisse, dicunt turpe esse Patrem petitionem Filii sui non excepisse, et Filium videri magis misericordem quam Patrem suum, quia oravit ut remitteretur eis et Pater non remisit. Alii autem dicunt: Pater excepit orationem Filii et remisit crucifixoribus usque ad tempus quo surrexit; cum autem voluissent mendacem vocare resurrectionem et dixissent discipulos eius rapuisse eum, reddidit eis peccatum eorum. Sanctus * Mar Severus: Qui statim mortui sunt commodum (ex oratione eius) perceperunt; quod

[1] Os., iv, 17.

patet ex eo quod dixit: Nesciunt quid faciunt; qui autem manserunt post crucifixionem et perstiterunt in mala conscientia, etiam postquam viderunt tenebras et miracula quae in crucifixione facta sunt, nullum commodum perceperunt ex
5 oratione illa: *Pater, remitte eis*, quia illa miracula manifestabant Deum esse qui crucifixus est.

v. 39) *Unus autem ex illis malefactoribus qui crucifixi erant cum eo blasphemabat;* h. e. si est Christus liberet seipsum et nos; putabat enim se illum ad zelum incitare ut sic liberaret
10 seipsum et eos a cruce.

v. 40) *Et obiurgavit eum socius eius* [*et dixit ei*]: *Ne Deum quidem times?* h. e. vox [*ne quidem*] proximae iungitur secundum morem Scripturae [1]: *Non altitudo, nec profundum, nec creatura quidem alia separabit me ab amore Dei*, et sicut
15 homo qui dicit socio suo: Non solum te non timeo sed ne regem quidem. Aliquid oportet audiatur ante illud: *Ne quidem*. [Res forsan ita se habet]: Esto quod conscientia tua te non arguit, et homines non vereris, ne Deum quidem times. Et ita dispone sententiam. Ecce enim ambo Deum non timebant, quia latrones
20 erant. Ergo ita est sensus: Esto quod hucusque Deum non timuisti et ideo omnia scelera patrasti, ne nunc quidem moveris paenitentia ut timeas eum?

v. 35) *Alios servavit;* principes quidem, quia testati sunt eum servasse alios, accusaverunt seipsos. *Confidit in Deo:* ergo
25 prophetae et iusti quos occiderunt, non confidebant in Deo nec (Deus) sibi in eis complacebat secundum verbum eorum, quia non liberavit eos e manibus illorum.

'īl, īl: unde putaverunt eum vocare Eliam? Ex similitudine *'īl, īl* enim simile est Eliae; inde * transmissa est haec vox ut * p. 402.
30 in omnibus linguis ita legatur sicut dicta est a Domino nostro in cruce.

v. 56) *Et reversae sunt, paraverunt aromata et unguenta:* mulieres bis paraverunt unguenta et aromata et venerunt ad sepulcrum, et hae primae diversae sunt a novissimis. Marcus [2]
35 autem dixit tres (mulieres): unam ex eis Magdalenam, et Mariam Iacobi, et Salome, easque in sabbato paravisse aromata,

1 *Rom.*, VIII, 39. — 2 MARC., XVI, 1.

Lucas vero dixit[1]: *Ante sabbatum*, et etiam in hac parasceve id fecerunt, sed nomina mulierum non memoravit. Ergo mulieres, quas dixit Marcus, diversae sunt ab eis quas dixit Lucas, et etiam tempora quibus venerunt diversa sunt. Dominus autem fecit ut sepulcrum prope esset ut facile possent mulieres et etiam discipuli venire ad illud; rursus, ut resurrectio omnibus manifestaretur.

[Caput XXIV]

v. 11) *Et visa sunt in oculis eorum verba ista quasi deliramenta:* h. e. subsannaverunt et riserunt quum audierunt eas dicentes: Vivit. Si enim Thomas apostolis non credidit, quanto minus apostoli mulieribus!

v. 13) *Et ecce duo ex eis illo die:* h. e. dominica resurrectonis; et duo sunt ex septuaginta praeconibus, quod evidens est ex eo quod unus est Cleophas et alter est ipse Lucas narrator, qui seipsum non memoravit usus humilitate. Alii: Barnaba est hic Cleophas, frater Ioseph viri Mariae, et pater Simonis illius qui post Iacobum, fratrem eius, episcopatum gessit in Ierusalem. *Stadiis sexaginta*, h. e. octo milliaria; stadium, h. e. longitudo sulci. Longitudo autem sulci est quadraginta cubitus, * et septem longitudines sulci cum dimidio sunt unum milliare, et tria milliaria sunt una parasanga.

* p. 103.

v. 14) *Loquebantur unus cum altero:* h. e. de eis quae Christus passus erat, et quomodo apprehensus fuisset et iudicatus et crucifixus.

v. 15) *Venit Iesus*, h. e. dum non intellexerunt ipsum esse, sed extraneum.

v. 16) *Oculi autem eorum detenti erant*, h. e. operatione virtutis Christi, ne agnoscerent eum; alterum, ut esset occasio colloquio cum illis; et patet rem ita se habere ex eo quod subiungit: *Qui sunt sermones hi?* Vide, ut esset occasio interrogationi et sermonibus fecit ut non agnoscerent ipsum.

v. 17) *Tune es solus extraneus ab Ierusalem?* Dicunt Hierosolymitas vestimentum quoddam habuisse quo distinguebantur ab omnibus incolis regionis; Christus autem visus est eis ut

[1] Luc., xxiv, 1.

extraneus propter aliud vestimentum. *In his diebus;* h. e. in parasceve et in sabbato ante hunc diem qui est primus dies hebdomadis.

v. 19) *De Iesu qui erat a Nazareth;* quatenus autem est Deus, 5 creator est regionum; quatenus vero factus est homo, appellatus est Nazarenus et Galilaeus. *Viro qui erat propheta;* vocatus est vir et propheta quia factus est homo dum, quatenus est Deus, est dominus prophetarum et largitor prophetiae. *Et potens erat in sermone et in opere,* h. e. in doctrina et in 10 patratione miraculorum.

v. 21) *Nos autem sperabamus;* opinionem dubiam de Christo adhuc habebant. *Et ecce tres dies,* h. e. parasceves et sabbatum et primus dies hebdomadis.

v. 22) *Sed etiam mulieres ex nobis obstupefecerunt nos.* Quo- 15 modo? Pergunt dicere: Praevenerant ad sepulchrum, et angelos viderunt ibi, et dicunt quod vivus sit; et ecce non ab angelis tantum audierunt mulieres eum vivere, sed Deigenitrix et Magdalena viderunt eum, et dixit eis[1]: *Pax vobis;* et tenuerunt pedes eius. Iterum, Magdalena rursus * vidit eum et vocavit *p. 404. 20 eum: *Magister mi,* sicut dixit Iohannes[2].

v. 24) *Etiam quidam ex nobis iverunt ad sepulcrum,* h. e. Simon et Iohannes.

v. 25) *O expertes rationis!* Ita vocavit eos quia non intellexerunt scripta prophetarum qui vaticinati fuerant de pas- 25 sione et resurrectione eius.

v. 26) *Nonne haec futurum erat ut pateretur Christus?* h. e. passionem et mortem et crucem. *Et ut ingrederetur in gloriam suam;* h. e. crucem et resurrectionem et ascensionem vocat gloriam. Quum enim crucifixus est gloria eius magis mani- 30 festata est, h. e. quia obscuravit solem, et commovit terram, et per alia miracula quae fecit, quae testabantur eum esse Deum incarnatum. Similiter et quum resurrexit, quia destruxit mortem et interfecit Satanam; et quum ascendit in caelum cum gloria, magis ingressus est in gloriam. Iohannes crucem vocat 35 gloriam: *Nondum datus fuerat Spiritus, quia nondum glorificatus erat Iesus*[3].

[1] MATTH., XXVIII, 9. — [2] IOH., XX, 16. — [3] IOH., VII, 39.

v. 27) *Et incipiebat a Moyse*, h. e. a libris Moysis et prophetarum (ostendit) futurum esse ut nasceretur et baptizaretur et crucifigeretur, et ceteras res oeconomiae.

v. 28) *Et ipse opinari faciebat eos*, h. e. praebuit eis opinionem se ad regionem longinquam ire. 5

v. 29) *Quia dies nunc inclinavit se;* mos est hominum ut, quum dies incipit occidere, rogent viatores, qui sunt secum, ut maneant et non discedant. Cleophas autem et Lucas Christum ut extraneum habuerunt, ideo urserunt eum ut requiesceret apud eos. Cleophas interpretatur pulcher. 10

v. 30) *Et factum est ut quum accumberet acceperit panem et benedixerit;* h. e. tanquam magistrum et doctorem selegerunt eum ut pani benediceret. Et quaenam est benedictio qua benedixit? Quidam dicunt: In nomine Patris sui et sui ipsius et Spiritus sancti benedixit idque cum signo crucis. 15

v. 31) *Et illico aperti sunt oculi eorum;* h. e. cum acceptione benedictionis aperti sunt oculi mentium eorum et cognoverunt eum. * *Et ipse ablatus est ab eis*, h. e. absconditus est ab eis nec quidquam gustaverat. *p. 105.

v. 32) *Nonne cor nostrum grave erat in nobis?* h. e. ut plumbum in aquis. In Harqlensi scriptum est: Ardebat, h. e. ut titio comburens. 20

v. 33) *Et invenerunt undecim accumbentes;* inde patet hos duos non esse e duodecim sed e septuaginta duobus. Iudas enim perierat et Matthias nondum electus erat; ideo dixit: *undecim*. 25

v. 34) *Surrexit Dominus noster et visus est Simoni;* h. e. videtur quod ei redeunti de sepulcro cum accepisset vestimenta apparuit. Etenim non omnia quae Christus loquutus est et fecit scripta sunt in Evangelio; quod notum est ex eo quod dixit Iohannes[1]: *Multa fecit Iesus quae non sunt scripta in libro hoc*. 30

v. 35) *Et ipsi quoque narraverunt ea quae facta fuerant*, h. e. narrationibus, quas hi congregati dixerant, illi duo subiunxerunt: Nos quoque vidimus eum, loquutus est nobiscum, et cetera narrationis superioris. 35

[1] Cf. Ioh., xxi, 25.

v. 36) *Et quum haec loquerentur*, h. e. quod surrexit et visus est Simoni, *Iesus stetit inter eos*, h. e. ad vesperam, seu ad occasum solis, primo die hebdomadis, illucescente secundo. *Et dixit eis: Pax vobis;* ut auferret ab eis timorem dedit eis pacem iuxta
5 morem suum. Per ianuas clausas ingressus est, sicut dixit Iohannes [1], et dum non cognoverunt eum illico stetit inter eos et statim in timore fuerunt. Dominus noster tria miracula fecit quae similia sunt inter se: natus est servatis sigillis virginitatis Mariae; surrexit e sepulcro manentibus signis et sigillis;
10 ingressus est in caenaculum ianuis clausis. *Ego sum, ne timeatis;* h. e. ego sum qui elegi vos ab initio et dedi vobis potestatem super daemonia, et ego sum qui passus sum et mortuus sum et surrexi; ergo ne timeatis. Timuerunt autem quia ianuis clausis ingressus est * ad eos; alterum, quia sub formis diver- * p. 406.
15 sis videbatur eis.

v. 38) *Quid contremiscitis?* quod enim sciat cogitationes eorum, proprium est Dei.

v. 39) *Palpate me et cognoscite;* h. e. si putatis me esse phantasma, admovete manus et palpate me. *Quia spiritui caro*
20 *et ossa* [*non sunt*]; non ut auferens a se corporeitatem hoc dixit, sed ut ostenderet se non secundum phantasma visum esse. Caro et ossa vere sunt mihi quae non possunt esse phantasmati et spectro; dum videtis manus meas et pedes meos perforatos certum habetis quod ego sum qui crucifixus sum et
25 surrexi; verbis huiusmodi sedavit turbationem eorum et firmavit eos de sua resurrectione.

v. 40) *Ostendit eis manus suas et pedes suos:* h. e. oculis suis viderunt manus eius et pedes eius perforatos, et manibus suis exploraverunt carnem et ossa esse ei, quae non possunt
30 esse spectro; non quasi hae (cicatrices) invenirentur in eo, sed ad confirmationem discipulorum ostensa sunt loca clavorum et lanceae, dum neque ante hanc horam neque post eam inventa sunt in eo, sed hac hora (tantum) ut firmaret eos de resurrectione.

35 v. 41) *Et cum adhuc non crederent prae gaudio suo;* mos est hominum ut quum audiunt aut vident aliquid iucundum prae

[1] IOH., XX, 26.

magnitudine gaudii sui non credant, quod discipulis quoque evenit. *Estne vobis hic aliquid ad comedendum?* h. e. voluit comedere ut confirmaret resurrectionem.

v. 42) [*Dederunt ei*] *partem e pisce asso et de favo mellis;* h. e. eum vere comedisse non Lucas tantum dixit, sed Petrus quoque[1]: *Nos comedimus et bibimus cum eo post resurrectionem eius.* Oportuit enim ante resurrectionem ut comederet ad confirmationem corporis quod induerat, et post resurrectionem ut affirmaret eis se surrexisse. Pisce quem comedit figuravit naturam nostram, quae * propter voluptates immersa erat in abyssis maris peccati, quae cum unita est igni divinitatis eius facta est robusta, et liberata est a mollitie voluptatis peccati et reputata est suavis Deo tanquam favus mellis, propter opera bona quae genus nostrum operatur et ostendit Domino nostro. Rursus, quia in humore vitae luxuriosae tanquam piscis eramus immersi, per incarnationem suam Filius univit genus nostrum igni suo spiritali qui a nemine cohibetur illudque tanquam assatum et fervens ostendit, et servavit a fluiditate vitae. Comedit etiam favum mellis, significans quod ii, qui incensi sunt per incarnationem divinam et participes facti sunt in divinitate eius, tanquam mel mandata eius recipiunt, quae in cordibus eorum sicut in cera scribuntur. Eum autem bibisse vinum notum est ex eo quod ante resurrectionem suam praedixerat[2]: *Non bibam vobiscum de hoc genimine vitis* etc.; et Petrus dixit[3]: *Postquam comedimus et bibimus cum illo.*

* p. 407.

v. 43) *Et accepit, comedit coram eis;* h. e. eum comedisse coram eis hoc est: Comedit ipsis eum videntibus oculis suis, sicut dictum est de Nabuchodonosor[4]: *Iugulavit filios Sedeciae in oculis eius,* h. e., illo oculis suis vere vidente eos interfici. Et quomodo Christus post resurrectionem comedit? Nonnulli dicunt: Comedit non secundum apparentiam sed vere; verumtamen dum cibum in ore suo ponebat eumque minutatim confringebat et comminuebat nihil virtutis ex eo accipiebat; neque in corpus per digestionem ascendebat sicut cibus

[1] *Act.*, x, 41. — [2] MATTH., XXVI, 29. — [3] Cf. *Act.*, x, 41. — [4] IER., LII, 10.

quem mortales sumunt, quia ibi non erat ulla ex quattuor facultatibus attractiva, retinente, digestiva, expulsiva, sed hic cibus virtute Spiritus dissipabatur et in elementa quibus constat revertebatur. * Ergo quemadmodum Pater et duo * p. 408.
5 angeli apud Abraham comederunt, sic Filius quoque comedit post resurrectionem. Alii vero: Comedit sicut ignis victimas devoravit. Alii: Cibum et potum in oesophagum suum non introducebat sed in aere dissipabat. Nos autem dicimus: Comedit et bibit post resurrectionem; quo modo autem comedit,
10 nostrum non est apprehendere nec dicere nec explicare. Isaias enim eum vocavit Admirabilem [1]; quapropter omnes eius actiones admirabiles sunt. Rursus, Christus ante resurrectionem multitudinem actionum fecit supra naturam, ita et post resurrectionem infra naturam. Quae ante resurrectionem:
15 Conceptio sine semine; nativitas non destructis signis virgineis; ambulatio super aquas firmis pedibus; transfiguratio eius divina in monte; ieiunium per quadraginta dies non esuriendo; et quod non apprehensus fuit ab iis qui volebant deiicere eum de rupe. Quae autem post resurrectionem: palpatus fuit, et
20 visus fuit in latere eius et in manibus eius locus lanceae et clavorum; comedit et bibit; visibilitas corporis tanquam corporis passibilis et mortalis; et hoc quod cum vestimentis (visus est), dum vestimenta quae habuit ante passionem milites tulerant. Quae autem sunt post resurrectionem eius in dubio posita sunt.
25 Et supernaturalia dedit corpori suo ante resurrectionem ut ostenderet se esse Deum vere incarnatum, dum non mutatus est ab eo quod Deus est. Illa quae antecedebant resurrectionem suam corpori suo dedit ut certos faceret discipulos se surrexisse, et illud corpus, quod crucifixum est, surrexisse. Et quemadmo-
30 dum ante resurrectionem corpus suum mortale operuit gloria et splendore divinitatis suae in monte Thabor, non mutata natura eius, ita et post resurrectionem suam gloriam immortalitatis suae abscondit specie carnis mortalis, natura eius non mutata, propter discipulos ut possent eum intueri. * Discipuli * p. 409.
35 enim non facti sunt immortales ut intuerentur gloriam immortalem corporis eius; testes sunt oculi Pauli qui, quum parum

[1] Is., IX, 6.

ex gloria eius affulsit illis, caeci facti sunt[1]. Rursus, pisces et mel, quae discipuli Christo dederunt comedenda, ex creatione veteri, non ex creatione nova erant.

v. 44) *Hi sunt sermones quos loquutus sum vobiscum;* h. e. ante suam passionem et mortem et resurrectionem loquutus est cum eis. *Oportere impleri quidquid* [*scriptum est*], h. e. in libris Moysis et prophetarum; Psalmos autem memoravit seorsum quia in eis scriptum est de tota oeconomia.

v. 45) *Tum aperuit mentes eorum ad intellegendum Scripturas;* h. e. quum explicavit eis Scripturas de seipso, statim intellexerunt.

v. 46) *Ita conveniens erat ut pateretur Christus;* quemadmodum vidistis me facientem et patientem, sic vaticinati fuerunt prophetae.

v. 47) *Et principium fieret ab Ierusalem;* h. e. quia in ea affectus fuerat ignominia et despectus fuerat, dixit principium praedicationis futurum esse ab ea, et rursus fore ut ab ea glorificaretur et laudaretur.

v. 48) *Et vos estis testes horum;* h. e. quia vidistis et audistis et contrectavistis meam passionem et mortem et resurrectionem, testes sitis de illis.

v. 49) *Et ego mittam super vos promissum Patris mei;* non dixit: Rogabo, sed: Mittam, quod significat eum esse Deum natura sua, etsi incarnatum. *Promissum Patris mei* vocat Spiritum sanctum, qui promissus fuit a Patre per Ioel[2]: *Effundam,* ait, *spiritum meum super omnem carnem.* — *Donec induamini virtute;* eumdem Spiritum sanctum vocat virtutem.

v. 50) *Et eduxit eos usque ad Bethaniam,* ut eos memores redderet suscitationis Lazari quae ibi facta erat, ut inde inciperent praedicare resurrectionem Christi, quae iam facta est, et etiam resurrectionem universalem, quae futura est. *Et elevavit manus suas et benedixit eis;* h. e. benedictiones quibus *benedixit ibi et tempore Paschatis et in Emmao, Apostoli notas non fecerunt; evidens est (eos ita fecisse) quia illae praeclariores erant et sublimiores narratione et sermone. Nonnulli dicunt: In forma crucis traduxit manus suas super

* p. 410.

[1] *Act.*, IX, 9. — [2] IOEL., II, 28.

illos. Et quare dicit: *manus suas*, non: manum suam? ubique enim homo dextera benedicitur propter virtutem et potestatem quam (dextera) habet in totum corpus. Solutio: Quia armis dexterae et sinistrae triumphavit, etiam armavit eos ut vincerent mala, sicut dixit Paulus[1]. Rursus, quia duabus partibus hominis, h. e. animae et corpori, benedixit. Rursus, quidam dicunt: Christus eo loco dedit donum discipulis suis. Nos autem dicimus: Hic, quum elevavit manus suas et benedixit eis, episcopos fecit eos; quod notum est ex eo quod quum episcopum facimus hanc lectionem Evangelii aperimus et super caput eius ponimus. Ubi autem misit eos binos et dedit eis potestatem super morbos et spiritus malos, eos fecit diaconos, et notum est ex eo quod diaconi sunt mundatores, et etiam ipse dixit eis[2]: *Leprosos mundate*. Et post crucifixionem, in caenaculo, quum insufflavit in eos spiritum ac dixit[3]: *Si remiseritis cuiquam peccata remittentur, et si retinueritis* etc., presbyteros fecit eos. Si quis dixerit: Quomodo fecit eos diaconos et presbyteros et episcopos cum nondum baptizati essent? dicemus: In caenaculo duo charismata dedit eis, baptismum et sacerdotium. Quia insufflavit in eos spiritum baptizavit eos, nam baptismus insufflatione perficitur; et quum dixit eis: *Si remiseritis cuiquam peccata*, presbyteros fecit eos. Mar Iacob sarugensis dicit: In Pentecoste in caenaculo baptizavit eos. Hoc autem non est recipiendum, quia in caenaculo in Pentecoste per Spiritum perfecit et complevit eos * in omnibus necessariis, et fecit ut praeberent se fortes adversus persecutores. Per hos quadraginta dies a resurrectione usque ad ascensionem quonam manebat Christus? Nonnulli dicunt: In caelum ad Patrem suum ascendebat et descendebat. Alii: In paradisum ibat et veniebat. Nos autem non possumus ex nobismetipsis quae non sunt scripta dirimere; ergo ubi ipse et Pater eius et Spiritus eius noverant, ibi manebat corporaliter.

* p. 411.

v. 51) *Separatus est ab eis et ascendit in caelum;* Lucas, quia noverat quosdam scrutari de Christo quo esset post resurrectionem, ideo dixit: *ascendit in caelum*. Matthaeus narrationem suam historia resurrectionis absolvit, quia ex ea vita et incor-

[1] Cf. *II Cor.*, vi 7. — [2] Matth., x, 8. — [3] Ioh., xx, 23.

rūptibilitas revelata sunt nobis. Etsi Christus hodie, quatenus est homo, est supra caelum, tamen quatenus est Deus, ubique est infinite. Dominus noster ascendit in caelum, quin divideret illud. Alii dicunt: Divisum est; sed ipse non opus habebat scindere caelum. Etenim, si cum esset passibilis et mortalis secundum corpus, exivit ex utero nec solvit sigilla virginea, et ambulavit supra mare nec mersus est, et surrexit de sepulcro signato, et ingressus est in caenaculum clausum, et costa perfecta sumpta est de Adam nec apertum est latus eius, et aquae fluxerunt de petra non confracta, et folia et fructus egrediuntur de arboribus quin scindantur, ita et magis quam ita Dominus noster ingressus est in caelum et in firmamentum nec divisa sunt; quod si ianuis apertis ingressus esset in caelum [1], tunc id non esset miraculum.

v. 52) *Ipsi autem adoraverunt eum:* h. e. quia vere cognoverunt eum esse Deum natura sua, etsi incarnatus est adoratio debetur ei et Patri et Spiritui sancto. *Et reversi sunt Ierusalem cum gaudio;* h. e. sicut praeceperat eis [2]: *Expectate * in Ierusalem.* Et cum gaudio reversi sunt quia certi facti sunt de resurrectione eius, et quia conversatus est cum eis et promisit se missurum esse ad eos Spiritum sanctum.

* p. 412.


v. 53) *Et omni tempore erant in templo:* templum honorabant etsi sciebant ex verbis Domini nostri gratiam ex eo translatam fuisse, sicut David Saul honorabat dum sciebat gratiam unctionis ex eo tanslatam fuisse. Alii: In templo erant, non in locis sine utilitate. Dixit: *Omni tempore*, non: Interdum, sicut ii qui ecclesiam non amant. *Glorificantes et laudantes Patrem*, quia misit Filium suum et dedit salutem hominibus. *Amen;* istud Amen hic veritas est, et significat apostolos vere fuisse in templo glorificantes et laudantes Deum.

Quidam quaerunt: Quare Filius intra tres annos oeconomiam suam adimplevit? Solutio: Quia vocatus est Adam secundus: quemadmodum primus Adam tribus horis fuit in paradiso et devictus est, (ita) oportuit ut Adam secundus pro unaquaque hora unum annum solveret. Rursus, tempus in tria dividitur: praeteritum, praesens, futurum; ideo per tres annos dispen-

[1] Fortasse lapsus pro « caenaculum ». — [2] Cf. *Act.*, I, 4

savit oeconomiam suam. Iterum, quia tres sunt leges: naturalis, imperata, scripta seu legitima, in unoquoque anno unam ex his solvit. Praeterea, omnis res tres dimensiones habet: longitudinem et profunditatem et latitudinem.

5 Quum hucusque protractus est sermo, hic finem accipiat. Si adsit error, amice corrigatur; dum deprecatio continua offeretur pro patre nostro Mar Dionysio, qui sollicitus fuit colligere, firmare et disponere. Amen.



INDEX TOMI XCIX

LIBER EXPLICATIONIS EVANGELII.

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM
(continuatio)

EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.



